BIBLIOTECA COMUNALE DI TRENTO
UNIVERSAL SHORT-TITLE CATALOGUE
UNIVERSITÀ DEGLI STUDI DI TRENTO
Dipartimento di Lettere e Filosofia
FONDAZIONE CARITRO
CASSA DI RISPARMIO DI TRENTO E ROVERETO

CATTANEO SEBASTIANO, *Summula reverendissimi domini Catanei episcopi Chiemensis. Casus conscientiae singulari brevitate atque facilitate complectens, omnibus praesertim Ecclesiasticis perutilis & necessaria. Tertia editio ab eodem authore nuper aucta*, Trento, Simone Alberti, 1600.

Esemplare digitalizzato:
Trento, Biblioteca comunale, T 0 k 13

LINK: https://bdt.bibcom.trento.it/78

BDT – BIBLIOTECA DIGITALE TRENTINA
progetto STABAT – *Stampe antiche Biblioteca comunale di Trento*

COMUNE DI TRENTO

STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* è un progetto concluso, cofinanziato dalla Fondazione Caritro ("Bando Archivi 2014"), dalla Biblioteca comunale di Trento e dal Dipartimento di Lettere e Filosofia dell'Università di Trento; gli altri partner del progetto sono la Soprintendenza per i beni storico-artistici, librari e archivistici della Provincia Autonoma di Trento e l'University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All'interno di Stabat sono state digitalizzate e descritte tutte le edizioni stampate in Trentino nei secoli XV-XVII che si conservano presso la Biblioteca e l'Archivio storico del Comune di Trento. Ogni digitalizzazione è accompagnata da una descrizione della stampa; tutto il materiale è liberamente consultabile sulla *Biblioteca Digitale Trentina* (http://bdt.bibcom.trento.it/).

In questo file le immagini hanno avuto in trattamento OCR e pertanto si possono fare ricerche testuali; le immagini presenti sul sito, dove si può trovare una descrizione completa dell'edizione, hanno invece una qualità maggiore.

Le immagini presenti nella *Biblioteca Digitale Trentina* sono rilasciate con licenza di Pubblico dominio, il presente PDF è distribuito con licenza Creative Commons Attribuzione – Non commerciale – Non opere derivate 3.0.

STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* is a project that was successfully concluded thanks to the support of a group of partners, namely the Caritro Foundation ("Bando Archivi 2014"), Trent Civic Library, the Department of Humanities of the University of Trento, as well as the Superintendence for Architectural, Landscape, Historical, Artistic and Ethno-anthropological Heritage for the Province of Trento and the University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All the editions belonging to the Library and the Civic Historical Archive that were printed in Trentino during the XV-XVII centuries have been digitised and described. As a result, each digital copy is accompanied by a record with specific data regarding the printed book, and is freely available to be consulted on *Biblioteca Digitale Trentina* (http://bdt.bibcom.trento.it/).

The images belonging to this file are OCR-converted, hence the text of this edition can be electronically searched. The images available on the website, on the contrary, have a higher resolution and are accompanied by a complete description of the edition.

The images available on the *Biblioteca Digitale Trentina* are public domain files; this PDF is available under the Creative Commons Attribution – Non-commercial – No Derivative Works 3.0 License.

C3677
T.T. 2 . 7

SVMMVLA REVERENDISSIMI DOMINI CATANEI EPISCOPI CHIEMENSIS.

CASVS CONSCIENTIAE Singulari breuitate atque facilitate complectens, omnibus præsertim Ecclesiasticis perutilis & necessaria.

TERTIA EDITIO AB EODEM Authore nuper aucta.

Erudimini, qui iudicatis terram. Psal. 2.





TRIDENTI Simon Albertus Superiorum consensu excudebat, Anno Domini. M. DC.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO D. CINTHIO ALdobrandino Senogallienſi S.R.E. Cardinali Ampliſſimo, Domino ſuo colendiſſimo.

F. SEBASTIANVS CATANEus à Mediolano Epiſcopus Chiemenſis S. P. D.

CVM iuxta vocationis, profeſſionisq; meæ ſtatum, Cardinalis Ampliſſime, quàmplures libros de Caſibus conſcientiæ conſcriptos euoluerem, vt multorum commodo ac vtilitati, præſertim illorum, quibus magna volumina perlegere nō vacat, cōſulerem; deſiderio iuuandi Eccleſiā Chriſti ſaluatoris noſtri pro mea mediocritate, ductus, eandem materiam tractandā

& explicandam, Deo duce, communem Doctorum sententiam sequendo, tot citationibus, allegationibus, disputationib⁹ & cõfutationibus quæ sepe nedũ sensum obscurant, sed etiã pium lectorem aliquãdo perturbant, ne dicam confundunt, omissis: decreta tamen sacri Concil. Trid. singulari studio pro rerum qualitate semper attendendo, sumpsi. Quantę autem præstantiæ, vtilitatis ac necessitatis sit hęc doctrina de Casibus conscientiæ dicta, non est mihi tanta dicendi aut scribendi copia, neq; id tam breui prefatiuncula complecti possum: Ne tamen omnino hic taceam, vnicum saltem in laudem eius adducam. Qui non videt studio hoc sublato, conscientiam quinimo animam, cuius salus nobis adeò chara esse debet, in summo periculo versari? hoc vero retento etiam Iudices maximè Ecclesiasticos in vtroq; foro iustè, sanctè, ac rectè in populo sibi diuinitus commisso iudicare facilè posse, sicq; Dei Omnipotentis vltionem euitare; qui vti legitur, Cum acceperit tempus iustitias, actionesq; nostras iudicabit. Huic lectioni atq; studio Parochi

chi & cœteri qui animarum curam ſuſti-
nent, pro Officij ſui munere, diligenter &
aſſiduè incumbant; ipſis enim fidelium
animæ, quas ſanguine in ara crucis profu-
ſo, Chriſtus Dominus redemit, in eam ſo-
licitudinis curã traditę ſunt, vt illas & re-
ctè cuſtodiant, & ſalutari pabulo ad æter-
nitatem alant, quia ſcriptum eſt: Male-
dictus qui facit opus Domini negligẽter.
Verum humaniſſime Præſul, ne conatus
laboresq; iſti mei ad gloriam Omnipotẽ-
tis Dei ſuſcepti, patrocinio eſſent deſti-
tuti, tutelare tuum nomen prę reliquis
ſelectum, eos Illuſtriſſimæ & Reuerẽdiſ-
ſimæ Dominationi tuæ tanquàm Mœce-
nati optimo & patrono meo colendiſſi-
mo, cuius humanitatem omnes miran-
tur, quam ego ipſe tum Romæ, tum Fer-
rariæ expertus ſum (vt alias præclariſſi-
mas animi tui dotes, quibus ſingulari Dei
dono exornaris taceã) dico, dedico & cõſe
cro. Qui etſi in oĩa chriſtianæ reipublicæ
negotia perpetuò ſis intentus, & ita om-
nibus vti ſingulis pro animi tui magnitu-
dine, ſingulariq; in rebus agendis dex-

teritate consulas: tamẽ pietatis sacratũq; literarum studia, omnibus alijs pro tua insigni pietate, anteferre soles. Quare Cardinalis Amplissime, vt hoc meũ opusculum, veluti pignus meę obseruantiæ ac perpetui obsequij, erga Illustrissimam & Reuerendissimam Dominationem tuam accipias, boniq; consulas, affectum potius offerẽtis, quàm rei oblatę quantitatem attendens, iterum atq; iterũ rogo. Atq; hisce Vale diu fœlix in Domino, qui te dignissimum, firmissimumq; suæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinem diutissimè nobis incolumem seruet, meq; vt soles, beneuolè complectere. Tridenti ipso die Conuersionis Diui Pauli Apostoli, Anno reparatę salutis Millesimo, sexcentesimo.

AD REVERENDISSIMVM D. CATANEUM Episcopum Chiemensem operis Authorem T. Cros. Bomp. Triden.



Difficiles Animæ causas casusq; disertans
Dùm struis hìc methodos, quìs sine labe micet;
Relligio Christi exultans vultuq; sereno
Astitit, & sacris deueneranda comis;
Iam nō parnus (ait) summator maximus ornat
Catæneus spartam, quam Caetanus amat.

DE REVERENDISSIMO D. EPISCOPO Chiemense &c. Nicolai Inamij Triden. Epigramma.



Iuis Auspicibus libelle prodi
In lucem, & bene cum Deo volēte,
Clarorum volita virùm per ora.
Annorum seriem absq; fine vinces;
Immortale feres vtranq; solis
Nomen Catanei Domum, inuidente
Parca;

Parca; ergo auſpicibus libelle diuis,
Prodi iam bene cum deo volente,
Seclis complacturus eruditis,
Maximi Titulis verendus ALDO
BRANDINI, *procerum ſacratus ordo,*
Atq; Eccleſia quem velut ſerenum
Sidus Tota colit, polumq; ſupra
Terrarum vehit orbe gens in omni.

Aliud eiuſdem.

ILle *ſacrum geſtat venerandã*
fronte tiaram,
Auguſta cathedra dignus & ille
ſedet;
Qui ſanctæ exemplis vitæ, ſophiæq; niteſcit
Lumine ſidereæ, qui ſtudet vſq; gregem
Doctrinis formare pium, atq; inducere cælo
Electas animas, Maximus iſte mihi,
Cataneus titulo hoc; decorant inſignia honoris
Hunc tãti meritũ. hic nomina dignus habet.
Cataneo ſimiles vtinam indulgentia donet
Hoc ævum ſummi ſæpè videre patris.

IN-

INDEX

EORVM OMNIVM QVAE IN hoc opere, ordine Alphabetico continentur.

A

DE Abbate f. 1
Aborſu. 4
Abſolutione. 6
Abſtinentia. 9
Accept. perſonarũ. 10
Accedia. 12
Accuſatione. 13
Adiuratione. 15
Adoptione. 17
Adulatione. 18
Adulterio. 20
Affinitate. 22
Alchimia. 23
Alienatione. 25
Alimentis. 27
Altari 28
Appellatione. 30
Apoſtaſia. 32
Aqua benedicta. 34
Archidiacono. 35
Archiepiſcopo: 37
Archipræsbytero. 40
Auaritia. 41

B

De Baptiſmo. 42
Bello. 47
Benedictione. 49
Beneficio. 51
Bigamia. 53
Blaſphemia. 55

C

De Calice. fol. 57
Cambijs. 58
Canonizatione. 63
Capitulo. 64
Charactere. 67
Charitate. 68
Caſu 70
Cenſu 75
Cœmeterio, 77

Cir-

Circumcisione. 78
Circumstantia. 80
Clauibus Ecclesiæ. 81
Clerico. 82
Cognatione. 84
Communione. 86
Concilio. 89
Cõfessione Iudicial. 91
Cõfessione sacram. 92
Confessore. 96
Confirmatione. 99
Confirm. Canonic. 101
Consecratione. 104
Constitutione. 106
Consuetudine. 110
Contritione. 112
Choreis. 114
Correctione frater. 116
Corpore vitiatis. 118
Crimine. 120
Chrismate. 121

D

De Debito coniug. 123
Decimis. 126
Defensione. 128
Degradatione. 130
Delegato. 132
Denunciatione. 134
Dignitate. 136
Diuortio. 140
Dominica. 144
Donatione. 146
Dote. 147
Duello. 149

E

De Ebrietate. 150
Ecclesia. 151
Electione. 154
Eleemosyna. 158
Episcopo. 160
AEtate. 169
Eucharistia. 171
Excõmunicatione. 176
Executore. 179
Exemptis. 182

F

De Festis. 184
Feudo. 188
Fide. 191
Filio. 194
Furto. 197
Futuris. 199

G

De Gabellis. 201

Gula. 203

H

De Hæreditate. 204
Hæresi. 207
Homicidio. 208
Honore. 210
Horis Canonicis. 212

I

De Idololatria. 215
Ieiunio. 216
Ignorantia. 219
Immunitate. 220
Impedimento. 222
Incendiario. 226
Incœstu. 227
Indulgentijs. 228
Infamia. 233
Inferno. 234
Infidelitate. 237
Inquisitione. 238
Interdicto. 240
Interrogatione. 244
Inuidia. 248
Inuocat. Dęmonũ. 250
Ira. 251
Irregularitate. 253
Iudęis. 257
Iudice. 259
Iudicio. 261
Iuramento. 263
Iure Patronatus. 266
Iustificatione. 270

L

De Lege. 272
Locatione. 277
Ludo. 280
Luxuria; 283

M

De Maleficio. 288
Martyrio. 293
Matrimonio. 294
Medicina. 300
Mendacio. 303
Metu. 306
Missa. 308
Monacho. 318
Morte. 321

N

De Negotiatione. 324
Nouitio. 326

O

De Obedientia. 329

Ora-

Oratione. 331
Ordine. 336

P

De Papa. 342
Peccato. 347
Pœna, 350
Pœnitentia. 353
Postulatione. 357
Prælato, 361
Præscriptione. 362
Priuilegio. 365
Professione. 367
Purgatione Canon. 371
Purgatorio. 373

Q

De Quadragesima. 376
Quæstore. 378
Quarta funeralium. 379

R

De Rapina. 382
Religione. 385
Renunciatione. 389
Residentia. 391
Restitutione, 393

S

De Sacramentis in gene re. 395
Satisfactione. 398
Scandalo. 401
Sententia. 403
Sepultura. 405
Simonia. 408
Spolio. 414
Sponsalibus. 415
Suffragijs. 418
Superstitione. 421
Suspensione. 424

T

De Testamento. 428
Testibus. 433
Tutela. 436

V

De Venatione. 439
Vicario. 440
Vnctione extrema. 443
Voto. 447
Vsura. 453
Vsufructu. 458
Vxore. 462

Indicis Finis.

SVMMVLAE

REVERENDISSIMI DOMINI Episcopi Chiemensis casus conscientiæ complectentis initium.

DE ABBATE.



Bbas regularis debet esse professus expresse, & sacerdos legitime ordinatus: quia cura animarum, & sanctissimorũ sacramẽtorum administratio ei incumbit, consequenter debet esse ætatis viginti quinq; annorum, quę ætas in promouendis ad gradum presbijteratus iuxta decretum sacri Conci. Trid. sess. 23. de reform. cap. 12. requiritur. Quare professio tacita nõ sufficit vt aliquis sit eligibilis in Abbatẽ proinde Nouitij ab actu electionis actiuè & passiuè excluduntur. Abbas ordinariè debet eligi de proprio monasterio: at quando ibi persona idonea non haberetur, eo casu de alio monasterio eiusdem tamen ordinis, seruata forma Trid synod. sess. 25. de regul & monial cap. 6. nempe per vota secreta, ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Ab Episcopo deinde Dioecesano Dominicis diebus, vel alijs diebus festiuis in quibus ordines minores conferri possunt, gratis benedici

nedici debet: nihil enim pro tali benedictione absq; labe Symoniæ exigi potest: Abbatissa vero omni die benedici potest.

Abbas benedictus vsum mitræ & baculi pastoralis habens, primã tonsuram & quatuor minores ordines suis subditis conferre potest: non autem iis qui sibi subiecti nõ sunt, sicut decreuit sacrosancta trid. Synodus sess. 23. de reform. cap. 10. nec potest sine consensu Capituli clericos ad Ecclesias, ad quas habet Iuspatronatus præsentare, minus suos monachos à Censuris & peccatis alteri à Iure specialiter reseruatis absoluere, nec illos ex Monasterio pro arbitrio expellere, sed potius fugitiuos & Apostatas requirere, eosq; vt ad illorum Cœnobium redeant, opportunis medijs cogere, intra sess. 25. de regul. & monial. cap. 19.

Abbas confirmatus & benedictus multa potest præstare, quę simplex sacerdos perficere nequit, primo in Ecclesijs sibi subiectis potest post Missarũ, Vesperarum, & Matutinorum officia solenniter benedicere populo, alibi non. secundo potest sibi subiectis primã tonsurã & minores ordines cõferre, eosq; ab omnib⁹ peccatis & Cẽsuris absoluere, nisi aliter in Iure expressẽ habeatur. tertio potest cum monachis sibi subiectis dispensare super Irregularitate contracta per acceptionẽ ordinum in excõmunicatione, intellige si res est occulta, & tales ĩ ordinibus sic susceptis se nõ exercuerint. quarto potest cũ eisdẽ ĩ votis factis ante ingressũ religionis

nis dispensare; vota vero facta post ingressum religionis eorundem, potest etiam irritare & annullare. Quinto potest omnia Ecclesię & Altaris ornamenta, excepto Calice, benedicere, & generaliter potest omnia benedicere, quę cum sacra vnctione non fiunt, & in quibus est benedictio tantùm verbalis. Sexto Abbas vsum mitrę & baculi pastoralis ex priuilegio Apost. habens, potest in defectu Episcoporũ interesse degradationi verbali & actuali, etiam si degradandus sit presbyter, vt habetur in Conc. trid. sess. 13. decreto de reform. cap. 4.

Abbas non potest præfici duob⁹ Monasterijs, nisi vnum dependeat ex altero, minus potest præfici diuersis Ecclesijs, Curam animarum habentibus, tenetur synodum adire, si habet populum vel Ecclesias cum cura, etiam si ipse sit exemptus: quia in tali casu exemptio ad populum vel Ecclesias non extenditur. Ad nuptias ire, aut filios de sacro fonte in baptismo leuare, ei non licet, vti sancitum est in Concil. Matisconensi can. 24. & 25.

Abbatissę & aliæ superiores quomodo & qua ętate eligendæ sint eadem sacrosancta trid. synod⁹ decernit sess. 25. de regul. & monial. cap. 7. sub istis verbis: Abbatissa, & Priorissa, & quocunq; alio nomine præfecta, vel præposita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quę octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio ex alio eiusdem Ordinis eligi possit.

Si hoc ẽt in cõmodum ſuperiori qui electioni præ eſt, videatur exijs, quę in eodem monaſterio annũ trigeſimum exceſſerint, & quinque ſaltẽ annis poſt profeſſionem rectè vixerint Epiſcopo vel alio ſuperiore conſentiente eligatur. Duobus verò Monaſterijs nulla præficiatur, & ſi quę duo vel plura quocunque modo obtinet cogatur, vno excepto intra ſex menſes cætera reſignare, poſt id vero tempus, niſi reſignauerit, omnia ipſo iure vacent. Is uero, qui electioni præeſt, Epiſcopus ſiue alius ſuperior clauſtra monaſterij non ingrediatur, ſed ante cancelorum feneſtrellam vota ſingularium audiat vel accipiat. In reliquis ſeruentur ſingulorum ordinum, vel Monaſteriorum conſtitutiones.

DE ABORSV.

ABorſus immaturi fœtus editio, eſt graue peccatum, inter maleficia computatur, ex quo eſt contra bonum prolis generandę, & contra naturam: quia etiam bruta fœtum expectant.

Aborſus ſi ſequatur effectus, eſt caſus epiſcopalis de conſuetudine generali: ſi verò effectus non ſequitur, eſt quidem peccatum mortale, non tamen Epiſcopo eſt reſeruatum. Quęrenti vtrum procurare aborſum ſemper ſit peccatum? Reſpondetur quod procurare aborſum, quando fœtus eſt animatus, etiamſi fiat liberandi gratia mulierem prægnãtẽ à mortę, ſemper eſt peccatum mortale, ad Rom. 3. Non faciamus mala, inquit Apoſtolus, vt veniant

bona

bona:procurare autem aborsum antequam fœtus sit animatus,ne prægnans moriatur, non est peccatum mortale,licet animatio impediatur: quia inde non mors, sed potius vita hominis sequitur, secus si res esset dubia.

Tempus animationis in masculo secundum cõmunem opinionem Doctorum, est spacium quadraginta dierum:in fœminaautem octuaginta dierum computando à die conceptionis,vel circa:Vt de procurans aborsum ante hoc tempus notabiliter,præterquàm in casu supradicto,peccat quidem mortaliter, tamen neque homicida dici potest, neque fit irregularis: procurans verò aborsum post prædictum tempus,vel paulò antè, si sequatur effectus,peccat mortaliter,est homicida, & incurrit irreguralitatem,vt docet D.Thomas.4. sent.dist.31. talis sm̃ iura ciuilia debet capite puniri, quia verus homicida,vel parte bonorum omissa est relegandus,vel si est pauper,condemnatur ad metalla:sm̃ autem ius canonicum huiusœmodi reis, pœnitentia quinque vel septem annorum imponitur, aut trium annorum ad minus,vbi culpa leuis præcessit.

Vtrum verò censeri debeat homicida si dubitatur de fœtus animatione? dico quod in foro contentioso,vbi agitur ad pœnam interpretatio in partem mitiorem fieri debet:sed in foro animę,vbi agitur ad placandum Deum, & ad emendationem, debet se quis homicidam reputare: nam in talibus via tutior est eligenda.

DE ABSOLVTIONE.

ABsolutio est duplex, à peccatis; & à censuris. prima est ordinis, secunda est iurisdictionis. prima solis Sacerdotibus competit, secunda etiam Diacono, quinimo & inferioribus clericis committi potest. prima requirit potestatem ordinis & iurisdictionis, secunda solam potestatem iurisdictionis exigit. prima requirit determinatã formam verborum, quę est ista: Absoluo te à peccatis tuis, secunda non exigit determinatam formam verborum: quia ipsa verba habent efficaciam secundum intentionem dicentis, seu absoluentis, propterea non refert, quibus verbis vtatur ad exprimendam suam intentionem, vt si dicat benedico te siue absoluo te, siue vade in pace, absolutio à censuris tenet, vbi accedit intentio superioris: tamen etiam hæc secundum cõmunem vsum habet determinatam formam verborum.

Forma absolutionis ab excommunicatione, quę vsitatur, est ista: Absoluo te à vinculo excommunicationis, quam incurristi pp tale factum, & restituo te sanctis Sacramentis Ecclesię, cõmunioni, & vnitati fidelium, in nĩe Patris, & Filij, & Spiritus sãcti.

Forma absolutionis à suspensione est hęc, Absoluo te à vinculo suspensionis, quã incurristi pp N. & restituo te executioni ordinum, & officiorũ tuorum, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ea dẽ per omnia est forma absolutionis ab interdicto.

Forma

Forma absoluendi ab irregularitate est ista. Dispenso tecum super irregularitate quam contradixisti propter N. & restituo te ad actus legitimos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Forma absoluendi à peccatis, quę sola est sacramentalis, his verbis exprimitur: Absoluo te à peccatis tuis prę̃mittitur Misereatur &c. ne effectus Sacramenti ex parte pœnitentis impediatur, postponitur In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt ostendatur, quòd Sacerdos non propria authoritate, sed vt minister absoluit: Verùm nec preces prę̃cedentes, nec inuocatio sanctissimę Trinitatis, nec manuũ impositio, nec signum crucis, sunt de necessitate Sacramẽti: his. n. omissis absolutio tenet.

Absolutio ab excommunicatione, semper debet præcedere absolutionem à peccatis: quia excommunicatio maior priuat reum participatione Sacramentorum actiuè, & passiuè. Quare aliquis quam diu est excommunicatus, non potest recipere rem Sacramenti, etsi talis sit Sacerdos, sicque tentet absoluere è peccatis, absolutio est nulla. nã absolutio à peccatis potestatem ordinis, & iurisdictionis, qua excõmunicatus est priuat⁹, simul necessariò requir.

Absolutio à peccatis, siue fiat ante iniunctionẽ satisfactionis, siue post, tenet: Verùm melius est vt fiat post, quòd si confitens satisfactionem iniunctã recuset, adhuc tamẽ venit absoluendus, ne per desperationem in infernum ruat. Item quia licet Sacramentum Pœnitentiæ absque satisfactione non

sit perfectū, quoad partes integrales sue materię: tamen absque ipsa, essentialia Sacramenti saluantur, ideo etiāsi in hac vita desit satisfactio: nihilho minus Sacramentum tenet, & habet suam vim: quia si non hic, in purgatorio satisfiet.

Ab excōmunicatione minori, quilibet Sacerdos ad sacras Cōfessiones audiendas expositus, potest absoluere, secus nō: qa excommunicatio minor est vinculū ecclesiasticū, ꝓpterea in absoluēte de necessitate exigit potestatem iurisdictionis ecclesiasticę: potest tamen Sacerdos ordinatus & non expositus, à venialibus absoluere: quoniam ad hæc remitenda sufficit potestas ordinis.

Absolutio ab excōmunicatione, siue à peccatis facta sub cōditione de futuro, puta dicēdo si satisfeceris, vel feceris talē eleemosynā, absoluo te. &c. non tenet, ꝓpterea à tali est abstinendum: quādoquidē nō est Sacerdotis absoluētis cōferre nunc Sacramētū, & suspēdere effectū illius: Absolutio verò facta sub cōditione de preterito, tenet, vt si dubitatur de absolutione & dicatur, Si non es absolutus, ego te absoluo, &c. nā illa suspendit actum, hęc verò non.

In absolutione à peccatis reseruatis duplex est via ꝓcedendi ipsi Cōfessario, nō habenti talē authoritatē: vna est, vt pęnitens oīa peccata vni Sacerdoti approbato cōfiteatur, vt Confessio sit integra, (cōditio Cōfessioni sacramētali necessaria, vt suū effectū sortiatur) q à quib⁹ poterit, illū absoluet, & ꝓreseruatis remittet illum ad Superiorē, cui tantum

tum reseruata debet cõfiteri,& ab eis petere absolutionẽ;altera via est, vt Cõfessarius in tali casu accedat Ordinariũ, siue scribat ꝓ licentia absoluedi, ab huiuscemodi reseruatis, non nominando psonã & hęc via est longè melior, qua in re Ordinarij non debent se prębere difficiles.

DE ABSTINENTIA.

ABstinentia est subtractio ciborũ ad rationẽ relata, quę si referatur ad sanitatẽ corporis, pertinet ad artẽ medicã, quę pręscribit, quib⁹ cibis in qua quãtitate, & quo tẽpore infirm⁹ vti debeat: si verò referatur sm̃ ꝙ fit ex fide & dilectione Dei adreprimẽdas cõcupiscentias carnales, ad peccatorum deletionẽ, & mentis eleuationẽ in Deum, pertinet ad regnum Dei, & est virtus, 2, Petr. 1. Ministrate, inquit in fide vestra virtutem, in virtute scientiã in scientia aũt abstinentiã. Ad hãc virtutẽ Christus suos fideles hortatur Luc, 21 'Attẽdite, ait, ne grauẽtur corpora vestra crapula & ebrietate. Hãc virtutem D. Paulus amplexus est. 1. Cor. 9. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.

Abstinere à quibusdã cibis tãquã de se malis, vel qa in lege Moysi ꝓhibẽãt, est qdẽ peccatũ, & cõtra Christi doctrinã, iuxta illud ad Colos. 2. Nemo vos iudicet, inquit Apost. in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbathorum, q̃ sunt vmbra futurorum; qia illa euacuata sunt; Abstinere verò à quibusdam cibis, pp causas superius addu-

adductas,& vt melius commodiusque fructus ieiunij acquiramus, est bonum, & ꝓcedit ex doctrina Christi Rom. 14. Bonum est non manducare carnem,& non bibere vinum.

Abstinentia siue subtractio ciborum ordinata & discreta, est virtus, quia pars temperantię, quod si fuerit inordinata, & indiscreta, ita vt sit contra valetudinem, & notabile detrimentum inferat naturę,eo casu est peccatum. Rom. 12. Exhibeatis, inquit Apostolus, corpora vestra hostiam viuentem,sanctam,Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.

DE ACCEPTIONE personarum.

ACceptio personarum est vitium,quo id,quod ex debito iustitię vni est conferendum, alteri exhibetur. Hoc homini est prohibitum in sacris literis, Deut. 1. Nō accipietis cuiusquā pſonā. Prouerb. 18. Accipere personam in iudicio non est bonum. Et Iacob 2. Nolite in personarum acceptione habere fidem Quare acceptio personarum non cadit in iis,quę gratis dantur: quilibet enim de suo potest dare vni,& non alteri, cùm non teneatur, secus autem si ex debito distribueret, D. Thomas prima secund. quęst. 63. art. 1. ad secundum, vnde cùm Deus nulli sit debitor, acceptio personarum in eo locum non habet.

Datio duplex vna quę pertinet ad iustitiam, &

in

in hac, acceptio personarum, locum habet: altera quę pertinet ad liberalitatem, & in hac, acceptio personarum non habet locum, quia de suo homo potest dare cui vult, & quantum vult, iuxta illud Matth. 20. An nō licet mihi facere de meo quod volo? Exempli gratia, Si duo reperiuntur pauperes, & quis eleemosynam faciat pauperi non constituto in extrema necessitate, & non faciat pauperi constituto in articulo necessitatis talis dicitur acceptor personarum, & hoc scienter faciens peccat: si verò neuter est constitutus in extrema necessitate, & quis magis vni, quàm alteri faciat eleemosynam, eo casu non committit peccatum acceptionis personarum.

Acceptio personarum vitium iustitię commutatiuæ oppositum scienter facta in re spirituali, est grauius peccatum, quàm sit acceptio personarum facta in re temporali: quia maius bonum offenditur, exempli gratia: Si Episcopus confert beneficium indigno, & non digno, grauius peccat quàm iudex, qui super re temporali iudicat pro paupere & non pro diuite, ratione tantùm paupertatis ductus, quę tamen iudicem mouere nō debet, Exod. 23. Pauperis quoque non misereberis in iudicio.

Acceptio personarum in re parua, qua proximus non grauatur, est peccatum veniale: in re verò notabili, qua proximus notabiliter grauatur, acceptio personarum est peccatum mortale, ideo euitanda ad imitationem omnipotentis Dei nostri, de

quo

quo scriptum est, Rom. 2. Non est acceptio personarum apud Deum. Item Act. 10. Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.

DE ACCEDIA.

Accedia sm̃ D. Thomã secunda secundę q̃st. 35. art. 2. est tristitia de bono spirituali, & semper est peccatum: quia contrariatur charitati, cuius proprius effectus est gaudere de bono diuino & spirituali. Quandoque accedia est peccatum veniale, vt qñ est solum in motu sensuali, propter imperfectionẽ actus, vel qa est de bono spirituali, ad quod quis non tenetur de necessitate: quandoque est mortale, vt quando accedit consensus rationis, & omittuntur ea, ad quę homo tenetur de necessitate: Vnde ad hoc, quòd accedia sit peccatum mortale, duo requiruntur. Primò, quòd sit de bono spirituali, quod quis tenetur facere de necessitate, propter Deum & ad salutem animæ. Secundò, quòd adsit plenus consensus rationis: nam imperfectio actus excusat à mortali.

Accedia, quæ propriè contrariatur præcepto de sanctificatione sabbati, vt notat Diuus Thomas loco citato, nedum est peccatum mortale ex genere suo, sed etiam vitium capitale, quia ex ipsa multa alia vitia oriuntur, præcipuè sex, s. Malitia, qua bona diuina homo contemnit, & est mortale. Rancor quo displicent alicui homines inducentes ad spiritualia, & est veniale, nisi superueniat odiũ. Pusillanimitas, qua homo se terrahit à bonis

quæ

quę posset prestare timore deficiendi, & est venia-
le, nisi bona essent de precepto. Desperatio, quæ est
difidentia de assequenda beatitudine pp defectum
gię Dei, & propriorum meritorum, & mortale est.
Negligētia agendorum, quæ si est circa opera mi-
sericordie, vel discēdi necessaria ad salutē, vel ꝓcu-
rādi Sacramenta necessaria famila, vel circa corre
ctionē fraternā quandoque peccatum mortale est.
Euagatio mentis in oratione, q̄ est venjale pecca-
tum: tamen in eo qui tenetur ad officium, seu ho-
ras canonicas, puta beneficiati, sacris initiati, & reli
giosi professi, potest esse prccatum mortale.

DE ACCVSATIONE.

IN criminib⁹ indagādis puniendisque, tribus mo
dis, canonicè atq; iuridicè ꝓcedi pōt, videlicet:
inquisitione, denūciatione, & accusatione. Inquisi-
tio super crimine fit p̄cedente infamia: Denuncia-
tio verò & Accusatio fiunt p̄cedente delatione: vn-
de iudex, qui aliter procedit in indagandis, ac pu-
niendis criminibus in foro contentioso, peccat vt-
pote, quia prēter ordinem iuris facit.

Accusatio differt à denūciatione potissimū in qua
tuor. Primò ꝙ accusatio principaliter intēdit puni-
tionē peccātis ad iustitiā cō seruādā: denūciatio aū
principaliter intēdit emēdationē peccātis. Secūdo
ꝙ accusatio saltē in foro cōtentioso potest fieri absq;
p̄cedēte admonitione: denunciatio verò nō potest
fieri, nisi monitione p̄missa, iuxta p̄scriptum Euā-
gelicū Mat. 18. qa in ea principaliter intēditemē-
datio ꝓximi delinq̄ntis. Tertiò ꝙ accusatio debet

fieri

fieri in scriptis: denunciatio autẽ vocetenus. Quarto, quòd accusatio includit pœnam talionis, hoc est eandem retributionem mali: denunciatio verò non includit pœnam talionis, etiam si denuncians deficiat in probatione, vnde accusatio non debet esse, nisi de re certa. Homo tenetur accusare crimen, alterius sub pœna peccati, vbi tria simul concurrunt. Primò, quòd crimen vergat in detrimentum spirituale, seu corporale Reipublicę: nam si crimẽ est priuatum, regulariter solus ille, cuius interest potest reum accusare. Secundò, quòd sufficienter probare possit. Tertiò, quòd crimen aliter emendare non possit: quia iuxta mandatum Domini, processumque euangelicum, priùs oportet procedere ad emendationem peccãtis, quàm ad iustitiam conseruandam.

Accusatio criminis alterius, vt fiat absque peccato, debet esse vel propter bonum commune, vt inde cęteri quietè & honestè viuant, vel propter suum interesse: vnde si quis alia intentione proximum suum accuset in foro contentioso, peccat. Clericus ad vindictam publicam proximum accusare non debet, etiam si pœna sanguinis non venit imponenda: si verò prosequitur iniuriam propriã, potest proximum suum accusare, etiam si ratione criminis imponenda esset pœna sanguinis, dummodò præcedat protestatio, quòd non ea intentione accuset, & sic non incurrit irregularitatem.

Accusatus seruato ordine iuris tenetur sub reatu

reatu lethalis criminis dicere ueritatem, secus autem si contra formam iuris procedatur, exempli gratia: si accusatus non sit subiectus, uel crimen sit occultum, cuius solus Deus est iudex, ita ut non præcesserit infamia super crimine, neque semiplena probatio, neque appareant indicia, & eo casu reus celando ueritatem, atque crimen proximi, a fortiori suum, non peccat: sed benè iudex, qui usurpat sibi iudicium diuinum, de occultis enim non habemus iudicem, nisi Deum.

DE ADIVRATIONE.

ADiurare est personam, siue rem inducere ad aliquid faciendum, uel non faciendum ex inuocatione alicuius rei sacrę: unde adiuratio est actus latriæ, quia per eam intenditur reuerentia diuini nominis.

Adiurare contingit dupliciter, uidelicet: obsecrando, & imperando. Primo modo Diuus Paulus adiurauit Romanos, ut habetur in epistola ad eos scripta, cap. 12. Secundo modo Caiphas Christum Dominum adiurauit, ut legitur Matth. 16. Adiurare primo modo, est inferioris: adiurare uerò secundo modo, est superioris.

Adiurare Deum per modum deprecationis, licet, ut facit Ecclesia in Letanijs, non autem sic dæmones: quia talis adiuratio includit amicitiam, & societatem, quam habere cum dæmonibus prohibitum est 1. Cor. 10. Nolo vos, Apostolus inquit

fieri

fieri ſocios dęmoniorum ſed eos licet adiurare *im*perando, atque per modum compulſionis, puta vt exeant à corporibus humanis, & quòd nõ inferant nocumentum creaturę rationali, non tamen ad aliquid conſequendum, puta diuitias, vel ſcientias, hoc modo Necromantici vtuntur adiurationibus & inuocationibus dęmonum, nempe ad aliquid addiſcẽdum, vel adipiſcẽdum ab eis, & hoc eſt mortale peccatum. Adiurare creaturas irrationales, ſecundùm ſe non licet, in ordine verò ad Deũ à quo mouentur, licet eas adiurare per modum deprecationis, vt ad facienda miracula. Item licet eas adiurare in ordine ad dęmones per modum compulſionis, vt fit in exorciſmis, per quos poteſtas dęmonum ab irrationabilibus creaturis excluditur.

Adiuratio quinque modis eſt illicita. Primo, ſi fiat imperatiuè ad non ſubditum, & eſt peccatum mortale. Secundo, ſi fiat ad dęmones deprecatiuè, & eſt peccatum mortale, Tertio. ſi fiat ad dæmones imperatiuè ad aliquid diſcendum, vel per eos conſequendum, & eſt peccatum mortale. Quarto, ſi fiat ad irrationales creaturas ſecundùm ſe: quia tales ab alio aguntur ad proprias operationes, & eſt peccatum veniale. Quinto, ſi fiat ad Deum, vel homines, vel Angelos, non ex neceſſitate, ſed ex leuitate: quia eſt contra præceptum ſecundum Decalogi in ordine, & eſt peccatum veniale.

DE

DE ADOPTIONE.

ADoptio est personę extraneæ in filium, siue nepotem, vel deinceps assumptio, quę duobus modis fit, nempe authoritate principis, seu magistratus, & propria voluntate, siue authoritate priuata. Adoptatus primo modo succedit patri ab intestato in hęreditate, nec eum sine causa admissa in iure, quarta parte hæreditatis priuare potest: adoptatus verò secundo modo, non succedit parenti ab intestato, neque ei pater aliquid in testamento tenetur relinquere.

Adoptare secundùm iura nequeunt. Primò, qui habent naturale impedimentum ad generandum. Secundò, qui non sunt sui iuris, sed constituti in potestate aliena, vt filij familias. Tertio, qui sunt minores viginti quinque annis: nam adoptans debet excedere adoptatum octodecim annis, ita vt naturaliter possit esse pater adoptati. Adoptare in fratrem, sororem, vel patrem, nullus potest: quia contra naturam. Item adoptari, consanguineis non competit. D. Thom. 4. sentent. quia tales naturaliter sunt hęredes.

Adoptionis effectus secundum ius ciuile & canonicum, est impedire matrimonium inter aliquas personas simpliciter, vel ad tempus, & etiam dirimere secundùm communiorem opinionem: ratio autem huius prohibitionis fuit cohabitatio quę solet esse inter tales, si enim ad eas liceret copu

la, facilè pateret aditus concupiscentiæ.

Huius cognationis legalis, vt docet D. Thomas, tres sunt species. Prima, est inter adoptantem, & adoptatos, quę indistinctè impedit in perpetuum, etiam soluta adoptione: nunquam enim adoptans potest contrahere cum filia adoptata. Secunda est inter filiam naturalem adoptantis & adoptiuum, quę impedit quamdiu durat adoptio: soluta autem per mortem patris, vel per emancipationem, non impedit. Tertia est inter patrem adoptantem & vxorem filij adoptiui, & inter filium adoptiuũ, & vxorem patris adoptantis, quę perpetuò impedit, etiam post emancipationem.

DE ADVLATIONE.

ADulatio est excessiua laus alterius, verbis, vel factis in presentia ad delectandum ordinata, propterea ex genere suo peccatum est, Eccles. 11. Non laudes virum in specie sua. Item 1. ad Thessal. 2. Neque enim aliquãdo fuimus in sermone adulationis, sicut scitis. Hoc vitium adulationis Deo summopere displicet, iuxta illud, Psal. 52. Deus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos.

Adulatio tribus modis potest esse peccatum mortale. Primo ratione materiæ, vt si quis laudet aliquem de actu peccati mortalis, puta de blasphemia, de fornicatione, hoc genere adulationis vitari iam mundus, Psal. 9. Laudatur peccator in de-

sidę-

fiderijs animę ſuę,& iniquus benedicitur. Secũdo ratione finis, vt ſi quis laudet alium animo nocendi, ſiue decipiendi ſpiritualiter, aut corporaliter quo genere adulationis vſi ſunt Iudęi erga Chriſtũ, Marc. 12. Magiſter, ſcimus qa verax es, & non cures quenquam, nec enim vides in faciem hominum, ſed in veritate viam Dei doces, quod vitium Dominus detegens, dixit illis: Quid me tentatis? ſciens verſutiam illorum. Tertiò, adulatio eſt peccatum mortale, vt quãdo quis laudat alium, vt inde prebeat ei occaſionem peccandi mortaliter, hoc genere adulationis vſus eſt dæmon in paradyſo terreſtri, erga prothoparentes noſtros, Geneſ. 3. Aperientur oculi veſtri, & eritis, ſicut dij, ſcientes bonum & malum.

Adulatio quandoque eſt peccatum veniale, vt ſi delectãdi gratia alios tantùm ſit, vel ad euitandum aliquod malum, vel ad conſequendum aliquod bonum in neceſſitate, intellige, ſi non ſit occaſio ruinæ, neque de materia mortali. Quinimò ſi quis alium laudat non ea intentione, vt alteri præbeat occaſionem peccandi mortaliter, & det operã relicitę, non eſt ei imputandũ: abſtinendum tamẽ eſt, quantum fieri poteſt ne nimis ſẽtes laudemus, Eccleſ. 11. Ante mortẽ ne laudes hominẽ.

DE ADVLTERIO.

ADulterium quod nil aliud eſt, quàm alieni thori violatio, tripliciter committitur. Pri-

mò, quando vir coniugatus accedit ad coniugatam mulierem. Secundò, quando solutus accedit ad coniugatam. Tertiò, quando coniugatus accedit ad mulierem solutam: vnde adulterium quandoque dicitur simplex, quandoque dicitur duplex. Simplex, vbi alter tantùm est coniugatus. duplex, vt cùm vtraque pars est coniugata, & tunc est grauius peccatum.

Adulterium est prohibitum lege naturę, Tob. 4. & Matth. 7. lege scripta, Exodi 20. & Leuit. 20. lege euangelica, Matth. 19. & 1. Corinth. 6. lege canonica adulteris secundùm iura antiqua imponebatur pœnitentia septem annorum, & iam tales nisi resipiscant, veniunt excommunicandi. Lege ciuili, vxor adultera perdit dotem, vir perdit donationes factas propter nuptias, & filij nati ex adulterio priuantur hæreditate, ac omnibus dignitatibus, vt ad eas promoueri nequeant. Mulier committens adulterium, simpliciter loquēdo, plùs peccat quàm vir, propter incertitudinem prolis, quæ non sequitur ex adulterio viri, propter scāda lum, & quia ipsa mulier plura retrahentia se à tali peccatò habet, nēpe timorē Dei, & timorē viri, cui, est subiecta, & nō è cōtra, quā habeat vir: quo verò ad dominiū rationis, plus peccat vir adulterando quā vxor, sed quantum ad fidem matrimonij, æqualiter peccāt, D. Thomas 4. sent. dist. 25 art. 4

Adulterium nō soluit Matrimoniū quo ad vinculum essentiale, sed solùm quo ad thorum

&

& cohabitationem, Matth. 5. Quicunque dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat: ergo adulterium ex Christi doctrina, non soluit vinculum Matrimonij, ita vt alter possit cum alia contrahere, sed solùm soluit Matrimonium quo ad thorum & actum coniugalem.

Vinculum Matrimonij si est ratum, non dissoluitur, nisi per ingressum religionis approbatæ secuta professione: quod si est consummatũ, vinculum eius non dissoluitur, nisi per mortem alterius coniugis. Roman. 7. Mulier viuẽte viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri: vnde si coniugatus mortuus suscitaretur, de nouo deberent contrahere, vt esset inter illos Matrimonium, secus de Baptismo & de Ordine: quia hęc imprimunt characterem, Matrimonium verò non.

Casus in quibus vxor propter adulterium commissum non potest accusari, minus dimitti, cõmuniter ponuntur septem. Primò, si maritus vxorem prostituit, vel sciuit, & non prohibuit, cùm tamen potuerit: secundò, si vxor credẽs maritum defunctum, alteri nupsit, eo casu maritus rediens, tenetur eam recipere: tertiò si fuit cognita ab alio latenter, quem credebat proprium virum: quartò, si fuit vi oppressa: quintò, si vir eam sibi recõciliauit post adulterium: sextò, si etiam maritus conuincitur de adulterio: septimo, si infidelis vxorẽ infidelẽ dimit-

tat, & illa alteri nubat, si postea vterque conuertatur ad fidem, maritus tenetur eam recipere.

DE AFFINITATE.

AFfinitas est quędam personarum propinquitas ex carnali copula, vel ipsius potestate proueniens, omni carens parentela: vnde affinitas ex tribus oritur, nempe ex copula carnali matrimoniali, ex copula carnali fornicaria, & ex Matrimonio rato, etsi non consummato.

Affinitas proueniens ex copula matrimoniali, siue ex Martimonio rato impedit, & dirimit Matrimonium de facto contractum vsque ad quartum gradum inclusiuè, sicut consanguinitas: nam ratione huius omnes consanguinei vxoris efficiuntur affines marito, & è contra in eodē gradu, quo erant consanguinitate iuncti: Affinitas autē proueniens ex copula fornicaria, impedit, & dirimit solùm in primo & secundo gradu, vt habetur in sacro Concil. Trident. sess. 24. de reform. cap 4

Affinitas cùm sit multiplicis generis, sola illa q̄ est primi generis, impedit, & dirimit Matrimonium de facto contractum, si precedat, prout suprà. Affinitas primi generis est illa, q̄ cadit inter consanguineos viri & vxorem, & inter consanguineas vxoris & virum, inter quas personas vsque ad quartum gradū inclusiuè cōtrahere Matrimonium prohibitum est: affinitas verò secundi generis est illa, q̄ cadit inter consanguineos coniugum

&

& hęc innullo gradu impedit, minus dirimit. exẽpli gratia: frater non potest ducere vxorem fratris defuncti: potest tamen ducere sororem vxoris fratris: quia cum vxore fratris est in primo gradu affinitatis primi generis, cum sorore autem vxoris fratris, est in primo gradu affinitatis secundi generis, quę in nullo gradu impedit.

Ex sponsalibus legitimè celebratis, causatur iustitia publicę honestatis, quę modo, vt habetur in Concil. Trident. sess. 24. de reformat. cap. 3. ad solum primum gradum se extendit, verbi gratia: si inter Petrum & Margaretham fuerunt celebrata sponsalia canonicè, deinde Petrus contrahat cum Vrsula sorore Margarethæ, Matrimonium est nullũ, ex Matrimonio verò siue cõsummato, siue rato oritur impedimentum, quod se extendit vsque ad quartum gradum inclusiuè inter consanguineos viri & vxorem, & inter vxoris consanguineas & virum: ita vt nullus consanguineus viri vsque ad quartum gradum possit contrahere cum eius vxore ipso mortuo, neque è contra.

DE ALCHIMIA.

ALchimia est ars transmutandi metalla, quo ad substantiã & qualitates, seu proprietates naturales, verè, vel apparenter. Vtrum aũt per artẽ possit fieri verum aurum, seu argẽtum, doctissimi viri dubitant, & potius tenent quòd non quantũ ad essentiam, & quo ad oẽs proprietates auri vel

argenti, licet quo ad aliquas possit cõtingere, hoc est apparenter, non autẽ existẽter: rõ est ista, quia ars prẽcisè non põt vnã specie naturalem mutare in aliã speciem, sed benè interueniẽte aliqua operatione naturę, vt pistor inducit formã panis, & figulus formã lateris per operationem ignis: modò forma substantialis auri & argenti non est per calorẽ ignis, quo vtuntur Alchimistę, sed per calorẽ Solis & in loco determinato vbi virtus mineralis viget: Vnde mihi videtur, ꝙ dantes operã tali, arti hauriant, vt dicitur, aquã cribro, & sæpe nõ plumbum in argentum, neque aliud genus metalli in aurũ cõuertũt, sed potius argentũ, & aurum in fumum, taliter, vt ex Alchimistis lachrymistę fiant.

Ars alchimię secundum aliquos, videtur esse licita, dummodò non fiat per artem magicam, sed virtute elementorum & herbarum, nam metalla omnia procedunt ex eodem principio, videlicet: ex sulphure, & argento, viuo at in habẽtibus symbolum, facilior est transitus ab vno in aliud, ꝓpterea arte alchimię, vna species metalli poterit mutari in aliam speciem metalli, etiã auri, quod est omnium metallorum perfectissimũ, quãtum ad aliquas qualitates & proprietates, non tamen quantum ad substantiam, & omnes eius proprietates naturales, pro quo Alchimistę sudant quęrentes Calendas grẽcas. Quare consultius est abstinere à tali arte, quę vel est impossibilis, vel p̃ se fert amicitiam & societatẽ dęmonum, cuilibet Christiano

no prohibitũ D:Thomas 2. 2. quęst. 77.art. 2.ad 1. in. 2. dist. 7.quęst.3. art. 1.de po. quæst. 6. art. 1.ad 18 videtur sentire,quod neque verum aurũ, neq;verum argentum per artem fieri possit propter suam perfectionem, licet possit fieri aliquid propinquum auro & argento,vnde vendere illud quod fit per artem alchimię pro auro vero vel argento,est illicitum & peccatum : quia venditur id, quod non est,pro eo quod in rei veritate est,sicque proximus decipitur:propterea summa Ang.habet quòd hæc ars sit simpliciter damnanda, & reijcienda.

DE ALIENATIONE.

ALienatio est omnis actus, per quem dominium transfertur.In iure prohibentur alienare. Primò amentes & furiosi. secundò prodigus tertiò minores viginti quinque annis.quartò filij familias,nisi habeant peculium castrense. quintò serui & monachi, qui nihil proprij habent. sextò vxores,si non habent vltra dotẽ. septimò prelati, bona Ecclesię tàm mobilia,quã immobilia alicuius conditionis,alienare nequeunt, nisi in casibus & modis in iure expressis. octauò qui crimen lęsę maiestatis humanæ commiserunt:nonò qui crimẽ lęsę maiestatis diuinę commiserunt, vt hæretici, quorum bona ipso facto sunt confiscata.

In alienatione rerum ecclesiasticarum, vt sit canonica,& teneat,quinque requiruntur. Primò,

tracta-

tractatus an expediat, vel non: secundò consensus Capituli: tertiò vtilitas Ecclesiæ: quarto authoritas superioris: quintò subscriptio manu notarij, quę forma seruanda est in alienatione rerum immobilium Ecclesiarũ cathedralium & collegiatarũ, non autẽ in alienatione Ecclesiarum inferiorum: quia in huiusmodi consensus Superioris sufficit.

Causæ alienandi bona Ecclesiastica, communiter à sacris doctoribus quatuor ponuntur, videlicet: Necessitas, vt si debita vrgeant, & de fructibus Ecclesię non possit satisfieri. Vtilitas vt si melior res habetur. Pietas, vt pro redemptione captiuorum apud Turcas, vel alimonia pauperum in extrema necessitate constitutorum. Incommoditas, vt si res magis sit damnosa, quàm vtilis.

Episcopus regulariter circa administrationem & alienationem rerum temporalium, sine quibus spiritualium dignitas non facilè consistere potest aliquid absque consensu vel consilio Capituli statuere nequit: ex quo Prælatus ita se habet ad Capitulũ, velut caput ad mẽbra: In eo autẽ videt esse cõsẽsus Cap. cui maior & sanior accesserit sẽtẽtia.

Prælatus rerum ecclesiasticarum procurator est, non Dominus: vnde conditionem Ecclesiæ, meliorem quidem facere potest, deteriorem verò nõ potest. Quod si secus factum fuerit, gesta non tenent, & contrafacientes, canonum pœnas incurrunt: Alienationis aũt nomine venit hoc loco venditio permutatio, hypotheca, donatio, cõductio, em-

phy-

phytenſis, & omnis conuentio, per q̃ dominiũ rei transfertur, vel pro ſemper, vel ad longum tempus: ita vt propter temporis longitudinem, iuris eccleſiaſtici pereat memoria: quia prouentus eccleſiaſtici ad modicum tempus, & ad prẽcariam vendi & concedi poſſunt, ſic vt venditiones & prẽcariæ de quinquennio in quinquennium renouentur, vt etiam notat Lancellotus in ſuis inſtitutionibus iuris canonici.

Eccleſiam ſibi commiſſam nullus pro alienis debitis poteſt grauare, aut literas alicui, vel ſigillum concedere, quibus Eccleſia poſſit obligari, & qui tale quid fecerit, à ſpiritualium & tẽporalium adminiſtratione, iuxta ſacrorum canonum diſpoſitionem, eſt ſuſpendendus, nec Eccleſia ad talium debitorum ſolutionem tenetur: debita tamẽ à prædeceſſore ſuo pro Eccleſiæ neceſſitate contracta, ſoluere proculdubiò tenebitur.

DE ALIMENTIS.

ALimentorum nomine veniunt etiam veſtimenta, calciamenta, medicinæ & huiuſmodi. Similiter nomine alimoniæ veniunt omnia vitæ neceſſaria nẽpe cibus potus, veſtes, medicinæ & alia id genus, nõ aũt appellatione cibariorum.

Ad alimenta præſtanda primo tenentur parentes erga liberos ſuos, & è contra liberi erga ſuos parentes: fallit autem quando filij poſſunt ſibi ſufficere vel ex bonis vel ex artificio. Idem de filijs er

ga parentes ſuos, cenſeri debet, nec diſtinctio illa habet locum, an ſit mancipatus vel ne, an legitimus ~vel non: quia parentes de Iure canonico, etiã ſpurios alere tenentur. Secundò vir tenetur alere uxorem, & ~vxor virum, intellige quando ~vir eſt inops, & vxor locupleſ. tertio frater tenetur alere fratrem ſuum etiam naturalẽ, ſi egeat. quartò Dominus tenetur alere ſeruum ſuum. quintò ſocer nurum ſuam. ſexto tutor tenetur alere matrẽ pupilli & ſororem egentes: alimenta tamẽ prout Doctores communiter notant debent prẽſtari ſecundum conſuetudinem regionis, & facultatem debentis Bar. in tract. de duobus fratribus.

Parentes tenentur filios ſuos alere prẽter quam in quinque caſibus. primò ſi filius patrem & matrem accuſauit. Secundò ſi parentes ipſi egent. tertiò ſi filius crimen ingratitudinis contra patrem vel matrem commiſit. quartò ſi filius habet artem, vel aliud vnde honeſtè viuere poteſt. quinto quoties ſubeſt aliqua cauſa, ob quam pater Iure filium exheredare poſſet: in his enim Caſibus parẽtes liberantur ab onere prẽſtandi alimenta filijs ſuis.

DE ALTARE.

ALtare tam ſtabile, quàm portatile, non debet eſſe ligneum, ſed lapideũ, ratione myſterij: nam in ipſo Chriſtus immolatur, qui lapis dicitur, ~vt habetur ad Epheſ. 2. primi qui ædificauerunt altaria, fuerunt Noe, Iſaac, Abra-

Abrahã,& Iacob,vti legitur Gene.8.12.& 33.cap.

Inſtituere altare tàm ſtabile quàm portatile, quo ad conſecrationem,eſt ſolius Epiſcopi: Vnde in Eccleſia cõſecrata,nullus poteſt erigere altare, neque erectum deſtruere ſine licentia Epiſcopi. Altare non cõſecratur abſque reliquijs Sãctorum: tamen appoſitio ſacrarum reliquiarum,non eſt de neceſſitate conſecrationis altaris, tenet enim ſi fiat ſine his.

Altare in Eccleſia Dei fit propter tria. Primò, ad Sacramẽtum,& ſacrificium Deo offerẽdum,Geneſ. 8. AEdificauit Noe altare Domino, & tollẽs de cunctis volucribus & pecoribus mundis,ob tulit ſuper altare:nunc autem in ipſo corpus & ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti offeruntur. Secundò,ad inuocandum nomen Dei,Geneſ.12.AEdificauit Abraham altare Deo,qui apparuit ei,& inuocauit ibi nomen Domini,nunc hęc inuocatio dicitur Miſſa,quæ ad altare fit. Tertiò, ad cantandũ & laudandum Deum. Eccl.47.Dedit illi cõtra inimicos patiẽtiam,& ſtare fecit contra altare cantores, & in ſono eorum fecit dulces modulos: nunc horæ canonicę ante altare in choro decantantur.

Altare ſtabile quatuor modis execratur ſeu violatur,ita vt tunc licitè in eo celebrari nõ poſſit,niſi prius fuerit recõſecratũ. Primò, ſi cõtingit enormis fractura in altari. Secundo, ſi amoueantur lapides,quibus altare eſt cõpaginatũ,ita vt ex tali amotione formã altaris amittat. Tertiò,ſi motaſuit iun-

ctura

ctura, qua mensa stipiti adhæret: quia in coniunctione præcipuè est consecratio altaris. Quarto, si frangatur vel amoueatur, vel minuatur signum sepulchri, vbicunque sit sigillum: Altare verò portatile tribus modis violatur. Primò, per remotionem lapidis à ligno. Secundo, quando mouetur sigillum sepulchri existentis in lapide. Tertiò, si lapis notabiliter frangatur, non autem execratur per hoc, quod excommunicatus, vel degradatus in eo celebrauerit.

Ecclesia execrata, non execrantur altaria, neque execratis altaribus, execratur ecclesia: quia diuersæ sunt consecrationes altaris & ecclesiæ: vnde si cadant parietes, ecclesia debet reconsecrari non autem altaria, licet polluta Ecclesia per effusionem sanguinis, vel per effusionem seminis humani polluatur altare stabile (portatile non) & indigeat reconciliatione. Item polluta Ecclesia, polutum est & cœmiterium, polluto tamen cœmiterio, non est polluta Ecclesia: quia ignobilius, non trahit ad se nobilius.

DE APPELLATIONE.

APpellatio est à minori iudice ad maiorem prouocatio, quæ est adinuenta vt defensio, seu præsidium quoddam innocentiæ, duplicemq; effectum operatur, scilicet, deuolutionem, ac suspensionem causæ; vnde si iudex à quo appellationem legitimam non admittit, deponitur secundùm iu-

ra

ra ab officio, quod si dubium sit, vtrum sit legitima nec ne, eo casu iudex à quo debet dicere, Admitto si & in quantum de iure debeo.

Appellatio si fit in continenti, iudice in eadem figura iudicij existente, sufficit vt fiat viua voce, quod si non fit illicò debet esse inscriptis per libellum appellatorium intra decem dies, computando à die sententiæ, qui quidem libellus debet continere nomen appellantis, aduersarij, iudicis à quo & iudicis ad quem est appellatum. Appellatio secundùm leges, ac propriè fit tantùm post definitiuam sententiam, ab interlocutoria enim, & à grauaminę quod per sententiam definitiuam reparari potest, non appellatur.

Terminus prosequendę appellationis triplex ponitur in iure. Primus qui statuitur ad iter capiendum. Secundus qui statuitur ad se præsentandum iudici, ad quem est appellatum. Tertius qui statuitur ad prosequendum corã iudice ad quem. Primus, & secundus terminus potest prefigi, & limitari à iudice, & appellãs tenetur huiusmodi prę fixos terminos seruare, secus appellatio videtur deserta: tertius verò terminus statuitur à lege, & est annus vel biennium ad summum: Appellãs tamen debet apostolos petere intra triginta dies, secus appellatio videtur deserta.

Appellatio in multis casibus reijcitur & est nulla. Primò, si non est interposita infra decem dies à sententia lata. Secundò, si est ab interlocutoria, vel

ab

ab aliquo grauamine ante ſententiam definitiuã, per quam tale grauamen poteſt reparari, ſecus de grauamine quod per ſententiam definitiuam reparari nõ poteſt, puta tortura. Tertiò, ſi eſt à mero executore (niſi modum excedat, vel citius exequatur, quàm habeat in mandatis.) Quartò. ſi eſt à criminibus enormibus. Quintò, ſi res dilationem non patitur, verbi gratia: vt teſtamentum non aperiatur, vel hęres inſcriptus in poſſeſſionem, non mittatur, & in alijs caſibus, qui celeritatem requirunt, appellatio reijcitur, ita vt illa non obſtante iudex ad executionem ſententiæ procedat. Sextò, ſi reus eſt conuictus & confeſſus de crimine. Septimò, ſi appellatio deficit in forma, qa ſcilicet non continet à quo, aduerſus quem, à qua ſententia, & ad quem.

DE APOSTASIA.

APoſtaſia communiter à ſacris Doctoribus ponitur triplex, ſcilicet: Perfidię, Inobedię tiæ, & Irregularitatis, Perfidię, vt quãdo quis recedit ſponte à fide Catholica, quam ſemel eſt profeſſus ex toto: quia ſi ex parte recedit à fide, hęreticus dici debet, Inobedieutię, vt quando quis Superiori, cui tenetur obedire, renuit. Irregularitatis, quę duplex eſt, vna, qua quis à ſtatu clericatus recedit: altera, qua qs à ſtatu aſsũptę religiõis approbatę recedit. Omiſſis itaq; apoſtaſia à fide & ab inobedię tia, iã prĩcipaliter de apoſtaſia tertij gñis ſermo erit.

Apo-

Apostasia à statu clericatus propriè competit solum Clericis constitutis in sacris, non autem Clericis constitutis in minoribus: nam tales possunt impunè seculariter viuere, & in totum ordini clericali verbo vel facto renunciare, sed in tali casu amittunt beneficium, si quod habent, & priuilegium clericalis fori: constituti enim in minoribus, habentes beneficium, possunt cogi, & debent ab Ordinarijs, vt gestent habitum & tonsuram clericalem.

Clerici constituti in sacris fiunt apostatę, per solam dimissionem habitus clericalis, animo viuendi laicaliter: secus si alia ratione, vtputa propter paupertatem vel animo euadendi pericula, in tali casu Clericus constitutus in sacris, qui non fert habitū & tonsuram, quibus à laicis Clerici distinguuntur, non dicitur apostata, neque mortaliter peccat. Apostasia à statu assumptę religionis approbatę, non cōuenit nouitio constituto in probatione: quia talis potest exire sine peccato, sed solùm in professo cadit, ita vt ille religiosus dicatur apostata, qui professus exijt temerè à monasterio, cum intentione non reintrandi illud vel aliud, sed viuendi irreligiosè, puta clericaliter, seu laicaliter, seu inobedienter.

Apostatæ à fide sunt excommunicati, & eorum subditi à dominio, iuramentoque fidelitatis sunt absoluti, item eorum bona sunt confiscata, & accedente pertinacia, morte veniunt afficiēdi. Apostatę ab obedientia excommunicantur, deponuntur, & vbi nolūt resipiscere, brachio seculari tradūtur.

apostatæ à clericatu sunt infames, ideo ab accusatione & à testimonio in iure repelluntur, & sunt priuati priuilegio clericalis fori, quod si admoniti non se emendauerint, sunt deponendi. Apostatæ à religione, si habitum dimiserint, sunt excommunicati, & si in apostasia sacros Ordines recipiunt, executionem non habent, & cum ipsis solus Papa dispensat, similiter quantum ad hoc cum Clericis tales religiosi apostatæ sunt compellendi à suis superioribus, vt ad religionem seu ordinem redeant, inuocato etiam auxilio brachij secularis, si opus fuerit, ut habetur in Concil. Trident. sess. 25. Cap. 19, de regul. & monial.

DE AQVA BENEDICTA.

AQua benedicta siue sancta in noua lege duplex est, vna quæ benedicitur à solo Episcopo cum vino & cinere: altera quæ à simplici Sacerdote benedicitur cum sale, illa est ordinata ad reconciliationem Ecclesiæ pollutæ sanguine, vel semine humano, ista est ordinata ad remouenda ea, quæ effectum Sacramẽtorum imprimere possunt, puta peccata venialia, & nequitiam dæmonum: vnde exorcismus datur contra impugnationem dæmonum interiorem, aqua verò benedicta datur cõtra eorũdẽ ipugnationẽ exteriorẽ.

Aqua non benedicta, adiũcta aquæ benedictæ, si sit minor in quantitate, efficitur benedicta in infinitum, idem dicendum venit de oleo non cõsecrato

secrato, si addatur oleo consecrato: si verò aqua addita, sit maior, vel æqualis in quãtitate, neutra erit benedicta. Quærenti autem, quare aqua non benedicta, addita benedictæ, efficitur tota benedicta, & tamen vinum additum sanguini in calice, non efficitur sanguis? Respondetur: quia benedictio aquæ est longè diuersa à benedictione vini, quæ fit in sacrificio Missæ. nam illa fit sine transubstãtiatione rei benedictæ: ista verò est cum transubstantiatione rei benedictæ, aqua enim benedicta remanet aqua, similiter oleum consecratum, remanet oleum: sed vinum consecratum, non remanet vinũ propterea non est mirum, si aqua addita efficiatur benedicta, & quod vinum appositum sanguini, non fiat sanguis: Quinimò, si tantum vini apponeretur, quòd accidentia illa prima eadem numero, non remanerent, desineret ibi esse sanguis Christi.

Aquæ benedictæ, siue sanctę, communiter à sacris Doctoribus triplex ponitur effectus. Primus est remissio peccatorum venialium. Secundus est auersio insidiarum diaboli. Tertius est defensio à malis phantasmatibus nocturnis.

DE ARCHIDIACONO.

ARchidiaconi officia de iure communi sunt ista: Primo iurgia minora clericorum audire, ac punire: maiora autem referre. Secundò, examinare & præsentare Clericos ad Ordines promouẽdos. Tertiò, installare, seu in possessionẽ Prælatos,

Abbates,& Abbatissas iducere. Quartò,singulis tribus annis,si Episcopus non potest, Clericos visitare. Quinto habere curam cleri,tàm in vrbe, quàm in parochijs:nam Archidiaconus ecclesię cathedralis,de iure communi post Episcopum, est Vicarius in omnibus. Sextò,absente Episcopo, potest dare literas commendatitias,seu dimissoriales promouendis ad Ordines. Prędicta ergo potest Archidiaconus ecclesię cathedralis,nisi consuetudo præscripta (cui stabitur) aliter disponat.

Archidiaconus non debet esse necessariò Sacerdos,sed sufficit, quòd sit Diaconus: vnde ipse ratione officij, etiamsi non sit Sacerdos,potest habere curam animarum in foro exteriori,non tamen potest habere curam animarum in foro pœnitentiæ: non enim possunt absoluere,neque alia Sacramẽta per se conferre, sed huiusmodi munera Archidiaconi possunt Sacerdotibus demandare.

Institutio ad curam animarum in iure ponitur triplex,authorizabilis, corporalis,& collatiua. Prima pectat ad solum Episcopum: vnde nullus præsentatus,neque is, cui est collata ecclesia, debet administrare ante talem institutionem,secus secundũ iura, talis venit amouendus: secunda de iure communi, pertinet ad Archidiaconum:ipsius enim est institutos in possessionem inducere:tertia de consuetudine etiam Archidiacono competit. Verùm secunda & tertia institutio ad curam animarũ exercẽdã, sine prima sunt inualidę,nullę, ac surreptitię.

DE

DE ARCHIEPISCOPO.

ARchiepiſcopi ſecundum Iura antiqua potè rant Diœceſes ſuorum Epiſcoporum Prouincialium viſitare, Pontificalia exercere, & cognoſcere in cauſis ipſorum Epiſcoporum pro criminis obiecti qualitate, non tamen definire, minus ad illorum depoſitionem procedere: ſecundum verò Iura noua maximè ſacri concilij Tridentini decreta, Archiepiſcopi non poſſunt cathedrales eccleſias aut Diœceſes ſuorum conprouincialium viſitare, niſi cauſa cognita, & probata in concilio prouincia li, vt habetur ſeſs. 24 de reform. cap. 3. Itē nec Pontificalia in aliena Diœceſi abſq; licentia Epiſcopi Diœceſani exercere, minus cognoſcere in cauſis ſuorum Epiſcoporum Prouincialium, ſicut decernitur ſeſs. 13. de reform. cap. 8. vbi legitur: cauſę Epiſcoporum cum pro criminis qualitate cōparere debeant, coram Pontifice maximo referantur ac p ipſum terminētur. Et infra ſeſs. 24. de reform. cap. 5. ſacroſancta œcumenica & generalis tridentina ſynodus ſic decernit: cauſę criminales grauiores contra epiſcopos etiam hęreſis (: Quod abſit) quę depoſitione aut priuatione dignę ſunt, ab ipſo tantum Summo Romano pontifice cognoſcantur & terminentur. Quòd ſi eiuſmodi ſit cauſa, quæ neceſſariò extra Romanam curiam ſit committenda nemini prorſus ea committatur niſi Metropolitanis, aut Epiſcopis à Beatiſſimo papa eligendis: hęc

verò commissio et specialis sit, et manu ipsius Sanctissim Pontificis signata, nec vnquàm plus his tribuat quàm vt solam facti instructionem sumant, processumque conficiant quem statim ad Romanum Pontificem transmittant, reseruata eidem Sanctissimo sententia diffinitiua: Minores uero Criminales causæ Episcoporum in Concilio tantum prouinciali cognoscantur & terminentur, vel à deputandis per Concilium prouinciale: Vnde iam nedum definitio, sed nec cognitio causarum Episcoporum, Archiepiscopis permittitur.

Episcoporum vnus est Ordo, quamquam inter ipsos sit aliqua graduum differentia, ita vt aliqui Patriarchæ, aliqui Primates, aliqui Archiepiscopi & aliqui Episcopi simpliciter dicantur, quorum diuisio, mera apostolica traditio est, & non diuina: Hinc potestas Patriarcharum, Primatum & Archiepiscoporum non est alterius generis à potestate Episcopi: ac per consequens inter ipsos est sola differentia præeminentiæ, & non ordinis, aut diuinæ potestatis, secus autem inter Episcopos & simplices sacerdotes inter quos, non solùm est differentia præeminentiæ, sed etiam ordinis et diuinæ potestatis, quam Episcopus præ sacerdote simplici habet: Ratio quia ordo sacerdotum est bipartitus constitutione diuina, scilicet in Episcopos & præsbyteros & nõ vnus, sicut est ordo Episcoporum, qui solum Constitutione apostolica diuiditur in Patriarchas, primates, archiepiscopos & episcopos: Proinde ipsorum

forum est eadē cōsecratio, idē Ordo, & eadē diuina potestas. Hinc Summus Pontifex Romanꝰ, Iesu Christi Vicarius & beati petri apostolorū principis successor in Bullis Pōtificijs, Episcopum & seruum seruorum Dei se nominat.

Archiepiscopi seu Metropolitani p se ispos synodū prouincialē cōuocare debent; vel illis legitimè impeditis Coepiscopus antiquior, quę vti mādat sacrosancta Tridētina synodus sess. 24. de refo. Cap. 2. p moderādis moribus, corrigēdis excessibus, cō trouersijsq; cōponēdis, quolibet saltē triennio post octauū paschæ resurrectionis Dñi nostri Iesu Christi, seu alio cōmodiori tēpore pro more prouinciæ celebrari debet, ad quā episcopi omnes, & alij qui de Iure vel cōsuetudine interesse debent, cōuenire omninò tenētur. Archiepiscoporū etiā est curare & promouere seminariorum erectionē atque cōseruationem, tam in propria quàm in suorum Episcoporum Prouincialium diœcesi: At si in hoc Archiepiscopi essent negligentes, eo casu synodus Prouincialis iuxta sanctionem Concilij Tridentini acriter eos corripiet, & hoc sanctum ac pium opus promoueri studiosè curabit, sess. 23. dec. de refor. Cap. 18.

Archiepiscopi gaudent quibusdam gratijs & prærogatiuis, quibus Episcopi ordinariè nō potiūtur, vt puta facere quod crux portetur ante ipsos tā in diœcesi quàm in Prouincia, gestare Palliū quando solenniter celebrant, ornamentum Archiepiscoporum personale ideo, cū eo quisq; est sepeliēdus.

Item recipere Appellationes à sentẽtijs latis p̃ suos Episcopos prouinciales, siue per illorum vicarios generales, sicq; cognoscere & diffinire, si causę deferãtur ad eos per appellationem Iurę interpositam, secus non.

DE ARCHIPRESBYTERO.

ARchipresbyter, quasi aliorum Presbyterorũ Princeps, duplex est, ruralis & vrbanus, siue Ecclesię cathedralis, qui alio nomine dicitur Decanus, cuius officia sunt ista. Primò, absente Episcopo in ecclesia vice eius Officium inchoare. Secundò confessiones Sacerdotum audire, quod si ob Cleri multitudinem solus non sufficit, talem functionem alijs Sacerdotibus committere potest. Tertiò, omnes qui sunt de Episcopatu in ecclesia cathedrali, in Confessione sacramentali audire, eosque absoluere rẽterquàm à casibus Episcopo reseruatis, potest, nec non illis Sacramenta administrare: Archipresbyter verò siue Decanus ruralis eos tantùm audire ĩ cõfessione, & absoluere potest, q̃ sũt sub suo Dec.

Archipresbyter Ordine est maior Archidiacono, quia ille est sacerdos, hic est Diaconus: dignitate verò & administratione, seu iurisdictione, Archidiaconus est maior Archipresbytero, nam de iure communi, Archipresbyter est sub Archidiacono Ecclesię cathedralis, eiusque prẽceptis obtemperare debet, & non è contrà, ex quo Archidiaconus secundum ius commune, post Episcopum est eiꝰ Vicarius

carius in omnibus, Archipresbiter verò solum in diuinis.

DE AVARITIA.

AVaritia vt est appetitus accipiendi, vel retinendi alienum, opponitur iustitiæ cõmutatiuæ, secundum verò quod est inordinatus appetitus pecuniæ, opponitur liberalitati, & ex genere suo peccatum mortale est, Luc. 12. Cauete ab omni auaritia. Item 1. Cor. 6. Neque auari regnum Dei possidebunt. Quinimò auaritia est vitium capitale, quoniam ex ipsa multa alia vitia oriuntur, vt proditio, fraus fallatia, periurium, violentia, inquietudo, & obduratio.

Auaritia consistit in Tribus, nempe in appetendo, in acquirendo, & in retinendo inordinatè diuitias. Auaritia consistens in appetendo, potest esse peccatum mortale tripliciter. Primò appetendo aliquid notabile alienum illicito modo, quia contra vltimum præceptum Decalogi. Secundo, appetendo aliquid illicitum sibimet appetenti, vt beneficium ecclesiasticum, cùm sit indignus. Tertiò, appetendo cum animo deliberato potius committendi aliquod mortale, quàm non consequi aliquid diuitiarum. Auaritia consistens in acquirendo, duobus modis potest esse peccatum mortale, vno modo, si acquisitio diuitiarum fit per iniustitiam, puta iurando, fœnerando, & alia id genus, alio modo, quando fit per actus, qui ex se habent, vt sint

pec-

peccata mortalia, vt committendo symoniam, vel cognoscēdo mulierem turpiter diuitem, vt aliquis ditetur. Auaritia consistens in retinendo, tripliciter potest esse peccatum mortale. Primò, cùm quis retinet, quę tenetur restituere, & potest. Secundò, quādo quis retinet superflua suę necessitati, sed nō decentię, & non occurrit proximo extrema necessitate laboranti. Tertiò, dum quis retinet superflua, non solùm suæ necessitati, sed etiam decentię sui status, & proximo indigenti non succurrit.

DE BAPTISMO.

BAptismus communiter triplex ponitur, sanguinis, de quo Ioann. 12. flaminis, de quo Act. 2. & fluminis, de quo Ioan. 3. Primus est cōmunis adultis & pueris. Secundus adultis tantum competit. In primo & secundo non imprimitur character, neque sunt sacramentum: in tertiò verò fit impressio characteris, & est vnum ex septem Sacramentis nouę legis.

Tria sunt de substantia Baptismi, scilicet: materia elementi, forma verbi, & intentio ministri. Accedit, inquit D. Augustinus, verbum ad elementum & fit Sacramentū, intellige de verbo vocali, & non mētali, vt Sacramentū teneat. Ad certitudinē de Sacramēto susceptis, sufficit intētio Ecclesiæ expressa

per

per verba miniſtri, ad perfectionem verò integritatemque Sacramenti, propria intentio mentalis miniſtri requiritur, ſi non actualis, ſaltem habitualis, qua miniſter ſeruatis ſeruandis, intendat facere, quod Eccleſia ipſa in tali actu intendit.

Materia Baptiſmi, eſt aqua naturalis, puta fluminis, fontis, ſiue putei, vnde à materia Baptiſmi omnis aqua artificialis reijcitur. Item aqua elemētaris requiritur, propterea neque in niue, neque in glacie, neque in grandine Baptiſmus fieri poteſt: quia nomine aquę propriè intelligimus id, quod habet ſubſtantiam aquę, & eſt ſub forma aquę, talia non ſunt prædicta, ex conſequenti, nomine aquę nō veniunt. Forma verò Baptiſmi ſecundùm Græcos eſt iſta: Baptizetur ſeruus Chriſti N. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. Secundum autem Eccleſiam Latinam, forma Baptiſmi eſt iſta: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti Amen. Vtraque tenet, tamen forma Latina eſt conuenientior Græca, tum quia in ea nedum exprimitur cauſa principalis, quę eſt Trinitas, ſed etiam inſtrumentalis, quæ eſt homo, tum quoniam magis conſonat Euangelio, Matth. vlt. quod baptizantes miniſtros dicit.

In forma Baptiſmi tria ſunt de ſubſtantia, ita vt aliquo illorum omiſſo, Baptiſmus non teneat. Primò inuocatio Trinitatis. Secundò, expreſſio actus baptizandi. Tertiò, expreſſio perſonæ baptizatę. Similiter tria non ſunt de ſubſtantia formæ

Baptiſmi

Baptiſmi. Primò expreſſio cauſę inſtrumentalis. Secundò pronomen illud Ego: quia intelligitur ex vi verbi Baptizo. Tertiò dictio illa Amen. Primum & ſecundum licet non ſint de neceſſitate Sacramenti, ſunt tamen de precepto Eccleſię: ſed tertiũ neque eſt de ſubſtantia Sacramenti, neque de precepto Eccleſię.

Subtractio vel corruptio verborum, ſiue additio circa formam ſi ſit tanta, vt ſenſus eius aufferat, facit quod Baptiſmus ſit nullus: ſi verò p ſubractionem ſeu additionem uerborum circa formam, nõ aufferatur debitus eius ſenſus, Baptiſmus tenet, & in dubijs premiſſa diligentia, infans debet baptizari ſub iſta forma: Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, &c. Tranſpoſitio verborũ circa formam Baptiſmi, pariter ſi eſt talis, vt tollat eius ſenſum, facit quòd Baptiſmus ſit nullus, vt ſi diceretur: Baptizo in te nomine Patris. Vel: Baptizo in nomine te Patris: ſi verò per ipſam nõ auffertur ſenſus formæ, Baptiſmus tenet, vt ſi dicatur: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſãcti ego te baptizo. Variatio vocum, quo ad voces tantùm, non tollit Baptiſmum, vnde forma Baptiſmi, ſiue Hebraice, ſiue Græcè, ſiue Latinè, ſiue vulgariter proferatur, habet ſuum effectum: variatio verò vocum circa formam Baptiſmi, & quo ad voces, & quo ad ſignificata ſimul, tollit Baptiſmum.

Ad ſuſceptionem Baptiſmi, omnes poſt Chriſti paſſionem ex præcepto diuino tenentur, Ioann. 3.

ita

ita vt nullus abſque Baptiſmo vel in re, vel in voto, ſaluari poteſt, Matth. vlt. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: tamen pueri infidelium ante vſum rationis, inuitis parentibus, non ſunt baptizandi, reſpectu autem vſus rationis, triplex ponitur gradus in homine. Primus, cùm quis nec per ſe intelligere, nec ab alio capere poteſt. Secundus, cùm quis per ſe intelligere nequit, ſed ab alio capere poteſt. Tertius, cùm quis per ſe, & ab alijs intelligere valet. Primum ſtatum homo habet ante primum ſeptennium, ad ſecundum, homo incipit venire in fine primi ſeptennij, ad tertium in fine ſecundi ſeptennij. Quare quãdo dicitur, quòd pueri infidelium nõ ſunt baptizandi inuitis parẽtibus ante vſum rationis, intellige quantum ad tertium gradum, hoc eſt, ante finem ſecundi ſeptennij, filij infidelium ipſis inuitis baptizandi non veniunt.

Effectus Baptiſmi precipui ſunt quinque. Primus eſt infuſio gratiæ. Secundus eſt deletio peccati originalis in pueris, & actualium in adultis. Tertius eſt abſolutio ab omni pœna culpę preteritę, ita vt ſic morientes ad cœlũ euolent. Quartus eſt impreſſio characteris indelebilis in anima, quo homo fit capax aliorum Sacramẽtorum, & fideles ab infidelibus diſtinguuntur. Quintus eſt apertio regni cœleſtis, Matth. 3. Aliqui addunt ſextum, quia Baptiſmus tollit irregularitatem prouenientem ex peccato, & ex homicidio qualitercunque proueniente, & ſeptimum, qui eſt cognatio quædam ſpi-

dam ſpiritualis inde cauſata, quæ impedit & dirimit Matrimonium contractum, vt habetur in Cõcilio Trident. ſeſſ. 24. de reformat. Matrim. cap. 2. inter baptizantes & baptizatum, parentesque baptizati, item inter leuantes & leuatum ex ſacro fonte parentesque leuati.

Miniſter Baptiſmi propriè, cui de iure ac poteſtate ordinaria baptizare competit, eſt Epiſcopus & Sacerdos, ex conceſſione eſt Diaconus, & vrgente neceſſitate, quilibet poteſt eſſe miniſter Baptiſmi, ob eius ſummam neceſſitatem ad ſalutem ęternam conſequendam: in alijs verò Sacramentis, non quilibet poteſt eſſe miniſter, quia nullum aliud Sacramentum eſt tantæ neceſſitatis, quãtæ eſt Baptiſmus in quo Baptizans ſolùm miniſterium exterius adhibet, iuxta illud Ioannis 1. Super quem videris Spiritum ſanctum deſcendentem & manẽtem, hic eſt qui baptizat.

Sacramentalia quę fiunt in Baptiſmo, numero ponuntur quinque, nempe exſuffiatio, inſufflatio immiſſio ſalis, ſaliua, & vnctio olei. Exſufflatio expulſionem ſpiritus immundi, qui per peccatum regnat in homine, deſignat. Inſufflatio, introductionem boni ſpiritus innuit. Immiſſio ſalis, gratiã, quæ eſt pręſeruatio à putredine peccatorum, ſignificat. Saliua, quę auribus & naribus exhibetur, apertionẽ ſenſuum ſpiritualium deſignat. Vnctio olei in pectore, & inter ſcapulas, diuinę legis amorem, ac deuotam ſubiectionem ſignificat atque re-

repræsentat. Vide de hac materia, si placet, meum Enchiridion.

DE BELLO.

BEllum duplex, spirituale & corporale. De bello spirituali, Iob. cap. 5. Militia est vita hominis super terram. Et ad Thim. 2. Labora vt bonus miles Iesu Christi. Hoc bellum cuilibet Christiano ad vitam æternam consequendam necessarium est, 2. ad Thim. 3. Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Huius author est Christus, Matt. 10. Nō veni mittere pacem in terris, sed gladiū. Arma, quibus homo in hoc bello vti debet, non sunt carnalia, vt docet D. Paul. 2. Cor. 10. sed spiritualia. Galea huius militiæ, est spes salutis. Lorica est fides. Gladius est verbum Dei. Scutum est veritas, vt habetur ad Ephes. 6, Hostes cum quibus nobis pugnandum est in hoc bello, non sunt proximi: quia scriptum est cum omnibus hominibus pacem habētes, sed sunt caro, mundus, & dæmon, ad Ephes. 6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus mundi principes & potestates, aduersus mū di rectores tenebrarum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.

Bellum corporale, quod passim habetur in sacris literis secundùm se, non est illicitum, tum quia in veteri lege viri Dei in eo se exercuerunt, vt Iosue, Dauid, Iudas Machabæus, tum quoniam D. Ioannes Baptista, Luc. 3. illud non prohibuit,

minus

minus damnauit: verùm ad hoc, quòd bellum corporale sit iustum, & absque peccato, quinque necessariò requiruntur. Primò, authoritas suprema in Principe bellum indicente: nam personę priuatæ, non licet mouere bellum, quia talis potest ius suum prosequi iudicio Superioris. Secundò requiritur causa iusta, vtputa tuendi, siue recuperandi propria, seu coërcendi gratia rebelles. Tertiò, requiritur recta intentio bellantium, nempe vt gerāt bellum, non cupiditate lucri ac prędę, siue crudelitate ducti: sed studio pacis, vt inde mali coërceantur, & boni subleuentur. Quartò, requiritur status laicalis: Clericis enim hoc genus belli est prohibitū, Matthęi 26. Conuerte gladium tuum in vaginam, 2. ad Thimoth. 2, ca. Nemo militans Deo, implicet se negotijs secularibus. Item 1. Paralip. cap. 22. Deus dixit Dauidi, quia multum sāguinem fudisti, & multa bella bellasti, non poteris edificarę domum nomini meo. Quintò, requiritur debitum tempus, vt non fiat die festo: quia sic sabbathum violatur, tamé aggressis etiam diebus festiuis licet bellare, vt habetur 1. Machab. 2. Cogitauerunt laudabiliter Iudæi dicentes: omnis homo quicunque venerit ad nos in bello, in die sabbathorum, pugnemus aduersus eum.

In bello iusto licet vti insidijs, Ios. 8. Mandauit Dominus Iosuę, vt insidias poneret habitatoribus ciuitatis Hai. In bello iusto, licet dare auxilium, in dubio subditi excusantur: extranei verò nequaquā

In

In bello iusto milites non tenentur de damnis illatis, etiam innocentibus durante bello, at in bello iniusto omnes tenentur ad restitutionem. Verùm secundum iura, quędam personæ in omni bello, siue iusto, siue iniusto sunt exemptæ, ita vt milites semper teneãtur de damnis eis illatis, & tales sunt Clerici, Monachi, conuersi, peregrini, & oratores, qui illic tunc reperiuntur.

DE BENEDICTIONE.

Benedictio duplex, vna quæ fit à puro homine sicut merẽte per proprium actum: altera quę fit ab homine Ecclesię ministro, ex merito Christi. Prima potest fieri à quolibet bono & sancto viro, in quo Dominus habitat per gratiam: secunda verò solùm potest fieri ab habentibus characterem Ordinis. Prima requirit maioritatem bonitatis, & sanctitatis in benedicente: secunda verò requirit maioritatem Ordinis, & non sanctitatis in benedicente: vnde qui benedicit, semper debet esse maior eo, qui benedicitur, vti legitur He. 7. vel maioritate bonitatis, vel ordinis.

Benedicto quę est ministrorum Ecclesiæ, duplex ponitur, vna rerum. puta aquę, vestium & vasorum: altera personarum, quæ alio nomine benedictio super populum dicitur, & hæc duplex est, solẽnis quæ fit dicendo Adiutorium nostrum, &c. ista Episcopis competit & Abbatibus: simplex, quæ Sacerdotibus in Missa competit. Benedictio rerum parite?

duplex est, vna cũ sacra Vnctione, & hæc solis Episcopis competit: Altera verbalis tantùm, & ista inferioribus Clericis, Episcopo conuenit.

Episcopo aliqua conueniunt tripliciter, quædam ratione ordinis episcopalis, vt Clericos ordinare, conficere chrysma, consecrare virgines, Ecclesias, altaria, & confirmare, quædam ratione iurisdictionis episcopalis, vt iudicare, excommunicare, conferre beneficia, & ad illa inuestire. Quędã demùm conueniunt Antistiti ratione dignitatis episcopalis vt publicas pœnitentias imponere, cognoscere de causa matrimoniali, & dare indulgentias, modi quæ conueniunt primo modo Episcopo, simplici Sacerdoti conuenire nequeunt: quę verò conueniunt Episcopo secundo & tertio modo, etiam simplici Sacerdoti possunt committi: quia huiusmodi sunt potius iurisdictionis, quàm ordinis: vnde licet potestas Ordinis, non possit cuicunque delegari, tamen potestas iurisdictionis, quia à nuda voluntate Superioris dependet, ideo cuicũq; potest delegari.

Benedictio calicis, corpòralium, & ornamentorum, secundùm communem opinionem Doctorũ de iure, vel de consuetudine, sunt ordinis episcopalis: propriè tamen sola benedictio rerum cum sacra vnctione, est ordinis episcopalis: vnde calices, altaria, & ecclesię, neque à simplici Sacerdote, neque ab Abbatibus benedici possunt, licet Abbates & Sacerdotes ordinis Minorum & Prædicatorum ex indulto Sixti IIII, omnia ornamenta Ecclesiæ, al-

altaria, ac veſtes ſacerdotales, corporali excepto, benedicere poſſint, Talia ſi reſarciantur, vbi forma mutatur, iterum veniunt benedicēda, ſecus ſi ratione huius formam non amiſerint, vetuſtate autem conſumpta, ita vt ſacro vſui amplius apta eſſe nequeant, eo caſu ſunt comburenda, & cineres in cœmiterio reponendi.

DE BENEFICIO.

BEneficium eccleſiaſticum communiter duplex ponitur, ſcilicet: regulare, & ſeculare. Beneficium tam regulare, quàm ſeculare duplex eſt, aliud electiuum, & aliud collatiuum. Electiuum dicitur, quod per electionem & confirmationem Superioris confertur: Collatiuum verò dicitur, quod per ſolam confirmationem Superioris confertur. Beneficium electiuum vacans in Eccleſia cathedrali, ſeu regulari, electores, ſecundùm iura, tenentur infra tres menſes, ceſſante legitimo impedimento, eligere, ſecus prouiſio ad proximum ſuperiorem deuoluitur: alia verò beneficia eccleſiaſtica ſi vacāt, & infra ſex menſes illis non proſpiciatur, prouiſio ad proximiorem Superiorem pariter deuoluitur, puta ſi collocatio pertinet ad Capitulum, in tali caſu deuoluitur ad Epiſcopum, ſi ad Epiſcopum, deuoluitur ad metropolitanum, ſi ad metropolitanū, demùm deuoluitur ad Papam.

Ad hoc vt aliquis ſit aptus ad acquirendum beneficium eccleſiaſticum, in iure multa in eo deſi-

derantur. Primò requiritur, quòd sit Clericus: laicus enim neque potest habere beneficium ecclesiasticum, neque potest esse Vicarius Episcopi. Secundò requiritur, quòd non sit coniugatus: nam si Clericus beneficiatus contrahat Matrimonium, & sit in sacris, secundùm iura venit priuandus: si autem sit in minoribus ipso facto est priuatus. Tertiò requiritur, quod sit debitæ ætatis. Ad beneficium simplex, cui non est annexa cura animarum, sufficit ætas septem annorum, ad beneficium curatum, siue illud sit regulare, siue seculare, desideratur ætas viginti quinque annorum: quia talis debet esse Sacerdos, ad episcopatum autem exigitur ætas triginta annorum. Quartò requiritur, quòd sit legitimus: illegitimi enim absque dispensatione non possunt habere beneficia ecclesiastica, siue cum cura, siue sine cura: tamen in beneficio simplici cum illegitimis Episcopus potest dispensare: in beneficio verò curato, & ad dignitates, solus Papa dispensat. Quintò requiritur, quòd institutione canonica obtineat, ad quam tria pertinent, primò, quod conferatur ei ab illo, qui id iure potest, puta à magistratu ecclesiastico: quia recipiens beneficium a laico, ipso iure est ineligibilis, cũ tali tamen Episcopus potest dispensare. secundò, vt conferatur ei per modum debitum ac iuridicum, & non per symoniam, neque per intrusionem. tertiò, vt sit habilis ad hoc, puta quòd non sit irregularis, vel infra legitimam ætatem.

Vnus propter multa inconuenientia, quæ inde sequuntur, multa beneficia habere non potest: nã hinc primò sequitur, diuini cultus diminutio. secundò defraudatio voluntatum piorum testatorum. tertiò inæqualitas, dum vnus pluta, & alius nec vnũ habere potest, ita vt possit iam dici, unus esurit, & alter ebrius est, vnus ergo iure & tuta conscientia, plura beneficia, maximè quæ habent annexam curam animarum, atque necessariò residentiam postulant, habere simul non potest, verùm legitima causa interueniente, in pluribus simplicibus, item in vno curato & alio simplici, Episcopus potest dispensare in diuersis ecclesiis, & in vna si huiusmodi beneficia sint simplicia diformia, vt quod habeat canonicatum & altare, non autem si sint conformia, puta vt quis habeat in vna & eadem ecclesia duos canonicatus, vel duo altaria, Episcopus dispensare non potest.

DE BIGAMIA.

Bigamia est defectus ex secundis nuptijs proueniens, quę inducit irregularitatem, id est inhabilitatem ad suscipiendos Ordines ecclesiasticos, verum irregularitas non est adiuncta bigamię de iure naturali, sed de iure positiuo, neque est de essentialibus Ordinis, quod qs nõ sit bigamus, quod patet ex eo, quia si bigamus ordinatur, recipit characterem, ordinatio tenet. Papa potest dispensare in tali irregularitate, quo ad omnes Ordines; Episcopus

copus verò solùm quo ad minores.

Quatuor ponuntur modi bigamię. Primus, cùm quis habet plures ▽xores de iure succesſiuè. Secũdus, cùm quis simul habet plures vxores, vnam de iure, & alteram de facto, ▽vel ambas de facto, quibus se commiscuit. Tertius, cùm quis plures habet succesſiuè, vnam de iure, alteram de facto, vel ambas de facto. Quartus cùm quis ▽viduam duxit in ▽xorem, & circa istum quartum modum bigamiæ diuersimodè aliquis bigamiam incurrit. Primò, quando aliquis contrahit cum aliqua ▽vidua, quæ à primo fuit cognita. Secundò, quando aliquis contrahit cum aliqua, quę fuit cognita ab alio extra Matrimonium, & cognoscit eam. Tertiò, quando aliquis contrahit cum virgine, quam consummato Matrimonio, ab alio cognitam, iterum cognoscit, siue scienter, siue ignoranter: vnde multi sunt bigami, qui tamẽ hęc ignorãt. Omnibus ergò his modis homo, fit bigamus, ex consequenti irregularis, siue inhabilis ad suscipiẽdos Ordines. Quod si quis contrahat cum aliqua, quę prius contraxerat cùm alio per verba de præsenti, nõ secuta copula carnali, non fit bigamus. Item si aliquis contrahit cum virgine, & cõsummat, postea ipsa cognoscatur ab alio si talis nõ amplius eam cognoscit, non fit bigamus.

Tres assignantur causę, quare bigamus promoueri non possit ad sacros Ordines suscipiẽdos. Prima est dignitas Ordinum: Secunda est incontinentiæ signum. Tertia est defectus Sacramenti in si-

gnifi-

gnificando Matrimonium Christi, quod est inter vnum & vnam. Bigami facti, constituti in minoribus, ipso iure sunt priuati priuilegio clericali: qui verò facti sunt bigami, constituti in maioribus Ordinibus, non sunt priuati priuilegio clericali, ratio est, quia constituti in minoribus, possunt liberè redire ad seculũ, secus autẽ cõstituti in maioribꝰ.

DE BLASPHEMIA.

BLasphemia est derogatio diuinæ bonitatis, cuius quatuor ponuntur species siue modi. Primus est, quando attribuitur Deo, quod ei non conuenit, puta esse peccatorem, esse impotentem. Secundus est, quando remouetur ab eo, quod ei cõuenit, puta dicendo, ipsum non esse iustum, non esse misericordem. Tertius est, quando attribuitur creaturę, quod est proprium Deo, puta esse summum bonum, esse creatorem. Quartus, quando remouetur à Sanctis, quod Deus illis tribuit, vel tribuitur Sanctis, quod Deus ab eis remouet, puta dicendo, ipsos esse miseros, non esse amicos Dei, non esse intercessores in cœlis apud Deum pro nobis. Quare blasphemiæ peccatum, respicit Deum & Sãctos eius, propriè tamẽ ac principaliter respicit Deum, secundariò Sanctos: quia eorum derogatio aliquo modo redundat in Deum, quatenus laudatur & glorificatur in Sanctis, Psal. 88. Deus glorificatur in consilio Sanctorum. Item Lucę 10. Qui vos audit me audit: & qui vos spernit, me spernit.

Blasphemia ex genere suo peccatum mortale est Leuit. 24. Qui blasphemauerit nomẽ Domini, morte moriatur. Et Matth. 15. Blasphemiæ sunt, quæ coinquinant hominem; quandoque tamen potest esse veniale, vt si procedat subitò ex passione, sine deliberatione, non considerando significationem verborum, secus autem, si considerata significatione verborum, siue ex consuetudine blasphemia proueniat; nam eo casu non excusatur à mortali, qui blasphemat.

Peccatum blasphemię est grauius periurio; quia blasphemus asserit, vel sentit aliquid falsũ de Deo, secus autem periurus, qui neque dicit, minus sentit aliquid falsum de Deo, item quia peccatum blasphemiæ nedum opponitur secundo præcepto decalogi, sicut periurium; sed etiam opponitur primo præcepto decalogi. Peccatum blasphemiæ ratione obiecti, in quod peccatur, est maius homicidio; quia obiectum blasphemiæ est Deus, obiectum homicidij est proximus; tamen secundũ quid, hoc est quantum ad effectum operis, quantum ad nocumentum illatum, homicidium potest dici maius peccatum, quàm sit blasphemia, sed simpliciter loquendo, blasphemia est longè grauius peccatum ipso homicidio.

Blasphemia occulta potest absolui à simplici Sacerdote: publica verò de consuetudine generali secundũ aliquos Doctores, est casus reseruatus Episcopo, dicitur publica, non quia corã pluribus perso-

nis

nis commiſſa: ſed quia iuridicè per accuſationem Epiſcopo delata eſt. Pœna blaſphemantis publicè ſecũdum antiquos canones, erat ſtare præ foribus Eccleſiæ ſeptem Dominicis, & vltimo die ſine pallio, calceamentis, & ligatus corrigia in collo, itẽ ieiunare in pane, & aqua ſeptem ſextis ferijs p̃latarũ Dominicarum, eiq̃ ingreſſus Eccleſiæ interdicitur, & ſepultura eccleſiaſtica negatur, intellige, ſi qs ex iniuſta cauſa blaſphemauerit, puta ſi ludendo amiſit, ſecùs ſi ꝓuocatus ex iuſta cauſa, vel ex calore iracundię, vel ex ebrietate, eo caſu canon non habet locum.

DE CALICE.

CAlices, in quibus ſanguis Chriſti conſecratur, debent eſſe ex auro, ℣el argento, ℣el ſtanno, & non ex alia materia, ſicut ſancitum eſt in Concilio Remenſi, & vt docet D. Thomas 3. par. quęſt. 83. art. 3. ac Petrus de pal. in 4. ſent. diſt. 23. quęſt. 2. art. 5. Calices non debẽt eſſe ex cupro, neque ex auricalco; quia tales virtute vini contrahunt æruginẽ. Non ex ligno; quia cùm ſit poroſum, ſanguis in eo remaneret. Non ex ℣itro, neque ex lapide; quia tales ſunt fragiles: Verùm non eſt de eſſentialibus conſecrations, ſiue Sacramenti, quòd calix non ſi ex cupro, neque ex auricalco, neque ex ℣itro

neque

neque ex ligno, neque ex lapide: quia si in huiusmodi calicibus, non obstante prohibitione, sanguis Christi consecraretur, consecratio teneret.

Calix, in quo Christi sanguis est conficiendus, debet esse consecratus & perunctus chrismate ab Episcopo, vel ab Abbate vtente insignis pontificalibus, qui hoc habet ex consuetudine seu priuilegio nam cõsecratio calicis potius est dignitatis episcopalis, quàm ordinis: propterea illud ex priuilegio quibusdam Abbatibus est cõcessum: calix ergo debet esse consecratus, quod si Sacerdos vteretur calice non consecrato scienter, conficeret quidem, sed peccaret mortaliter.

Calix semel consecratus, in tribus casibus iterum necessariò venit benedicendus. Primò, quando calix conflatus destruitur, & iterum fit. Secundò quando fit amotio formæ principalis, vt si pes à sciphο totaliter separetur: quia vnum absque altero consecrari nõ potest, secùs si modica pars pedis aut sciphi refectione indiget, sine amotione formę principalis. Tertiò, quãdo calix deauratur, debet de nouo cõsecrari, secus si deauratio cadat propter vsum.

DE CAMBIIS.

CAmbium propriè est commutatio vnius rei pro alia: secundùm verò vsurpationem vulgi, est omnis contractus pecunię pro pecunia, non gratuitus, siue sit permutatio, siue emptio, siue depositum, & diuiditur in reale & siccum. Cambium siccum

cum est, quo Căpsor prius dat, quàm accipiat: Reale verò è contrà, quo Campsor prius accipit pecuniã quàm det. Verùm hac & alijs diuisionibus omissis, septem possunt dici genera Cambiorum. Primum ratione officij mutuandi. Secundum per minutum, quo præsens pecunia pro præsenti commutatur. Tertium per literas. Quartum per translationem realem. Quintum ob interesse. Sextum pro custodia. Septimum per commutationem pecunię præsentis pro absente. Ad cuius doctrinæ euidentiam tria noto. Primò, quòd secundùm communem sententiam permutatio est antiquior emptione, quæ cœpit post inuentam pecuniam: inuenta autem fuit pecunia, vt esset pretium, quo necessaria vitæ emerentur, & vt rerum venalium esset mensura quędã publica: deinde sequuta est permutatio pecuniæ p pecunia, & ars cambiandi, quę est ars negotiandi pecunijs vltrò citroque dandis & accipiendis, quæ ordinata ad quærendam sustentationem, vel aliũ finem honestum. est licita, ex mente D. Thomæ. Secundò noto, quòd licet primus finis pecuniæ sit emptio & venditio: sunt tamen alij secundarij, in quos ea licitè vtimur, ita ut excepto mutuo & accommodato licitè præbens eam, potest capere pretium pro eius vsu: Qui autem mutuat, & fingit se locare in aliquem vsum prędictorum, sicque aliquid pro vsu eius accipit, peccat corã Deo cordium scrutatore. Tertiò noto, quòd in commutatione & cambio pecunię, non potest accipi aliquid vltra iustum

valorem

valorem pecuniæ, quam dat ratione cambij, quatenus est permutatio, nisi accedat alia iusta ratió accipiendi: Vnde qui dat nunc vnam pecuniam pro alia maiore, post vnum vel duos menses reddenda, iniustè facit: quia talis vult accipere rem maioris valoris, pro re minoris valoris, via pmutationis, quod minimè licet, & secundùm Hostien. vsura est. His ergo stantibus, ponuntur sequentes conclusiones, quarum prima est: Primum Cambium, vocatum officium mutuandi, secundùm communiorem opinionem Doctorum, licitum est: nam à Republ. potest constitui officium mutuandi egentibus constituto aliquo paruo lucro reddēdo à mutuarijs vltra sortem pro labore & salario ministrorum, ad instar montium pietatis, vti suprà dictum est. Secūda conclusio: Secundum Cambium in ordine vocatum per minutum, quo quis præsentem pecuniam pro præsenti commutat, puta quadrantes pro Iulijs, vel Iulios, siue Reales in Coronatos, aut è contrà, Iulios in quadrantes, florenos in cruciferos, vel coronatos in florenos, est iustum, modo fiat ex officio cū moderato lucro assignato. Tertia conclusio, Tertium Cambium vocatum per literas, est licitum, & Reipublicæ necessarium: quia per illud virtualiter transfertur pecunia de vno loco in alium quantūlibet remotum virtute literarum, quibus efficit Cāpsor, vt tradatur tanta pecunia in alio loco, quanta ei datur in loco, vbi ipse dat literas, & aliquid amplius pro iusta mercede, ad eius tamen iustitiam,

primò

primò requiritur, vt seruetur æqualitas ~valoris inter pecuniam datam, & accipiendam, Secundò, quòd Campsor non accipiat plus iusta mercede. Tertiò requiritur, quòd Cãpsor qui dat pecunias soluendas in alijs remotis locis, sciat vel probabiliter credat, quòd persona, cui dat, habeat pecunias, ~vel fidem & ~voluntatem satisfaciendi literis, quas de soluendis illis sibi tradit. Quartò, ad iustitiam Cãbij per literas, requiritur vt locus, in quo est soluenda pecunia, longè distet à loco, in quo dantur literæ; alioquin esset Cambium de tempore ad tempus, quod non licet, & non de loco ad locum, quod licet. Quarta conclusio; Quartum Cambinm per translationem realem, quod fit prius emendo, vendendo, permutando, vel alio modo quærẽdo pecuniam valentem, minoris in aliqua prouincia, quàm in alia, & transferendo. postea illam realiter ad aliã prouinciam, vbi aliquo respectu pluris valet, licittum est, & si aliqui contrarium dicant. Quinta conclusio, Quintum Cambium ob interesse, quo Campsor recipit aliquid ~vltra sortem, ratione damni emergentis, ~vel lucri cessantis, quod Campsor incurrit, est iustum, & licitnm, quia & mutuare sic liceret, ~vt suprà dictum est, dummodò iuxta extra extrauagantem Pij V. non à principio certum interesse præfigatur in Cambijs. Sexta conclusio. Sextum Cambium, quo quis lucratur ob custodiam pecuniarum, sicut lucrantur Argentarij, siue Bancarij, authoritate publica constituti, ad custodien-

das

das pecunias, quas iudices iubent, apud eos deponi ea lege, vt habeant eas paratas ad reddendū simul, ac petitæ fuerint, & librum rationum depositarum & redditarum pecuniarum, salua iusta mercede p tẽpore, quo penes eos fuerint, est licitum, quia vtile Reipubl. & per consequens, tale officium est dignum salario publico vel priuato. Septima conclusio: Septimum Cambium, quod fit per commutationem præsentis pecuniæ pro absente, est etiã licitum, siue fiat per emptionem, siue fiat per permutationem, vt quando Campsor dat vel accipit pecuniam in vno loco, vt det, vel accipiat eandem cum lucro in alio loco: nam pecunia, secundùm D. Thomam, & receptam sententiam, quatenus pecunia est, commutari potest, & ex eius commutatione, lucrum quæri: Octo enim possunt esse in causa, quare vna moneta potest valere pluris, vel minoris, quã alia. Primum, diuersitas metalli. secundum, diuersitas bonitatis eiusdem metalli. tertium, diuersitas formę, & ponderis. quartum, diuersitas locorum. quintum, reprobatio totalis, vel partialis. sextum, diuersitas temporum. septimum, copia, vel defect°. octauum, absentia, vel præsentia: quandoquidem præsens pecunia pluris valet ex se, quàm absens præsenti, cæteris paribus, eò quòd ex se requirat laborem, impensam, & periculum in traducendo,

DE

DE CANONIZATIONE.

CAnonizare nihil aliud est, quàm aliquem per summum Pontificem canonicè, catalogo Sãctorum ascribere, decernere, ac declarare. Aliquẽ non canonizatum pro sancto colere, publicè faciẽdo de eo Officium, & celebrando Missam, non licet: colere verò aliquem non canonizatum pro Sãcto secretè, & priuatim, quẽ credit esse beatum, vt puta porrigendo ad eum preces, non est peccatum nam Deus respicit fidem orantis, propterea etiamsi ille non esset bonus, apud quem emittuntur preces Deus illas acceptaret.

Quòd Ecclesia in canonizatione Sanctorum errare non possit, piè credendum est: nam iudicia seu sententiæ Ecclesiæ sunt in duplici differentia, quædam quæ pertinent ad particularia facta, particularium hominum, puta vt dum agitur de promotionibus, de possessionibus, vel de crimínibus: quædam verò, quę pertinent ad vniuersalem statum totius Ecclesię, vel quantum ad fidem, vel quantum ad mores. In actionibus primi generis iudiciũ Ecclesiæ errare potest: quia in his vtitur medio incerto atq; fallibili, nempe attestationibus hominũ, quibus sepę falsum subest: in actionibus autem secundi generis, iudicium Ecclesię non fallit, nec fallitur: in his enim innititur diuinæ prouidentię, quę Ecclesiam suam Spiritu sancto regit, vt habetur Ioan. 14. modo canonizatio Sanctorum, vt sacri

Doctores

Doctores docent, inter quos D. Thom. quolibet. 9. quæst. vlt. mediat inter prædicta, partim illa pertinet ad primum genus actionum: quoniam Ecclesia in canonizatione Sãctorũ innititur medio fallibili, scilicet hominum testimonio, partim pertinet ad secundum genus actionum: quia honor, quem exhibere debemus Sanctis, est quędã professio fidei, qua credimus gloriam Sanctorũ. Quare cùm Ecclesia in his, quæ sunt fidei, nullo modo errare possit, piè credẽdum venit, quod neq; in canonizatione Sãctorum erret, maximè cùm semper precedat diligentissima inquisitio super vita, & miraculis.

DE CAPITVLO.

CApitulum est congregatio Ecclesiasticorum, & succedit Episcopo in iurisdictione, licet, non succedat Episcopo in gratijs, indultis, ac priuilegijs: quia priuilegium non debet excedere personam priuilegiati. Capituli ergo authoritas, sede vacante, ad multa se extendit. Primò, potest absoluere ab excommunicatione à iure & ab homine, à qua Episcopus absoluere potuisset. Secundò, potest dispensare in casibus, in quibus Episcopo permittitur dispensatio. Tertiò, potest absoluere à casibus reseruatis Episcopo. Quartò potest dare potestatem alienandi ex causa legitima bona alicuius Ecclesiæ, nõ tamen bona Episcopatus. Quintò, potest instituere visitationem specialem, necessitate occurrente: non tamen generalem. Sextò, potest facere statuta, quibus

bus tota diœcesis obstricta sit, quæ tamen Episcopus reuocare potest. Septimò, potest dare indulgentias, quas Episcopus de iure dare potest.

Capitulum, sede vacante, beneficia, quę ad collationem Episcopi pertinent, conferre non potest, præsentatos tamen à patronis, si fuerint reperti idonei, admittere, & instituere potest. Item Capitulũ, sede vacante, vt habetur in Concil. Trident. sess. 7. de reformat. cap. 10 infra annum, à die vacationis, ordinandi licentiam, aut literas dimissoriales alicui, qui beneficij ecclesiastici recepti, siue recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere nequit: Quod si secùs factum fuerit Capitulum contrauenies, ecclesiastico subiacet interdicto, & sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo priuilegio clericali gaudebunt; in maioribus verò, ab executione Ordinum, ad placitum futuri Prælati, erunt ipso iure suspensi.

Capitulum, sede vacante, iuxta decretum sacri Concilij Trident. sess. 24. de reformat. cap. 16. œconomum vnum, vel plures fideles ac diligentes habet decernere, qui rerum ecclesiasticarum, & prouentuum curam gerunt, quorum rationem ei, ad quem pertinebit, erunt reddituri. Insuper Officialem seu Vicarium, infra octo dies post mortẽ Episcopi, constituere, vel existentem confirmare: secus ad Metropolitanũ deputatio huiusmodi deuoluitur. Quòd si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, eo casu antiquior Episcopus ex Suffra-

ganeis in Metropolitana,& propinquior in exempta, Oeconomum & Vicarium idoneos constituere potuerit.

Consensus Capituli requiritur potissimùm in tribus casibus. Primò,in omnibus concernentibus præiudicium Ecclesiæ cathedralis, secundo,in alienatione bonorum cathedralis Ecclesiæ. tertiò in his,quę sunt communia Episcopo & Capitulo, nec non in concernentibus præiudicium ipsius Capituli:in cæteris verò non requiritur consensus Capituli,consensus, autē,& potestas Capituli cōsistit in maiori parte, quæ semper iutelligitur sanior, *nisi* probetur in contrarium: fallit tamen hęc doctrina in tribus casibus. Primò, quando aliquid est commune pluribus,non vt collegiatis, sed vt singulis: nam eo casu non sufficit, vt maior pars Capituli consentiat,sed oportet singulos ex Capitulo cōsentire, puta si tota authoritas eligendi transferenda sit in commissarios:vno enim de Capitulo contradicente,non valet. Secundò,quando maior pars Capituli deliquit,vt si excommunicati, vel suspēsi, eo casu tota Capituli potestas residet in minori parte,quæ non deliquit. Tertio,fallit in electione summi Pontificis, vbi non sufficit, quòd maior pars electorum cōsentiat,sed requiritur,quòd duę partes electorum consentiant, vt electio teneat, verbi gratia, si sunt triginta, vt habeatur Papa, viginti debent eundem eligere, secus electio est nulla.

DE CHARACTERE.

CHaracter ex communi doctrina Theologorum, est quędam potestas spiritualis indelebilis, quę traditur homini in collatione, & susceptione quorundam Sacramentorum, siue est potestas recipiendi, vel conferendi Sacramenta: vnde quidam character est potentia passiua, vt character Baptismi, & Confirmationis, vtpotè, qui est ad suscipiendum alia Sacramenta: quidam verò est potentia actiua, vt character Ordinis ad consecrandum, absoluendum, & ad conferendum, seu administrandum alia Sacramenta.

Character tantùm in tribus Sacramentis imprimitur, scilicet: in Baptismo, Confirmatione, & Ordine: nam homo per hæc tria solùm mancipatur ad aliquod Sacramentum exercendum actiuè vel passiuè, per Baptismum & per Confirmationem homo mancipatur ad suscipiendum alia Sacramenta: diuersimodè tamen, per Baptismum de necessitate, per Confirmationem de decentia, & ad benè esse, per ordinem homo mancipatur ad tractandum & administrandum alia Sacramenta: per Eucharistiã autem, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, & Matrimonium, homo non deputatur ad aliquid agendum vel recipiendum in Sacramentis, propter ea in his character non imprimitur.

Character & gratia Sacramentalis, in quatuor potissimùm differunt, Primò, quòd gratia est

effectus communis omnium Sacramentorum nouæ legis: character verò est effectus proprius trium Sacramentorum. Secundò, quòd gratia sacramentalis est amissibilis: character autem est indelebilis. Tertio, quòd gratia sacramentalis nō stat cum peccato mortali: character verò stat cum mortali, vt si aliquis existēs in mortali, fiat Sacerdos, recipit quidem characterem, non tamen gratiam sacramentalem. Quartò, quòd gratia subiectiuatur in essentia animę: character autem in intellectu, seu in anima, secundùm partem intellectiuam.

DE CHARITATE.

CHaritas est virtus à Deo infusa, qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum. Charitas in sacris literis bifariam sumitur, essentialiter, & participatiuè. Charitas primo modo accepta, est quid increatum, 1. Ioan. 4. Deus charitas est: charitas verò secundo modo accepta est quid creatum, & iuxta hunc sensum præsens litera procedit, nempe de charitate, vt est habitus quidam creatus, qui in hac vita augeri & minui potest extensiuè, hoc est, quantum ad numerum obiectorū; & intensiue, id est, quo ad intensionem actus, vt magis ac minus aliquid diligatur: in patria verò cœlesti, neq; potest augeri, neque potest minui: quia ibi charitas est perfecta, & in termino. Item charitas in hac vita per sequens peccatum mortale amittitur: in patria autem cœlesti, charitas amitti non

potest:

potest: quia ibi peccatum locum non habet.

Quatuor à nobis ex charitate veniunt diligenda, scilicet: Deus, nos, proximus, & corpus nostrum: reliqua verò ⁊ veniunt quidem diligenda, non tamen ex charitate; quia charitas est quædã amicitia fundata super cõmunicatione beatitudinis, quæ Deo, Angelo, homini, & corpori humano tantùm competit, Deo per essentiam, Angelo & homini p participationem, corpori humano per quandam redundantiam; ⁊nde ista ex charitate diligere debemus, alia verò communi & vulgari amore.

Damnati & dæmones habentes naturam deformatam à nobis, non sunt diligendi ex charitate; quia non sunt capaces æternæ beatitudinis, super cuius communicatione charitas est fundata. De peccatoribus autem, in quibus duo ⁊ veniunt consideranda, nempe natura & culpa, quantum ad culpam, peccatores in hac ⁊ vita sunt odio habendi, iuxta illud Psalm. 118. Iniquos odio habui: quantum ⁊ verò ad naturam, peccatores existẽtes in hoc seculo, sunt diligendi ex charitate; quia sic sunt capaces ęternæ beatitudinis.

In charitate est ordo seruandus, Cantic. 2. Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem. Primo, homo debet super omnia diligere Deum. secundò, seipsum. tertiò, proximum. quartò, magis animam proximi, quã propriũ corpus. quintò, magis ⁊ vitam propriam, quàm vitam proximi. sextò, magis ⁊ vitam corporalem

proximi, quàm irrationabilia & bona temporalia. septimò, magis propinquiores Deo, & sibi coniunctiores. octauò, magis parentes, quàm filios. nonò, magis patrem, quàm matrem. decimò, magis patrē quàm vxorem: vnde in casu necessitatis, secundùm ordinem charitatis, homo potius parentibus quàm filijs, patri quàm matri, patri quàm vxori, de alimentis prouidere debet.

DE CASV.

SIcut in iure nomine censuræ intelligitur quædam pœna spiritualis, quę reo propter crimē infligitur, ita nomine casuum propriè veniunt peccata: vnde si Episcopus absolutionem à casibus sibi reseruatis concedit, talis concessio non se extendit ad censuras, secus autem, quando summus Pontifex in bullis, indultis & gratijs absolutionem, à casibus sibi reseruatis, concedit, tunc talis concessio se extendit etiam ad censuras: quia licet Episcopo quædam peccata sint reseruata, secundùm se, & nō ratione censurę: tamen Papæ nullum peccatum, quantumcunq; graue, est reseruatum, nisi ratione censuræ illi annexæ, propterea quando summus Pontifex dat authoritatem absoluendi à casibus sibi reseruatis. dat etiam à censuris, non tamen ab irregularitate: quoniam irregularitas propriè nō est censura, cùm absq; peccato contrahi possit.

Casus reseruati sunt in duplici differentia, quidam dicuntur papales, & quidam episcopales. Casus

sus communiores Papæ reseruati, vltra contentos in Bulla Cœnæ Domini, sunt qui sequuntur.

1. Translatio Episcopi electi ac confirmati, & idē videtur de translatione Abbatum exēptorū.
2. Depositio Episcoporum, & idem videtur de Abbatibus perpetuis exemptis.
3. Acceptio renunciationis Episcoporum & Abbatum, qui immediatę subsunt Sedi Apostolicę.
4. Exemptio Episcoporum, vt Archiepiscopis nō subsint, & idem de Clericis, siue Religiosis existentibus in Diœcesi, vt iurisdictioni diœcesani non subsint.
5. Mutatio sedis episcopalis, conuentuum & locorum acceptorū per ordinem mendicantium.
6. Constitutio nouæ sedis episcopalis, siue nouæ religionis.
7. Subiectio vnius Episcopi alteri, vel diuisio vnius episcopatus in duos, aut vnio duorum in vnum, & idem de ecclesijs, monasterijs, & conuentibus exemptis.
8. Dispensatio vt non agens trigesimum annum ætatis, fiat Episcopus, vel ãte vigesimum quintum annum habeat ecclesias aut dignitates curatas, & ante vigesimum annum dignitates non curatas.
9. Restitutio depositorum ab ordine actualiter & solenniter, secus in deposito verbaliter, qui per Episcopum potest restitui.
10. Commutatio aliquorum votorum Hierosolymitani

lymitani S. Iacobi, & liminum Apostolorum, à fortiori voti religionis, & voti solennizati per susceptionem sacri Ordinis, in quo etiam Papa dispensare non consueuit.

11. Dispensatio super irregularitatibus contractis ex criminibus enormibus, vt ex bina rebaptizatione scienter, ex bina receptione eiusdem Ordinis, & ex retentione beneficij, seu dignitatis symoniacè obtentæ.

12. Dispensatio cum bigamo, vt possit promoueri ad sacros Ordines.

13. Dispensatio cum Clerico non ordinato, ministrante in ordine sacro, quem non habet.

14. Dispensatio cum corpore vitiatis, si vitium corporis impediat Ordinis executionem, vel generet notabilem deformitatem.

15. Dispensatio cum homicidis voluntariè, siue cum peccato, siue absque peccato, vt possint promoueri ad Ordines.

16. Dispensatio cum excommunicato maiori excommunicatione, suspenso vel interdicto, ministrante in aliquo Ordine sacro.

17. Dispensatio cum excommunicato maiori excommunicatione, recipiente Ordines.

18. Dispensatio cum illegitimis, quantum ad susceptionem sacrorum Ordinum, vel beneficiorum curatorum, vel dignitatum.

19. Dispensatio, vt quis habeat duo beneficia, vel plura cum cura, nisi sint vnita, vel vnum alteri

teri annexum.

20. Dispensatio super defectum ætatis cum ijs, qui ad Ordines volunt promoueri.

21. Dispensatio in gradibus consanguinitatis & affinitatis prohibitis, quo ad Matrimonium contrahendum.

22. Dispensatio cum simplici Sacerdote, vt possit confirmare, Ordines minores conferre, & consecrare ecclesias ac virgines.

23. Dispensatio cum laico, vt possit iudicare in spiritualibus, & excommunicare.

24. Dispensatio in Matrimonio rato, & non consummato, secundùm Canonistas, secus secundũ Theologos: In his enim casibus solus Papa potest.

Casus verò Episcopo reseruati, sunt duplicis generis, quidam de iure, & quidam de consuetudine generali. Casus reseruati Episcopo de iure sunt isti, videlicet;

1. Percussio Clerici violenta, si est leuis; quia si est grauis, Papæ reseruatur.

2. Peccatũ Clerici propter quod incurrisset irregularitatem.

3. Incendium malo animo factum ante denunciationem, & qui damni vel iniuriæ causa, vites, vel arbores alienas inciderint.

4. Peccatum, propter quod indicenda esset solennis pœnitentia, sed iam non est in vsu.

5. Excommunicatio maior, quam conditor canonis

nis nec sibi nec alteri reseruat,

Casus Episcopo reseruati de consuetudine generali sunt isti, scilicet:

1. Homicidium voluntarium, actu exteriori perpetratum.
2. Crimen falsarij.
3. Violatio ecclesiasticę libertatis, sed iam est papalis.
4. Sacrilegium, quod tria respicit, personas, loca, & res.
5. Sortilegia, diuinationes, & incantationes: Alij verò his nonnullos casus addunt, videlicet:
1. Incœstus in primo & secundo gradu consanguinitatis vel affinitatis.
2. Defloratio virginum vi oppressarum, vel seductarum.
3. Matrimonium clandestinum, seu contra interdictum Ecclesiæ contractum.
4. Coitus cum brutis, & contra naturam.
5. Blasphemia publica Dei & Sanctorum.
6. Opressio puerorum.
7. Cognoscens carnaliter baptizatam, vel eam, cuius Confessionem sacramentalem audiuit.
8. Baptizans filios suos, extra casum necessitatis.
9. Tenentes ad Baptismum, siue Confirmationē filios suos, extra casum necessitatis.
10. Exercentes vsuram publicam.
11. Percussores parentum suorum. Isti enim sunt casus, à quibus nullus inferior Episcopo absoluere

soluere potest, nisi suffultus speciali indulto, & in articulo mortis, quo casu quilibet Sacerdos ritè ordinatus plenitudinem potestatis, & quo ad peccata, & quo ad censuras habet.

DE CENSV.

IN constitutione cuiuscunque census, vt seruetur iustitia, & vsura euitetur, octo veniunt obseruanda: Primò, quòd venditor certum quid, puta domum siue prædium, in quo census constituatur, assignet, secus erit census fictitius, & non realis: Secundò, quòd illud solum illius solutioni obligatum remaneat, & non ipse, neque alia sua bona: Tertiò, quòd pretium iustum soluatur: Quartò, quòd statim illud totum tradatur: Quintò, quòd venditori optio detur, totum aut partem, quando aut quomodò melius sibi videbitur redimendi: Sextò, quòd venditor ad redimendum censum non obligetur: Septimò, quòd prædio pereunte, census pereat: Octauò, quòd prædium, in quo census constituitur, reddat saltem tantum, quantum census venditus valet. Quòd si constitutioni noui census aliqua istarum conditionum defuerit, præsumptione vsuræ non carebit: Census autem constituitur super re vendentis, & non ementis, nam vendens debet designare rem aliquam, super qua imponat censum, & alius emat illum, illi rei impositum.

Hęc

Hæc materia de venditionibus & emptionibus censuum, facilius per sequentes conclusiones intelligetur, Prima ergo conclusio est, Venditores censuum, pereunte re censuali. puta prædio, siue domo super qua fuerant impositi, non tenentur ad restituendum pretia pro ea accepta; neque obligantur amplius ad soluendum census; quia pereunte re censuali, cui census inhęret, ipse quoque census perit, cessante enim causa, cessat, & effectus. Secunda conclusio, Res illa sola, super qua census imponitur, obligatur ad id, & non persona, neque alia eius bona: quia contra naturam est venditionis & emptionis, vt venditor se & sua bona, ad perpetuam securitatem rei venditę obliget. Cùm res empta periens post traditionem, emptori, & non venditori pereat. Tertia conclusio. Venditor census iustè potest se suaque obligare ad assecurandum, quòd res censualis, puta domus, siue prædium, super quo imponitur census, sit suum, & possit super illo imponere illum censum; non tamen sequitur, quòd se debeat obligare ad soluendum censum illi prędio impositum, quamuis illud pereat, cùm id iniustum sit; Quarta conclusio, qui emit prædia aut pecora ab his, qui non habent, aut plura, quàm habent, & ea eisdem locat, vsurarius est. Similiter, qui emit cēsum super prędio, quod non est, aut non tātos prouentus affert, quantus est census, vsuram committit Quinta conclusio, Qui sua bona onerant huiusmodi censibus, ad quædam minus necessaria, siue

ad

ad superflua, vel interdum etiam ad noxia vel turpia, grauiter peccant, & inde sepæ contingit, vt dū census constitutos, soluere nequeunt, facilè fidem fallant, & decoquant, relictisque vxoribus ac liberis cum magno detrimento publicæ, priuatęque rei, solum mutent, & aufugiant. Quare quamuis emptio nouorum censuum licita esse possit: tamen securius est ab illa, quantum fieri potest abstinere, nisi octo conditiones superiùs numeratæ concurrant. Sexta conclusio, Census super sola persona constitutus, sine designatione aliquorum bonorū, est illicitus, & vsura palliata, ideo talis contractus, siue census personalis a Christiana Republ. est explodendus, & vti vsurarius verè vel præsumptiuè censendns & iudicandus.

DE COEMETERIO.

COEmeterium est locus, in quo mortuorum corpora sepeliuntur, & habet eādem immunitatem, quā habet Ecclesia, quia benedicitur, violatur, atque reconciliatur ab eodem, & eodem modo sicut Ecclesia, fallit tamen in tribus casibus: Primò, quòd in Ecclesia nullus debet sepeliri. Secundò, quòd laici in choro esse non debent: vtrumque tamen iam de consuetudine non obseruatur. Tertiò, quòd polluta Ecclesia, pollutum est & cœmeterium, intellige, quando Ecclesia est illi coniuncta secus si cœmeterium sit remotum ab Ecclesia: non tamen è contrà, polluto cœmeterio est

polluta

polluta Ecclesia: quia minus dignum, non trahit ad se maius dignum.

Ecclesia tribus modis polluitur, scilicet: effusione sanguinis, effusione seminis humani, & hæretico sepulto: cœmeterium autem quatuor modis polluitur, effuso sanguine, effuso semine, sepulto hæretico, siue excommunicato, siue infideli, & polluta Ecclesia. Hic sciet lector, quòd ecclesia & cœmeterim non polluantur per quamcunque sanguinis vel seminis humani effusionem: sed solùm per effusionẽ sanguinis & seminis, magnam & iniuriosè factam, secus si exigua, vel præter intentionem facta sit, neque animo iniuriandi.

DE CIRCVMCISIONE.

Circumcisio professio fidei, & Sacramentum veteris legis, figura Baptismi, vt docet D. Paulus 1. Corinth. 10. fuit instituta a Deo, vt habetur Genes. 27. & fuit data solis masculis: quia erat instituta ad delendum peccatum originale, quod principaliter trahitur à patre: nam si Adam non peccasset, & Eua peccasset, peccatum non transisset in posteros. Circumcisio fuit figura Baptismi: quia sicut illa erat in remedium labis originalis, & imprimebat characterem in corpore, ita Baptismus imprimit characterem in anima, & eius præcipuus effectus est deletio peccati originalis.

Circumcisio iussu Dei sic erat administranda: Primò, octauo die, vt habetur Genes. 17. secundò,

cum

cum gladio lapideo, Iosue 5. tertiò, in membro virili, octauo die ratione mysterij, nempè ad designandum, quòd omnis culpa atque pœnalitas in octaua ætate, quę erit ætas resurgentium, auferetur, qui octauus dies in circumcisione fuit de necessitate præcepti: Vnde si octauus dies fuisset sabbathum, ne præceptum Dei violaretur, circumcisio fiebat, Ioan. 7. Circumcisionem accipit homo in sabbatho, vt non soluatur lex Moysi. Quod si mares ante octauum diem moriebantur, sine circumcisione saluabantur in fide parentum, sicut fœminæ. Cultro lapideo, ad insinuãdum duritiem cordis Iudæorum, Exod. 32. & Matth. 19. In membro virili: quia erat in remedium peccati originalis, quod per actum generationis traducitur, cuius principium actiuum est mas, & non fœmina.

Circumcisio in vteri lege conferebat gratiam, non in genere causæ efficientis, sed in genere signi, ad Rom. 4. Abraham accepit signum circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei. Circumcisio dabat gratiam, & auferebat peccatum originale ex parte personæ, non tamen auferebat impedimentum intrandi regnum cœlorum ex parte totius naturę, quod per passionem Christi postea fuit remotum: Baptismus verò confert gratiam in genere causæ efficientis, delet peccatum originale, & cœlum nobis aperit. Quare copiosior gratia modò confertur in Baptismo, ea, quæ olim conferebatur in circumcisione.

D E

DE CIRCVMSTANTIA.

CIrcumstantia peccati est accidens actus humani, attingens ipsum extrinsecè, & communiter à sacris Doctoribus ponuntur octo, videlicet quis, quid, vbi, quibus, cur, quomodò, quando, & quoties. Quis supple est qui fecit: quia varietas status, & personæ aggrauat peccatum. Quid supple fecerit, vel circa quid fecerit, vtrũ illud sit mortale vel veniale, vtrum illud sit publicum vel occultum. Vbi, de loco, vtrum illud fecerit in loco prophano, vel in loco sacro. Quibus supple medijs, seu auxilijs, seu instrumentis illud fecerit atque vsus fuerit ad peccandum. Cur, supple id fecerit, an ex ignorantia, an ex infirmitate, vel ex electione & malitia. Quomodò, vtrum fortiter vel leuiter, vtrum naturali modo vel innaturali. Quando, de tẽpore, an in die festo, uel in die profesto, vtrum in ætate adulta vel puerili. Quoties, de numero, vtrũ bis, ter, vel quater, siue vtrum semel vel sæpè: istæ sunt circumstantiæ, super quibus pœnitentes prudenter à Confessarijs examinandi veniunt.

Circumstantię peccati sunt in duplici differentia, quędam non aggrauantes peccatum, & istę nõ sunt confitendę, quædam aggrauantes, & istę adhuc sunt in duplici differentia, quędam sunt aggrauantes, non in infinitum, vt commisisse furtum die festo, & istę non sunt cõfitendæ de necessitate, sed solùm ad benè esse, & tales sunt omnes illę circum

stantiæ,

stantię, quę nouam speciem peccati non faciunt: quędam verò sunt aggrauantes peccatum in infinitum, vt commisisse furtum in templo, vel fornicationem, cum persona Deo dicata, & tales sunt omnes illæ circumstantię, quæ nouã speciem peccati faciunt, quę necessariò veniunt confitendæ, vt quis effectum absolutionis consequatur.

DE CLAVIBVS ECCLESIAE.

NOmine clauis Ecclesię, venit potestas ligandi atque soluendi, hoc est, recipiẽdi dignos, & excludendi indignos à regno cœlorum: quam potestatem Christus tradidit & reliquit suę Ecclesiæ, Matth. 16. Hęc potestas essentialiter principaliterque est in Trinitate, per excellentiã est in Christo, per meritum est in eius passione, & per ministerium est in Sacerdote.

Clauis Ecclesiæ communiter ponitur triplex, scilicet: essentialis, excellentię, & ministerialis. prima competit Deo. secunda Christo. tertia Sacerdoti, Clauis ministerialis duplex, ordinis & iurisdictionis. prima competit solis Sacerdotibus, secunda etiam alijs clericis inferioribus. Clauis Ecclesię est vna & plures, est vna in essentia, & plures in effectu. Vna & eadem est clauis spiritualis, qua aperitur homini cœlũ, & clauditur infernũ: tamẽ nõ dicitur clauis inferni, sed cœli, quia denominatio fit à nobiliori, aperitur cœlum homini à Sacerdote, dũ illum à peccatis absoluit. clauditur cœlum homini à Sacerdote, dum peccatũ hominis ob eius inpœnitẽ

tiam retinet, siue excommunicat. Verùm non licet Sacerdoti, vti clauibus Ecclesiæ pro sua voluntate, quia non est agens principale, sed solus minister, & instrumentum: vnde si Sacerdos vtatur clauibus pro arbitrio, dimissa rectitudine diuinæ motionis, peccat, & effectum non consequitur, vtputa excommunicando, vel non absoluendo, quem deberet absoluere.

DE CLERICO.

CLericus vox Græca, Latinè sors: vnde Clerici idem est quod electi ad sortem Domini. In materia fauorabili appellatione Clericorum intelliguntur omnes cuiuscunq; ordinis, siue dignitatis sint, etiã religiosi, & habẽtes solũ primã tõsurã; in materia verò odiosa, nomine Clericorum neque Episcopi, neq; alij Prælati, neq; Canonici Ecclesiarũ cathedraliũ, neq; religiosi cõprehẽduntur: quia in istis est qualitas sup alios, q̃ in simplicib⁹ Clericis nõ reperitur. Similiter in materia fauorabili, nomine Ecclesię etiã monaster. veniunt: sec⁹ autem in materia odiosa. Itẽ appellatione populi i materia fauorabili vẽit etiã Cleric⁹, nõ tamẽ i materia odiosa.

In Clerico octo potissimùm desiderantur; Primò, quòd sit literatus: nam Clericorũ est alios docere, & maior eruditio requiritur in Episcopo, quã in simplici Sacerdote, Episcopus enim vt sit tutus in conscientia, debet habere scientiam noui, & veteris testamenti, & iuris canonici, precipuè in causis matri-

matrimonialibus, de quibus ipse habet iudicare. secundò, quòd sit hospitalis. tertio, quòd sit sobrius in cibo, potu, in incessu, & habitu. quartò, quòd sit castus, non tantùm verè, sed etiam apparenter, viuendo continenter, non contrahendo, neque cohabitando mulieri suspectæ. quintò, quod solicitè horas canonicas psoluat, si est in sacris, siue beneficiatus, siue religiosus professus. sextò, quòd resideat in suis beneficijs & in Ecclesijs. septimò, quòd sit amator pacis. octauò requiritur, quòd sit absque peccato mortali: quia existens in mortali, celebrãs & Sacramenta ministrans, lætaliter peccat.

Clericis in iure multa sunt prohibita, inter quæ præcipua sunt sequentia; primò, ars lanionis, cauponis, & histrionis. secundò, inseruire laicis dominis. tertiò, portare arma. quartò, ire ad publica hospitia, nisi ibi sint itinerantes. quintò, sequi venationes, alere accipitres & canes ratione venationis. sexto cõducere agros à laicis. septimò, ludere aleis & taxillis. octauò, mercantias exercere. nonò, habitare cum mulieribus, præterquàm cum matre, sorore & amita. decimò, Clericis prohibetur color viridis & rubeus, nisi eis competat ratione officij, seu dignitatis, vt Episcopis color viridis ac violaceus, & Cardinalibus rubeus violaceusque.

A Clerico existente in mortali, si est toleratus à superioribus, subditis nedum licet, sed etiam tenẽtur recipere Sacramenta: malus minister dicitur toleratus, qui non est priuatus per sententiam,

neque conuictus per propriam confessionem factam in iudicio : vnde Clericus fornicarius notorius notorietate facti tantùm, licet sit suspensus quo ad se, non tamen quo ad alios, ita vt debeat euitari in diuinis officijs, sed requiritur, vt Clericus sit concubinarius notorius, etiam notorietate iuris, hoc est, per sententiam, vel per spontaneam confessionem factam in iudicio, ad hoc vt in diuinis à populo sit euitandus, & ipse celebrando fiat irregularis, super qua irregularitate tunc solus Papa dispensat.

Clerici de bonis acquisitis, intituitu Ecclesiæ, de iure non possunt testari; sed huiusmodi bona, siue mobilia, siue immobilia, post illorum obitum, remanent apud eandem Ecclesiam : de his verò, quæ aut paternæ successionis vel cognationis intuitu, seu consanguineorum vel amicorum munere, respectu non habito ad Ecclesiam, ad eos peruenerint, liberè testari poterunt. Quòd si discesserint intestati, nec aliqui fuerint inuenti, qui iure cognationis ipsis succedere valeant, eo casu Ecclesia in integrum succedet, nec cuiquam ex rebus eorum aliquid præsumere licebit.

DE COGNATIONE.

COgnatio communiter à sacris Doctoribus triplex ponitur, carnalis, spiritualis, & legalis. Carnalis duplex consanguinitatis & affinitatis. Cognatio consanguinitatis, est vinculum personarum

rum ab eodem ſtipite deſcendentium, quę impedit & dirimit Matrimonium contractum, vſq; ad quartum gradum incluſiuè, in linea trauſuerſali & collateralium: in linea enim aſcendentium & deſcendentium, eſt perpetua prohibitio, quia tales ſe habent, vt parentes & filij, qui de iure diuino à Matrimonio repellũtur, vt habetur Geneſ. cap. 2. Cognatio affinitatis eſt ꝓpinquitas pſonarũ ex carnali copula ꝓueniẽs, & hæc duplex eſt, vna q̃ oritur ex copula matrimoniali, & hęc impedit & dirimit Matrimoniũ cõtractum vſq; ad quartum gradũ incluſiuè: altera, quæ prouenit ex copula fornicaria, & hęc vltra ſecundum gradum, vt habetur in Cõc. Trident. ſeſſ. 24. de reform. cap. 4. non ſe extendit.

Cognatio ſpiritualis, quæ oritur ex duobus Sacramentis, Baptiſmo & Confirmatione, dirimit Matrimonium inter baptizantem & baptizatum, ſiue confirmantem & confirmatum, baptizatiq; ſiue confirmati patrem & matrem; item inter leuantem, & leuatum, ſiue inter tenentem & confirmatum, leuatiq̃ue ſiue confirmati patrem & matrem, vltra quas perſonas iam talis cognatio non ſe extẽdit, vt habetur in Concil. Trident. ſeſſ. 24. de reformat. Matrimonij, cap. 2.

Cognatio legalis, eſt propinquitas perſonarum ex adoptione proueniens, quæ impedit & dirimit Matrimonium contractum inter aliquas perſonas propter neceſſitatem cohabitandi, vt honeſtas ſeruetur. Primò, inter patrem adoptantem & filiam

adoptatam, & inter patrem adoptantem & filiam adoptati. Secundo, inter filiam adoptatam & filiū naturalem adoptantis. Tertiò, inter patrem adoptantem & vxorem adoptati, & inter filium adoptatum & vxorem adoptantis. Prima & tertia cognatio est perpetua, etiam soluta adoptione: secunda verò, secuta morte naturali adoptātis, nō āplius impedit, vide suprà in titulo de Adoptione fol. 17.

DE COMMVNIONE.

COmmunionis nomine secundū sacros Theologos, sumptio corporis Christi venit, quæ homini est necessaria necessitate finis simpliciter: nam nullus potest saluari, nisi Christum manducet, vel manducatione sacramentali, vel manducatione spirituali, hoc est in voto, seu desiderio, quod contingit dupliciter, vel in voto proprio, vel in voto alieno, sic pueri sumunt Sacramentum altaris, sic pueri Christum spiritualiter manducant: vnde Sacramentum Eucharistiæ est homini de necessitate salutis, quia nullus absque eius sumptione, aliquo modo vitam ęternam consequi potest. Adultis est necessaria sumptio Christi saltem in voto proprio, si non sacramentalis: pueris verò est necessaria in voto alieno, nempè Ecclesiæ, in Baptismo enim dicuntur sumere Sacramentum Eucharistię, ex quo Christo incorporantur effectus huius Sacramenti.

Sacra Communio non datur infidelibus, neque catechumeuis, neque pueris: quia ad sacramentalē sumptio-

ſumptionem Euchariſtiæ tria requiruntur, fides, Baptiſmus, & actualis deuotio. Defectu primi, non datur infidelibus; defectu ſecundi, non datur catechumenis; & defectu tertij, non datur pueris. AEtas quæ deſideratur ad ſumptionem ſacramentalem Euchariſtiæ, eſt decem, aut vndecim, aut duo decim annorum, vbi apparent ſigna diſcretionis, ita vt aliquis diſtinguere valeat inter cibum ſpiritualem & corporalē, & ſigna deuotionis in eo videantur, & vt ſatisfiat præcepto Eccleſiæ; Chriſtiani debent communicare in Paſchate, hoc eſt, à Dominica in ramis palmarum, vſque ad octauā Paſchatis incluſiuè, & tales debent eſſe ieiuni: excipiuntur tamen infirmi, vbi dubium eſt, an poſſent expectare vſque manè, & Sacerdos, qui per errorem conſecraſſet aquam loco vini, & ſumeret, credens eſſe vinum, eo caſu debet de nouo conſecrare & ſumere, non obſtante, quod non ſit ieiunus: quia maius eſt præceptum de perfectione Sacramenti, quàm ſit præceptum de ieiunio.

Duo ſunt modi communicandi, Sacramentaliter & ſpiritualiter. Manducare Sacramentaliter, eſt Chriſtum per fidem recipere ſub ſpeciebus panis & vini: manducare autem ſpiritualiter, eſt coniungi Chriſto per fidem & charitatem, credendo ipsū contineri ſub Sacramento, cum propoſito ſumendi Sacramentaliter. Angeli manducant Chriſtum ſpiritualiter, iuxta illud: Panem Angelorum manducauit homo, non tamen ſacramentaliter, quia non

manducant per fidem, sicut fit in hoc Sacramento, sed per apertam visionem. Sancti patres in veteri lege manducauerunt Christum spiritualiter, vt habetur 1. Cor. 10. fuerunt enim ipsi vniti per fidē & charitatem, & aliquo modo magis manducauerunt quàm Angeli: quia fuerunt incorporati Christo in vnitate specifica, & non solùm per fidem & charitatem, sicut Angeli Christo vniūtur: non tamen manducauerunt sacramentaliter, quia hoc Sacramentum nondum erat institutum. Peccatores manducant Christum sacramētaliter, ex quo habent fidem, & intendunt sub hoc Sacramento Christum recipere: non tamē manducant spiritualiter q. a Christo nō vniuntur, imò magis ab eo separātur, sicut docet D. Paul. 1. Corinth. 11. Qui māducat & bibit īdignè, iudiciū sibi māducat & bibit.

Sacrę communionis duo sunt effectus pręcipui, vnus est augmentatio gratiæ habitualis, alter est nutrimentum vitæ spiritualis, quo in homine deuotio conseruatur, & incentiua peccatorum debilitātur. Pollutio nocturna considerata secundùm se, non est peccatum, quia in somnijs homo non habet vsum liberi arbitrij, ex consequenti neque est in statu merendi, neque peccandi. Pollutio nocturna quantum ad suam causam, quandoque procedit à causa extrinseca spirituali, puta à dæmonibus, quibus fiunt apparitiones mulierum, ac si illæ essent præsentes & veræ, quę illusio aliquando prouenit ex mera nequitia dęmonum, & tunc pollutio

nocturna

nocturna non impedit Cõmunionem: aliquando prouenit ex præcedente consensu expresso, vel interpretatiuo, & talis impedit sacram Communionem, quandoque prouenit ex causa spirituali intrinseca, puta ex præcedentibus cogitationibus lasciuis, quæ si fuerint causa disputationis, seu prædicationis, seu confessionis, sunt absque peccato: si verò fuerunt cum cõcupiscẽtia, & delectatione, tunc sunt peccatum, & pollutio nocturna inde secuta, impedit sacram communionẽ, quando quæ procedit à causa intrinseca corporali, puta ex superfluitate cibi, & potus, tunc est peccatum, & per cõsequẽs pollutio inde secuta, impedit sacram Communionem.

DE CONCILIO.

COncilium propriè est congregatio Prælatorum ecclesiasticorum sub vno capite ad tractandum de his: quæ ad salutem animarum spectãt, & communiter triplex ponitur, generale, prouinciale, & diœcesanum. Generale, quod solius Papæ authoritate celebrari potest. Prouinciale, quod à Metropolitano cũ suis Suffraganeis, puincie celebratur. Diœcesanũ, quod ab Episcopo cum curatis, Rectorib⁹, & Clericis ciuitatis, ac diœc. celebratur,

Primum Concilium Ecclesiæ Christi fuit celebratum Hierosolymis sub D. Petro, vt habetur Actor. 12. deinde multa alia, inter quæ quatuor dicuntur cæteris solenniora & antiquiora, videlicèt; Nicœnum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalce-

Chalcedonenſe, quæ totam noſtram fidem complectuntur, quaſi quatuor Euangelia. Concilium Nicænum fuit celebratum ſub Syluestro, ano Domini 300. cui interfuerunt trecenti decem & octo Epiſcopi, & fuit damnata hæreſis Arriana. Concilium Conſtantinopolitanum fuit celebratum ſub Damaſo, anno Domini 371. cui interfuerunt centum, & quinquaginta Patres, & fuit damnata hæreſis Macedonij, dicentis: Spiritum ſanctum eſſe minorem Patre & filio. Concilium Epheſinum fuit celebratum ſub Celeſtino, anno Domini 438. cui interfuerunt ducenti Patres, & fuit damnata hæreſis Neſtorij, dicentis: in Chriſto duas eſſe perſonas. Concilium Chalcedonenſe fuit celebratum ſub Leone, anno Domini 448. cui interfuerunt ſexcenti & triginta Epiſcopi, & fuit damnata hæreſis Euticetis, dicētis: in Chriſto vnam tantùm eſſe naturā.

Concilium generale authoritate ſummi Pontificis congregatum, celebratum, & confirmatum in his, quæ ſunt fidei, nullo modo errare poteſt: quia ſcriptū eſt Matth. 28. Ero vobiſcū vſq; ad cōſūmationem ſeculi. Ioā. 14. Rogabo, inqt Chriſtus, Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum. Item quia ab ipſa Veritate dictum eſt Petro, eiuſque ſucceſſori Lucæ. 22. Rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua.

Papa eſt ſupra Concilium generale, tàm in his, quæ pertinent ad fidem, quàm in alijs: nam Concilia authoritate Papæ congregantur, ſecundo cōfirmantur.

mãtur. tertiò, Papa exponit & interpretatur statura Conciliorum: ergo authoritas Papæ est maior authoritate Concilij, nec obstat hic, quòd Concilium generale possit iudicare Papam in causa hæresis: quia eo casu non est Papa, nam Papa hæreticus per tinax, ipso iure est depositus, ita vt in tali casu nõ Concilium deponat Papam hæreticum: sed Ius, quod fuit institutum authoritate Papę, vnde absolutè Concilium non habet authoritatem super Papam.

DE CONFESSIONE IVDICIALI.

COnfessio delicti in foro contentioso est facienda Iudici interroganti sub pœna lethalis criminis. quando factum est notorium, vel infamia flagrat, vel quando semiplene est probatũ: secus non, nec obstat etiam si iurasset dicere veritatem: quia occulta non sunt publicanda, sed soli Deo relinquenda. D. Tho. 22. quæst. 59. ar. 1.

Confessio Iudicialis pręiudicàt confitenti quãdo hęc simul concurrunt, nempe si confitens sit maior viginti quinque annis, si fiat spontè, ex certa scientia & causa expressa coram suo Iudice, & sit Iuribus consona: Secus non præiudicat ipsi confitenti.

Consocius criminis non potest esse idoneus testis in Iudicio: vnde si inquisitus interrogatur de cõsocijs criminis, non ea ratione interrogari debet vt sit testis, sed vt per eius dicta & confessionem veritas

tas ab alijs facilius haberi possit. Et quia omne Iudicium vt sit rectum per duos saltem testes probari debet, hinc fit quod interrogatus vel sua sponte dicens, non facit iudicium contra socios: nam ex quo talis confessus est crimen suum, est factus infamis, infamia facti saltem, & per consequens nullo modo facit iudicium contra socium, licet verum sit, quod vnus testis omni exceptione maior, quãdo deponit directè super ipso facto principali, de visu, & qualitate criminis, faciat indicium sufficiens, etiam ad torturam.

Testes singulares duo vel tres, nulla ratione possunt coniungi ad faciendum indicium contra tertium, nisi sit testis omni exceptione maior, multo, minus ad faciendum plenam probationem; quia vniuscuiusq; dictum per se sumptum, est imperfectum, Quare si duæ mulieres dicerent se peccasse cũ aliquo, non possunt coniungi vti ex dictis patet, ad faciendum indicium perfectum, nec arctandum ad veritatem dicendam, aliquibus etiam coniecturis accedentibus, præsertim cum tales de delicto perpetrato in suo corpore deponat Bar. in. l. si quis.

DE CONFESSIONE. sacramentali.

COnfessio peccati tripliciter fit, scilicet: in foro animę coram Deo, in foro Pœnitentię coram Sacerdote Dei Vicario, & in foro contentioso coram iudice. Confessio secundo modo facta, de qua

qua sermo est futurus, pars Sacramenti Pœnitentiæ, est manifestatio peccati coram Sacerdote legitima, & hæc ponitur duplex, generalis, qua aliquis; confitetur sua peccata Sacerdoti in genere, & specialis, qua homo omnia peccata memoriæ occurrētia, Vicario Dei confitetur: Confessio generalis nō valet ad remissionem peccatorum mortalium, quę memoria tenentur, sed solùm ad remissionem peccatorum mortalium oblitorum, ac venialium: ad remissionem verò mortalium, de quibus homo cōscientiam habet, necessariò post Baptismum requiritur Confessio sacramentalis. facta in specie.

Confessio peccatorum sacramentalis Sacerdoti facienda, est de iure diuino, Ioan. 20 Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt: quę autem veniant remittenda, & quæ retinenda, non potest sciri à Sacerdote nisi per Confessionem, ergo in authoritate citata, includitur præceptum de confitendis peccatis Sacerdoti. Accedit hic præceptum Ecclesiæ super tempore, quo huiusmodi Confessio peccatorum Sacerdoti est facienda, nempe semel in anno, circa festum Paschatis: ante tamen hoc tempus ab Ecclesia taxatum, ad eam homo tenetur in duobus casibus, vt ratione Sacramenti Eucharistiæ sumendi, qua ducti Sacerdotes, debent crebrò confiteri, & ratione periculi mortis, quo casu Confessio sacramentalis non est differenda, vsque ad tempus paschale.

Con-

Confessio peccatorum debet reiterari in quinque casibus. Primò, quando quis scienter tacuit aliquod, quod est mortale, ¬vel ex verecundia, ¬vel ex alia causa. Secundò, quando quis non impleuit iniunctam pœnitentiam, vel ex contemptu, vel ex notabili negligentia, & illius est oblitus. Tertiò, quando quis scienter, & ex electione accedit Confessarium notabiliter ignorantem: vnde inquit D. Augustinus: Qui vult confiteri, vt inueniat gratiam, Sacerdotem quærat sciente soluere & ligare. Quartò, quando quis confessus est Sacerdoti, non habenti authoritatem, & illi constat, secùs si ignoranter. Quintò, quandò quis fuit excommunicatus, & non prius fuit absolutus ab excommunicatione, quàm à peccatis: in istis enim casibus homo, ¬vt effectum absolutionis consequatur, Confessionem reiterare debet.

Sigillum Confessionis nil aliud est, quàm quædam obligatio ad celandum audita in Confessione sacramentali, quæ quidem obligatio sequitur de necessitate ad sacramentalem Confessionem, sicut propria passio ad suum subiectū. Sigillum seu celatio Confessionis sacramentalis est de iure diuino; nam Deus tegit peccatum illius, qui se subijcit per pœnitentiam, Psal. 31. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: tunc sic Confessio, qua quis Sacerdoti se subijcit, est signum interioris Confessionis, qua subijcitur Deo: ergo vt signum correspondeat suo signato, & Sacer-

dos

dos Confessionem celare debet,ad quod tenetur, siue absolutio sic secuta, siue non, & in hoc Sacerdos nulli est subiectus, per consequens, vt reuelet audita in Cõfessione,nulli tenetur obedire:quia est contra præceptum diuinum, contra præceptũ naturæ, & contra charitatem proximi, si tamen Sacerdos audiuit peccatum ante vel post Confessionẽ, necessitate imminente,potest in iudicio deponere, & dicere peccatũ illud:quia p hoc Sacerdos nõ est factus deterioris conditionis, nempe vt nõ possit dicere quod possit,si Confessionem nõ audiuisset.

Sub sigillo Confessionis non cadunt peccata secundùm se neque persona confitens per se, vnde si quis dicat,audiui peccata in Confessione, vel audiui talem in Confessione,non ob id potest dici violator sigilli Confessionis:sed sub sigillo Confessionis directè cadunt peccata in relatione ad peccatorem,vt si quis dicat:talem cõmisisse tale peccatum quod ipse per solam Confessionem scit, reuelat Confessionem;indirectè verò sub sigillo Confessionis sacramentalis,cadunt omnia,per quæ peccator potest manifestari per se,vel per accidens, directè vel indirectè, Item, omnia, per quæ potest generari Confessio magis odiosa. Pœna reuelantis Confessionem vltra quòd mortaliter peccat, & pœnam æternam incurrit,talis, secundùm iura, debet deponi,& in arctum monasterium ad ones dies vitę suę intrudi.Caueant igitur Sacerdotes,ne tã nefandum sacrilegium committant.

D E

DE CONFESSORE.

CONfessor, cui sacramentalis Cõfessio de peccatis facienda venit, est solus Sacerdos, qui in articulo mortis ab omnibus peccatis, & censuris absoluere potest, & de facto absoluit: citra autẽ mortis articulum, iuxta potestatem illi limitatam, atque à Superiore cõcessam: Verùm Sacerdoti hæretico siue excommunicato, nullus confiteri debet etiamsi nullus alius Sacerdos detur, & pœnitens constitutus sit in periculo mortis, quia in tali casu sufficit Confessio in foro animę, hoc est, Deo facta, & est, ac si copiam Sacerdotis non haberet, propter rea tunc contritione data, summus Sacerdos, qui est Christus Iesus, suppleret.

In Confessario quinque communiter desiderãtur, videlicet: potestas, scientia, prudentia. bonitas, & sigillum. Primò, in Confessario requiritur potestas, nedum characteris, siue ordinis, vt sit Sacerdos: sed etiam iurisdictionis, siue ordinaria, siue delegata: quia materia Sacramenti Confessionis est homo subditus: vnde sicut prolatis verbis consecrationis panis super lapide, Sacerdos nihil efficeret, ita si tentet absoluere hominem non subditum, absolutio est nulla, & pœniẽts conscius tenetur alteri confiteri. Secundò, in Confessario, requiritur scientia, quæ in eo debet esse tanta, ad hoc, vt tanto munere absque detrimento, proprię animę fungatur, vt sciat distinguere inter peccatum, & non

pec-

peccatum, inter mortale & veniale, inter casus & censuras, & qui casus sint episcopales, & qui sint Papales, secus talis Sacramentum Pœnitentiæ administrans, non est tutus in conscientia. Tertiò, in Cõfessario requiritur prudentia: quia Sacerdos imprudens, circa hoc Sacramentum, in multis casibus posset, vel pœnitentem vel se, vel vtrunque simul præcipitare. primò debet esse prudens imponendo pœnitentias, quas confitentes spontè ferre velint, ne propter magnas satisfactiones, vel factu difficiles iniunctas, peccatores cadãt in disperationẽ. secũdo, debet esse prudens, non exigendo iuramentum, neque promissionem à peccatore de abstinendo in posterum ab aliquo peccato, vel faciendum aliquid iniunctum, si vult absolui: sed sufficit ostendere grauitatem peccati, hortari peccatorem, vt in posterum abstineat, & habeat propositum cauendi de cætero. tertio, debet esse prudens interrogãdo p qualitate, & statu psonarum, absoluendo sine cõditione; tamen significare pœnitenti, quòd si non restituat, vel si satisfactionem iniunctam ex contẽptu omiserit, effectum Sacramenti non consequetur. Quartò. requiritur in Confessario bonitas vitæ: quia verisimile est, q̃ qui nõ curat propriã salutem, minus alienã curabit. Itẽ, quia Confessarius existẽs in mortali audiẽdo sacras Confessiones, peccat mortaliter: quia in eo, qui se exhibet ministrũ Christi & Ecclesiæ, vt dignè suum officium peragat in Eucharistia semper requiritur Confessio, vbi de mortali

conſcientiam habet: in alijs verò Sacramentis ſufficit cõtritio, cum propoſito confitendi &c. Quintò, requiritur in Confeſſario ſigillum, hoc eſt, quòd ſit ſecretus, ita vt quocunque caſu dato, nunquam audita in Confeſſione reuelare debeat: ſed potius propriam vitam profundere, ad quod Sacerdos tenetur, priuſquàm ſigillum Confeſſionis ſacramentalis violaret,

Confeſſarius debet interrogare confitentem, quem animaduertit, ex ignorantia deficere, iuxta hunc modum: Primò, de excommunicationibus, an ſit excommunicatus, nec ne: quia ſi eſt excommunicatus, & habeat authoritatem, prius abſoluendus eſt ab excommunicatione, deinde à peccatis. Secundò, de decem præceptis, quæ dicuntur Decalogi. Tertiò, de ſeptem vitijs capitalibus, & eorum circumſtantijs Quartò, de articulis fidei, de Sacramentis Eccleſiæ, de operibus pietatis, & de abuſu ſenſuum, tàm exteriorum, quàm interiorum, illũque inſtruendo, potiſſimùm de hoc, quod quilibet Chriſti fidelis adultus prima rudimenta Chriſtianę religionis, vt articulos fidei, orationem Dominicam, & præcepta Decalogi, ſub reatu lethalis criminis ſcire tenetur: verũ circa interrogationes faciendas in Confeſſione ſacramẽtali, tria à Cõfeſſario præcipuè ſunt obſeruanda. Primò, vt quilibet interrogetur de peccatis, iuxta conditionẽ ſuã. Secũdò, vt de peccatis omnibus manifeſtis pœnitens interrogetur explicitè: de alijs verò ꝓpter ſcãdalũ, ꝙ

inde

inde posset oriri, interrogandus est à longinquo. Tertiò, nõ nimis descendere ad particulares circũstantias, maximè circa venerea, ne inde contingat, nocumentum ac damnum tàm confitenti, quàm Cõfessario. Vide infrà in titulo de Interrogatione.

DE CONFIRMATIONE.

COnfirmatio diuina, de qua nunc intẽdimus, est vnũ ex septẽ Sacramentis nouæ legis, per quod homo idoneus efficitur ad Christũ cõfitendum, cõfirmatur in pugna contra vitia ac dæmonẽ, & ad huius mundi prælia agonesque armatur atq; instruitur. Huius Sacramenti quinque sunt de substantia, duo ex parte Sacramẽti, duo ex parte ministri, & vnũ ex parte susципientis. Ex parte Sacramẽti duo sunt de substãtia, scilicet: Chrysma, hoc est oleum oliuarum cum balsamo cõsecratum ab Episcopo, & forma præscripta verborũ, quæ est ista: Cõsigno te signo crucis, & cõfirmo te chrysmate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sãcti. Ex parte ministri, duo, scilicet dignitas põtificalis: solus enim Episcopus huius Sacramẽti est ordinarius minister, & intẽtio eius saltẽ habitualis, quæ ad perfectionẽ Sacramẽti necessariò requiritur, licet ad certitudinẽ Sacramẽti susципepti sufficiat intentio Ecclesiæ, q̃ semper adest, vbi minister seruat seruãda, nẽpè debitã materiã & formã. Ex parte susципiẽtis, vnũ est de substantia Sacramẽti Confirmationis, videlicet, quod in fronte, & non alibi chrysmetur.

Confirmationis Sacramentum Christus nobis insinuauit, Matth. 19. promisit Ioan. 16. exhibuit Actor. 4. Verùm sacramentum Confirmationis nõ est de necessitate salutis simpliciter, vt patet in pueris, qui solo Baptismo saluantur, sed est de necessitate salutis ad benè esse: vnde cõtemnens suscipere hoc Sacramentum, peccat mortaliter, contemptor autem dicitur, qui potest suscipere, & negligit. Confirmationis Sacramẽtum requiritur in eo, qui vult suscipere Ordines ecclesiasticos, non quidem de necessitate: quia si non confirmatus ordinetur, collatio tenet, sed requiritur de congruitate.

In collatione Sacramenti Confirmationis, ser præcipuè veniunt obseruanda. Primò, à ieiunis debet dari, & à ieiunis debet suscipi: sed hoc neque est de necessitate Sacramenti, neq; est de necessitate præcepti, ita vt etiã à prandio absque peccato conferri & recipi possit. Secundò, cõfessis debet administrari, si confirmandi sunt adulti, & hoc non est de precepto, sed de consilio; in Eucharistia enim si quis est in peccato mortali, est p̃ceptum, confiteri antequàm sumatur; in hoc verò Sacramento & in alijs, est p̃ceptum conteri de mortalibus, & est cõsilium confiteri. Tertiò, debet dari in fronte, ad insinuãdum, quòd homo audacter, sine timore & rubore Christum confiteri debeat. Quartò, caput à lotione septem diebus seruari debet. Quintò, debet administrari in Diœcesi, subditis tantùm & in Ecclesia. Sextò cõfirmãdus debet teneri ab aliquo cõfirma-

firmato, nõ qdẽ de necessitate Sacramẽti, sed p̃cepti.

Sacramenti Confirmationis triplex ponitur effectus. Primus est gratia sacramentalis distincta à gratia, quæ in Babtismo confertur: quia gratia baptismalis datur ad remissionem peccati, ista verò datur ad corroborationem & confessionem fidei. Secũdus effectus est impressio characteris, qui est distinctus à charactere impresso per Baptismum; nã per characterẽ Baptismi homo fit capax aliorũ Sacramentorum, & fideles ab infidelibus distinguuntur; per characterem autem Cõfirmationis, perfecti Christiani ab imperfectis distinguuntur. Tertius effectus est cognatio quædam spiritualis, quæ oritur ex hoc Sacramento, & impedit dirimitque Matrimonium cõtractum inter aliquas personas, sicut suprà dictum est in titulo de Baptismo, fol. 46.

DE CONFIRMATIONE Canonica.

E Lectores, iuxta institutionem Gregorianam, in Concilio Lugdunensi, quàm primùm commodè possunt, debent dare operam, vt ad actum Electionis procedant, & electi consensum habeant, quem si infra mensem sine causa legibus cognita, electus dare distulerit, iure quod ei ex tali electione est acquisitum, statim carere debet; & per consequens Electores ad aliam electionem liberè connolare possunt. Electus post consensum electioni

prestitum, si nullum iustum impedimentum, putà locorum distantia obsistat, infra tres menses confirmationem à Superiore petere debet: secus trimestri spatio elapso, electio est penitus irritanda, cassanda, & annullanda: hęc enim & alia sunt statuta, quibus Ecclesiarum periculosis vacationibus, malignantium subterfugijs electorumq; incommodis facilè occurritur, quæ nedum in electionibus, sed etiam in postulationibus obseruari debent.

Quamdiu quis confirmatus non est, res Ecclesiæ administrare non potest. Quod si negotijs Ecclesię, ad quam vocatus est, se temerè ingesserit, omni iure, quod per electionem ei acquisitam fuerit, ipso facto est priuatus, nullo, neque œconomatus, nec procurationis prętextu excusandus. Quare, electo, nisi literis Cõfirmationis exhibitis & ostensis, non est obediendum, neque aliquis absq; dictarum litterarum ostensione, eum recipere tenetur.

Cõfirmatio non conceditur, nisi cum cognitione causæ: propterea is, ad quem munus confirmandi pertinet, & electionis processum, & personam electi diligenter examinare debet, & cùm omnia ritè concurrunt, tunc potest Superior tuta conscięntia electum confirmare: quod si secus factum fuerit, promotus indignè erit deijciendus, & sic promouens puniendus: nam nihil est, quod Ecclesiæ Dei magis officiat & noceat, quàm si indigni ad regimen animarum assumantur: Verùm si fortè eligentiũ vota in duas se diuiserit partes, eo casu is ꝑferendus

rendus erit, q maioribꝰ ſtudijs & meritis iuuatur.

Vacante Eccleſia, ſi vnus fuerit electus & alter poſtulatus, prꝛeponitur electus ꝙuè idoneus, niſi poſtulantium numerus ſit eligentium duplo maior quia in tali caſu poſtulatio eſſet admittenda; Quod ſi poſtulantes ignoranter indignum pòſtulauerint, tunc nec poſtulatio, nec electio rata habenda erit: ſi verò poſtulãtes ſcienter indignum poſtulauerint, in tali caſu electio erit confirmanda, non obſtante, quòd numerus poſtulantium ſit eligentium duplo maior.

In confirmatione facienda citandi ſunt, quorũ intereſſe poteſt, ne Superior contra doctrinã Apoſtolicam nimia celeritate, vtendo, proprium affectum, iuri, & æquitati prꝛeponat. Quòd ſi nemo apparet, qui futurꝛ confirmationi ℣elit opponere, termino aſſignato peremptorio elapſo, proceditur ad actum confirmationis. Quæ omnia locum habent, ſiue electio concorditer fuerit celebrata, ſiue non: Sciant tamen ij, qui calumniosè opponunt, ſi probationibus deſtituti fuerint, ſe legitimis prꝛenis eſſe ſubijciendos.

Confirmato, & nondum conſecrato, eſt permiſſa libera tractatio eorum, ꝙuꝛ ſunt iuriſdictionis, ℣tputa corrigendi, excommunicandi, iuramentum exigendi, conferendi, confirmandi, & alia id genus, ea verò, ꝙue ſunt Ordinis, ℣t Clericorum ordinationes, benedictiones virginum, depoſitiones actuales, Eccleſiarum & altarium conſecratio-

nes,& his similia. Confirmatus in Episcopũ,& non cõsecratus, prẽstare nõ potest, quandoquidẽ ratio non suadet, vt quis in alios conferre possit, quo ipse indiget. Quòd si consecratus fuerit, tunc non tantùm,quæ iurisdictionis,verùm etiam quę Ordinis sunt,exequi poterit.

DE CONSECRATIONE.

COnsecratio,seu benedictio triplex est, vna ornamentorum seu instrumentorum, puta vestium sacerdotalium, corporalium & calicum; alia locorum, puta cœmiterij,altaris, & Ecclesiæ, tertia personarum, maximè Episcoporum, de qua nunc præcipuè intendimus. In consecratione ergo Episcoporum tria requiruntur, vti de eius substantia. Primò, inunctio capitis chrysmate, secundò,positio libri super ceruicem consecrandi.tertiò, ternarius numerus Episcoporum, licet secundùm Petrum de Pal. ternarius numerus Episcoporum non sit de substãtia consecrationis Episcopi, inquit enim in suo lib.de potest. Papę,quòd super hoc legitur Gregorium in Anglia dispensasse.

Papa ex consuetudine consecratur ab Episcopo Hostiensi, licet consecrari possit, à quo velit, quia Papa statim post electionem habet plenitudinem potestatis, quod alijs inferioribus minimè competit. Metropolitani consecrantur à tribus Episcopis, omnibus alijs Suffraganeis prouincię præsentibus, qui causa legitima atque necessaria impediti, p litteras

teras consentire debent. Episcopi exempti consecrantur à Papa, vel ab alio de eius mandato: seruatis tamen seruandis. Episcopi non exempti consecrantur à Metropolitano cum duobus comprouincialibus Episcopis, aut à tribus Episcopis prouinciæ, ex iussu Metropolitani: requisitis tamen omnibus Episcopis prouincię, vt per epistolam consentiant: deficientibus autem Episcopis comprouincialibus, aduocandi sunt Episcopi vicinę prouinciæ.

Consecratio Episcoporum debet fieri in Ecclesia die dominico, hora tertiarum, & intra tres mēses à Cōfirmatione, nec vltra debet differi, nisi aliter necessitas suadeat, sicut sāciuit synod. trid. sess. 23, dec. de reform cap. 2. benedictio tamen Abbatum, & aliorum Prælatorum Episcopis inferiorum, fit à solo Episcopo diœcesano, absque iniūctione chrysmatis, verbaliter tantùm. Confirmatus & nondum consecratus, exercet solum, quæ sunt iurisdictionis, non autem quæ sunt ordinis.

Ecclesia in tribus casibus indiget consecratione. Primò, si nescitur, aut dubitatur, vtrum fuerit consecrata, ex quo nullum signum, seu probatio appareat. Secundò, si Ecclesia fuit conbusta, etiam parietibus remanentibus: quia consecratio consistit in superficie. Tertiò, si parietes Ecclesiæ, vel in toto, vel in parte corruerint. Quinq; verò ponūtur casus, in quib⁹ Ecclesia consecrata, polluta, indiget reconciliatione, & non cōsecratione. Primò propter homicidium

cidium perpetratum in ea cum volũtaria irreuerẽtia occidentis, etiam sine sanguine, vt si fur ibi suspenderetur: vnde per homicidium casuale, Ecclesia non violatur. neque si quis ex amentia seipsum interficeret, neque si sequatur ex defensione, neque si commitatur supra tectum Ecclesiæ homicidium, neque si martyr sit qui occiditur: quia talium sanguine, Ecclesia consecratur, & non polluitur. Secundò, propter effusionem sanguinis factam in ea, si est enormis, iniuriosa, & voluntariè facta: vnde si effusio est modica. vel facta ab insano, vel casu, Ecclesia non indiget reconciliatione. Tertiò, propter adulterium, vel seminis humani effusionem, si sit magna, & facta cum voluntaria irreuerentia: vnde per effusionem seminis factam in somnis, & præter voluntatem, atque irreuerentiam, Ecclesia non polluitur. Quartò, si in ea sepultus est infidelis hæreticus, aut excommunicatus, eo casu prius est proijciendum corpus, deinde Ecclesia venit reconcilianda. Quinto, si Ecclesia fuit consecrata, seu benedicta ab Episcopo hæretico, vel excommunicato. In his casibus Ecclesia censetur polluta, & indiget reconciliatione, quæ ordinariè fit ab Episcopo.

DE CONSTITVTIONE.

COnstitutio alia Ciuilis, & alia ecclesiastica de qua nunc intendimus. Hæc secundum glos. quandoque canon, quandoque decretum, quãdoq; dogma, quandoq; mandatum, quandoq. edictum

&

& quandoque sanctio appellatur. Canon dicitur quando constituitur in Concilio generali. Decretum quando constituitur à Papa. Dogma quando constitit in doctrina fidei christianæ. Mandatum quando constitit in doctrina morũ. E dictum quando nulla pœna additur. Sanctio quando apponitur pœna: ꝟberius tamen, nomine constitutionis venit omne Ius scriptum.

Constitutio ecclesiastica si à principio communiter non recipitur authore sciente & tolerante, non obligat ad peccatum: secus si initio à maiori parte recipitur, tunc enim obligat ad peccatum, licet minor pars non seruet. Verum non quælibet constitutio, siue lex canonica obligat ad mortale peccatum, sed illa cuius materia est præceptiua, necessaria, & multum ponderosa, per hæc verba p̃cipimus & iubemus, vel similia: vnde si materia nõ est necessaria aut præceptiua, nec multum ponderosa, etiam si constituens ꝟtatur verbis imperatiui modi, huiusmodi lex non obligat ad mortale peccatum, vt puta illa: Si quis te percusserit in vna maxilla præbe ei & alteram. Item lex canonica obligat ad mortale, quando constituens vtitur ꝟverbis inhibitorijs, ꝟvt inhibemus, interdicimus, & huiusmodi: secus si loquitur per verba communia, vt decernimus, statuimus; innouamus, ordinamus & similia. Aut quando constituens comminatur sub pœna excommunicationis: quia nullus excommunicatur nisi pro mortali, aut in virtute obedientiæ, ꝟvel

sub

sub pœna maledictionis æternę, vel sub indignatione omnipotentis Dei, sic semper lex canonica obligat ad mortale peccatum.

Constitutio canonica seu ciuilis, in foro conscięntię in decem casibus non est seruanda. primò quando lex positiua distingnit inter forum contentiosum & conscientiæ, sic non seruabitur in foro pœnitentię authoritate ipsius legis. secundò quando lex fundat se super mera præsumptione, & non super ipsa veritate: quia in foro conscientiæ attenditur veritas, vt credatur confitenti de omnibus. tertiò quando constitutio non est ad vtilitatem communem, sed solum ad propriam vtilitatem Principis, & tunc dicitur lex iniusta ex fine. quartò quando lex non distribuit equè onera subditis, quia sic est iniusta ex forma. quintò quando excedit authoritatem constituentis, vt patet in statuto Episcopi, quod non ligat subditos delinquentes extra Diœcesim suam, & sic dicitur iniusta ex authoritate. sextò quando lex est pœnalis, quia ante condemnationem, non tenetur quis soluere pœnam in foro animæ. septimò quando ratio legis cessat in foro conscientiæ: nam plus debet attendi ratio legis, quã lex ipsa. octauò quando lex est ciuilis et improbata de Iure canonico tunc non est seruanda in foro animæ. nonò quando constitutio quouis modo est iniusta, vt sunt leges concedentes vsuras, vel præscriptionem cum mala fide. decimò quando lex ciuilis non fuit moribus vtentium recepta, &

lex

lex canonica expresè non aliter disponit: in prędictis enim Casibus cõstitutio siue ciuilis siue Canonica in foro animę non est seruanda, nec obligat de necessitate.

Clerici & aliæ personæ ecclesiasticæ non tenentur seruare leges laicorum, si disponunt specificè super Clericis, aut super rebus ecclesiasticis: quia sic sunt nullæ, vtpotè à non habente potestatem cõditæ. Quod si leges disponunt generaliter, non faciendo mentionem de Clericis, seu ecclesiasticis, & sunt rationabiles, nec contradicunt sacris canonibus, eo casu leges laicorum seruandæ sunt etiam quo ad Clericos: nam certum est quod statutum illud, quod existentibus masculis mulier non succedat, & quod primogenitus succedat, etiam ad mulieres religiosas, & Clericos se extendant. Quare omnes leges laicorum disponentes super contractibus emptionis, venditionis, locationis & huiusmodi, si non repugnant sacris canonibus, sunt seruandæ etiam ab Ecclesiasticis.

Lex ad hoc vt obliget & liget, necessariò debet promulgari & publicari: nam publicatio secundũ Glos. est vltimus actus perficiens legem. In legibus Imperatorum præsumitur scientia post duos menses à publicatione facta in Prouincia. Idem aliqui Doctores tenent de Constitutione Papæ, qui per Episcopos & Archiepiscopos notitiam dare potest, sic vt nullus iure se excusare valeat: volens tamen probare ignorantiam, est admittendus, quia in cõscientia

scientia non ligatur ignorans sine culpa sua. Condens leges iniustas peccat mortaliter,& si contra libertatem & immunitatem ecclesiasticam, tales sũt excommunicati,& tenentur de damno illato ratione huiusmodi legis, quæ nullo modo est seruanda.

DE CONSVETVDINE.

Consuetudo est ius quoddam, non præscriptum,sed moribus vtentium approbatum, quæ aut est secundùm legem, aut est præter legem, aut est contra legem. Consuetudo primo & secundo modo accepta valet, vimque obligandi ad eius obseruantiam habet: consuetudo verò tertio modo accepta,si est contra legem naturæ, vel diuinã, non valet,quod si contra humanam potest valere, dummodò non sit contra canones, minus contra vtilitatem publicam.

Consuetudo ad hoc vt habeat vim legis, & per consequens homines ad eius obseruãtiam obliget, sex necessariò requiruntur. Primò, quod sit rationabilis,hoc est,facta seu introducta aliquo bono fine,ita vt iura,eam non improbent:sed potius sustineant. Secundò,quòd sit obtenta per cursum temporis requisiti ad præscriptionem. In iure ciuili tẽpus præscriptionis consuetudinis, est decem annorum:in iure autem canonico,si consuetudo est prẽter ius, ad eius prẽscriptionem sufficit quidem tẽpus decem annorum:sed si contra ius canonicum

sit,

sit tunc requiritur ad eius prescriptionem tempus quadraginta annorum. Tertiò requiritur, quòd sit inducta ex certa scientia potentis legem condere, vel ex tolerantia potentis legem condere. Quartò requiritur, quòd tale quid possit prescribi: spiritualia enim à laicis ex consuetudine præscribi nō possunt, quia sicut ex prescriptione laicus non potest acquirere ius spirituale, ita nec ex consuetudine. Quintò, requiritur quòd talis consuetudo fuerit in vsu varijs vicibus atque actibus, & duo actus sufficiunt ad consuetudinem inducendam: quia non actus principaliter, sed tacitus consensus populi, seu principis consuetudinem inducit. Sextò requiritur, quòd maior pars populi tali consuetudine fuerit vsa: nam sicut minor pars populi non potest facere legem, ita nec inducere consuetudinem, excipiuntur autem infantes, mulieres, & furiosi, qui nō computantur in numero.

Consuetudo rationabilis, quam iura probant & sustinent, inducta à maiori parte populi, obligat ad eius obseruantiam sub reatu lethalis criminis: Verùm consuetudo tollitur, & aboletur per actus cōtrarios, si est completa, & perfecta ratione debitæ prescriptionis ad illam abrogandam, requiritur tempus decem annorum: si verò non est completa, ad illam abolendam, sufficit vnus actus contrarius & tunc, vt valeat, atque ad eius obseruantiam homines obliget, de nouo debet incipi.

DE

DE CONTRITIONE.

CONtritio pars Sacramenti Pœnitẽtię, eſt dolor voluntariè ſumptus pro peccatis commiſſis cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi. Contritio & attritio in duobus potiſſimùm differunt: vnum eſt, quòd contritio eſt dolor de peccatis perfectus: attritiò verò eſt dolor de peccatis imperfectus. Alterum eſt, quòd contritio, quæ virtualiter includit Confeſſionem & Satisfactionem, ſufficit ad remiſſionem peccatorum conſequendam: attritio autem ſine ſuſceptione Sacramenti Pœnitentię in rę, non ſufficit.

Ad perfectam contritionem, duo requiruntur ſcilicet: dolor de peccatis, & propoſitum non peccandi de cætero. Dolor eſt duplex, intellectualis & ſenſibilis. Ad contritionem dolor intellectualis, qui ſemper eſt in facultate hominis, neceſſariò requiritur: dolor verò ſenſibilis, ex quo non eſt ſemper in noſtra facultate, requiritur ad benè eſſe. Dolor intellectualis de peccatis, non poteſt eſſe nimius, quia procedit à charitate, quę non poteſt eſſe nimia: dolor autem ſenſibilis, nempè afflictio corporis exterior, puta ieiunij, peregrinationis, ſeu vigiliarum, poteſt eſſe nimius: in his enim pro regula accipienda eſt, vt obſequium noſtrum ſit rationabile, & Deo gratum; conſeruatio ſubiecti, & bona habitudo ad operandum ea, quæ ſibi incumbunt; ſecundùm ſuum ſtatum.

Cauſa

Causa contritionis ex parte Dei, est eius misericordia, atque gratia: ex parte verò nostri, sex ponuntur causæ contritionis, scilicet: recogitatio peccati, Esa. 34 Pudor, qui inde sequitur, Prouerb. 12. Vilitas peccatorum, Hiere. 2. Timor iudicij extremi, 1. Petr. 4. Dolor de amissione cœlestis patriæ, & de offensione diuina, Apocalip. 3. Spes veniæ consequendæ. Apocal. 3.

Contritio propriè accepta, nō potest haberi, nisi in hac vita: quia in ipsa tria cadunt, dolor, gratia informans dolorem, & meritum. Defectu primæ conditionis, contritio non habet locum in cœlis: ibi enim nullus est dolor, sed plenitudo gaudij. Defectu secundæ conditionis, contritio nō habet locum in inferno: quia licet ibi sit dolor, tamen non est informatus gratia. Defectu tertię conditionis, cōtritio non habet locum in Purgatorio: quia licet ibi sit dolor de peccatis cōmissis, gratia informatus, tamen ibi existentes, nō sunt in statu merendi, iuxta illud Ioan. 9. Venit nox, quando nemo potest operari. Quare ex quo contritio est dolor de peccatis commissis, gratia informans, & meritorius, in hac vita solùm haberi potest.

Cōtritionis, q̄ est pars integralis Sacramēti Pœnitentiæ, communiter duplex ponitur effectus, vnus est remissio culpæ: quia talis includit propositum confitendi. alter est remissio pœnæ: quoniam talis includit propositum satisfaciendi. Contritio ergo delet culpam & pœnam, non quātum ad totum

semper: sed quantum ad partē, & quamuis per cō-tritionem tota pœna remitteretur, nihilominus adhuc requiritur Confessio, & iniunctę Pœnitentię expletio, tum propter præceptum Ecclesię, tum propter incertitudinem remissionis totius pœnę: quia nemo certò potest scire, quòd fuerit contritus.

DE CHOREIS.

CHoreę & saltationes communiter secundum Doctores sunt licitæ, vbi septem concurrunt. primò tempus debitum, hoc est non deputatum ad diuina audienda: vnde qui festiuis diebus omissa Missa, prædicatione, aut vesperorum celebratione, choreis intendunt non excusantur à mortali. secò persona conueniens: Ecclesiasticis enim personis ducere choreas prohibetur, de cō. dist. 5. C. nullus præsbyterorum. Item in Conci. trid. sess. 22. decreto de reform. cap. 1. tertiò modus honestus, hoc est semotis gesticulationibus ad libidinem prouocantibus, turpibus cantionibus, & ornatu lasciuo. quartò recta intentio, id est vt non malo fine fiant; sed exercitationis corporalis, & honestæ recreationis ergo. quintò locus aptus scilicet prophanus: qa in loco sacro strictè prohibetur choreas ducere. sextò rarò: nam ducens choreas ex consuetudine, vix se immunem à peccato seruat. septimò stabilitas et integritas chorizantis: qui enim ita fragilis est vt terminare nō soleat, quod ad libidinē nō prouocetur, talis se ingerendo, licet bona intētione incipiat, nō

excusatur

excusatur à mortali, Eccles 3. qui amat periculum, peribit in illo. Rarò igitur & sine corrupta intentione quis chorizare debet, vt præseruet se à peccato, quod inde facilè incurritur, testè D. Hieronymo dicente: Non credo viro si dicat se illesum euasisse à talibus spectaculis. Quare choreæ si prouenium ex recreatione animi & exercitatione corporis possunt esse sine peccato. Si ex dissolutione mētis lasciuę, semper sunt cum peccato mortali vel veniali. Si deniq; proueniunt ex spirituali iocūditate, sic sunt meritoriæ, vt saltatio Dauid corā Arca Dñi.

Inspectio ludorū, saltationū, & ioculationū quandoq; est cum peccato & quandoq; sine: Ioculatio enim est quadruplex quędā historionica, quædā chorealis mulierum lasciuarum, q̄dam causa exercitij, & quædā causa accidiæ vitandæ. Inspectio studiosa ioculationis primi & secūdi generis, potest esse peccatum mortale: Inspectio verò ioculationis tertij & quarti generis potest esse venialis, & quandoque meritoria. Et hæc de choreis, quę per se non sunt illicitæ sicut aliqui hac in parte non rectè sentiunt, nec debet fieri transitus ab vsu ad abusum: possunt enim haberi absque peccato à laicis, seruatis seruādis; secus autem quo ad ecclesiasticas personas, quibus hoc in Iure expresse prohibetur, præsertim in sacro Concil. trid. loco citato, vbi sic legitur.

Statuit sancta synodus, vt quæ aliàs à summis Pontificibus, & à sacris Conciljs de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaq; retinēda, ac simul

de luxu, commessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscunq; criminibus, nec non secularibus negotijs fugiendis, copiosè ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum ijsdem pœnis, vel maioribus arbitrio Ordinarij imponendis, obseruetur, nec Appellatio Executionem hanc, quę ad morum correctionem pertinet, suspēdat: si quæ vero ex his in desuetudinem abijsse compererint, ea quàm primum in vsum reuocari, & ab omnibus accuratè custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscūq; ne subditorum neglectę emēdationis, ipsi condignas, Deo vindice, pœnas persoluant.

DE CORRECTIONE fraterna.

COrrectio fraterna, quę nil aliud est, quā boni proximi procuratio, cadit sub præcepto *diuino*, Matt. 18. Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum. Quod quidem præceptum quia affirmatiuum, non obligat pro semper, sed pro loco & tempore, iuxta processum euangelicum, videlicet per secretā monitionē: quia proximus noster duo habet, cōscientiā scilicet & famā, vtrunque debemus seruare si possumus, secùs fama pro salute conscientię contemnenda est.

Omissio correctionis fraternę, quandoq; potest esse absque peccato, vt quando expectatur tempus magis idoneum, vel vbi timetur, ne inde proximus deterior fiat, aut correctionem non recipiat, vel si

peccatum

peccatum est iam factum, & in eo proximus non perseuerat: quia in tali casu præsumitur correctus: quandoque omissio correctionis fraternæ est cum peccato mortali, vt quando probabiliter quis posset proximum à peccato retrahere, occurrens, speratur emendatio, & non est alius, cui ex officio incúbat: tamen prętermittitur, seu negligitur. quandoque omissio correctionis fraternæ est cum peccato veniali, vt quando timor seu cupiditas tardiores facit homines ad corrigendum, & dubitant, quòd proximum à peccato retrahere possēt, & si cessaret dubiū, tales eo casu nō excusarētur à lethali crimine.

Correctio fraterna duplex est, vna quæ est actus charitatis, tendens specialiter ad emendationem fratris delinquentis: altera quę est actus iustitiæ, per quam intenditur bonum commune, quod procuratur etiam per punitionem. Prior correctio pertinet ad omnes tàm subditos, quàm Prælatos: posterior verò ad solos Prælatos ac Superiores spectat. prior subditis est in præcepto: Prelatis autem vtraque.

Correctio fraterna quæ est actus iustitiæ, in quatuor casibus licitè potest dissimulari, & omitti: Primò, quando mali non possunt discerni à bonis. Secundò; quando multitudo malorum tanta est, vt sine Ecclesię schismate illa fieri nequeat. Tertiò, quādo de emendatione proximi probabiliter pręsumitur. Quartò, quando mali prosunt Ecclesiæ exercitando bonos, & non obsunt: in istis enim casibus

dissimulare, & omittere correctionem proximi, quę respicit punitionem eius, ad tempus, non est peccatum.

DE CORPORE VITIATIS.

IMpedimenta ecclesiasticorum ordinum sunt in duplici differentia, quædam quæ impediũt susceptionem Ordinum simpliciter, & sunt illa, q̃bus positis collatio non tenet, vt sexus fœmineus: nam si Episcopus tentaret ordinare mulierem, nihil efficeret: & quædam, quæ impediunt susceptionem Ordinum, secundùm quid, & sunt illa, quibus positis collatio quidem tenet: tamen sic ordinans, peccat mortaliter, talia sunt pueritia, illegitimatio, seruitus, homicidium, defectus membrorum, & alia id genus multa, quibus detenti in iure à receptione Ordinum excluduntur. primò, propter inhabilitatem ad officia exequenda. secundò, ꝓpter deformitatem & scandalum, quod inde sequitur.

Corpore vitiati sunt duplicis generis, quidam sua culpa, & quidam sine culpa, vt qui à natura: iura autem propriè procedunt de corpore vitiatis primo modo: vnde corpore vitiati secundo modo possunt promoueri ad sacros Ordines, nisi timeatur scandalum ex nimia deformitate, vel iudicium ex debilitate, cuius rei periculum est penes Episcopum: Verùm vt hęc doctrina facilius intelligatur, ponuntur nouem conclusiones, quarum prima est ista: Mutilatio, quę inducit deformitatem notabilẽ,

vt

vt priuatio nasi, vel inhabilitatem ad exequendum Officium, vt priuatio manus, impedit promouendum & promotum prohibet ministrare. Secunda conclusio. Superfluitas membrorum, non impedit promotionem ad Ordines, minus executionem, dummodò illa non sit impedimento vsui membri necessarij, neque nimiam deformitatem inducat, vt habere sex digitos, inpede siue in manu. Tertia cõclusio, Claudicatio naturalis de consuetudine, nõ repellit hominẽ ab Ordinibus, nisi sit tanta, quòd talis sine baculo altari assistere nequeat. Quarta cõclusio: Cæcus, monoculus, & habens maculam notabilem in oculo, à susceptione Ordinum repellũtur. Quinta conclusio: Gibbosus, secundùm iura, ab Ordinibus non repellitur, nisi adsit nimia deformitas, seu debilitas ad exequendum suum officium. Sexta cõclusio: Lepra, impedit promotionem ad Ordines, & promotum ministrare prohibet. Septima conclusio: Abstemij, qui nullo modo vinum bibere possunt, in iure simpliciter ab Ordinibus repelluntur, Octaua cõclusio: Furiosi, lunatici, caduci, & dæmoniaci, ad Ordines promoueri non debent, quòd si tales sint iam promoti, & ex toto liberati, poterũt suum officium exequi, secùs omninò debent abstinere, præcipuè ab Officio Missæ. Nona conclusio: Hermaphroditus, si magis in sexum fœmineum vergit, non debet ordinari, & ordinatus characterem non suscipit, sicut nec mulier: nam sexus masculinus necessariò requiritur in susceptione ordi-

num eccleſiaſticorum.

DE CRIMINE.

CRimen communiter triplex ponitur, eccleſiaſticum, ciuile, & mixtum. Eccleſiaſticum, quod habet cognosci à iudice eccleſiaſtico, vt hæreſis & ſymonia. Ciuile, quod habet cognoſci à magiſtratu ſeculari, vt portare arma noctu, homicidiũ dium laicale, proditio patrię, & his ſimilia, quæ pœnam ſanguinis exigunt. Mixtum, quod habet cognoſci ab vtroque foro, vt ſacrilegium, adulterium, vſura, & alia id genus multa.

Crimina Epiſcoporum leuiora, iuxta decretum ſacri Conc. Trident. ſeſſ. 24. de refor. cap. 5. ſunt iudicanda in Concilio prouinciali; vel à deputandis per Cõcilium prouinciale; Crimina verò Epiſcoporum grauiora, etiam hęreſis, quod abſit, quæ depoſitione, aut priuatione digna ſunt, ab ipſo tãtùm ſummo Romano Pontifice veniunt cognoſcẽda & terminanda, vel per deputatos à Sede Apoſtolica, ſi eiuſmodi cauſa neceſſariò eſſet extra Romanam curiam committenda, & eo caſu cõmiſſio debet eſſe ſpecialis, & manu ipſius Santiſſimi ſignata, cui ſententia definitiua eſt reſeruata.

Crimina Clericorum ſunt triplicis generis in iure, ſcilicet: minora, mediocria, & enormia. Minora ſunt, vt venatio, ludus aleæ, & ebrietas. Mediocria ſunt, vt fornicatio, adulterium, & furtum. Enormia ſunt, vt hæreſis, ſymonia in ordine, ſiue beneficio, &

cio, & homicidium qualificatum, seu iteratum. Crimina primi generis in Clericis puniuntur suspensione: crimina secundi generis depositione, & crimina tertij generis puniuntur degradatione. Crimina Clericorum minora etiam manifesta, neque impediunt promouendum, neque promotum deijciunt. Crimina Clericorum mediocria, manifesta, siue per sententiam, siue per confessionem factam in iudicio, siue per euidentiam facti, impediũt promouendum, & promotum deijciunt. Crimina Clericorum enormia etiã occulta, & post peractã pœnitẽtiã, impediũt ꝓmouẽdũ, & iã ꝓmotũ deijciũt.

DE CHRISMATE.

OLeum sacrum, quod per Episcopos in die Cœnę Dñi conficitur, est triplex. Primum & principale, dicitur Chrisma, quod ex oleo oliuarũ & Balsamo fit. Cum isto benedicuntur fontes baptismales, consecrantur calices, patenæ, Ecclesiæ & Altaria. Item hoc oleo inungũtur baptizati in vertice, Episcopi in manibus & in Capite quando cõsecrantur, ac omnes fideles dum confirmantur in fronte. Alterum dicitur oleum cathecumenorum, quo inunguntur baptizandi inter scapulas & in pectore, manus sacerdotum in illorum ordinatione Reges in brachio & humeris. Item Ecclesiæ & Altaria ante inunctionem Chrismatis. Tertium dicitur oleum infirmorum, quo inunguntur decũbẽtes, seu ęgrotãtes cõstituti i periculo mortis, hoc est

quando

quãdo ꝓbabiliter dubitatur de ipsorũ vita corporali, iuxta præceptum Dñi, & vsum Apost. Mar. c. 6. Vngebant oleo multos ægrotos & sanabãtur.

Primum oleum sacrum, quod dicitur Chrisma non potest alio tempore confici quàm in die Cœnæ Domini, vt habetur de conse. dist. 4. Alia verò sacra cra olea, etiam alio tempore confici possunt: exquo hoc in Iure non legitur esse prohibitum. Prædicta sancta olea cũ semel tantùm in anno ab Episcopis conficiantur, deficientibus illis, si addatur oleũ non consecratum, efficitur consecratum: sicut aqua non benedicta, addita benedictæ, efficitur benedicta: ratio, quia sacrum tanquàm dignius, trahit ad se nõ sacrum, vti minus dignum: Intellige in liquoribus & in his quæ mixtione confunduntur: Proinde fallit hoc in sacramento sanguinis Christi, vtpote quia ibi est benedictio aquę & olei, manentibus illorum substantijs: hic verò post benedictionem & consecrationem vini, non remanet substantia vini, sed conuertitur in sanguinem Christi: Vnde est longè dispar & dissimilis ratio atque conditio de aqua, siue oleo benedicto, & de sacramẽto sanguinis Christi: propterea illatio non valeat, si aqua non benedicta & oleum non benedictũ addãtur aq̃ & oleo benedictis, efficiuntur benedicta: ergo & vinum, non cõsecratũ si addatur vino cõsecrato, hoc est sanguini Christi, efficitur sanguis Christi, non valet, nec tenet cõsequntia, ꝓꝓ rationẽ superiꝰ aductã.

Vnctio est triplex, teste Pet. de Pal. 4. sẽt. dist. 45.

Vna

Vna quæ neq; est sacramẽtũ, neq; est sacramẽtalis, vt vnctio Regũ, nõ est sacramẽtum, quia per se non causat gratiã. non est sacramẽtalis, quia nõ ordinatur ad aliquod sacramẽtum perficiendum, vel suscipiendum. Altera quæ est sacramẽtalis, & non sacramẽtum, vt vnctio Cathecumenorũ & baptizatorũ, nõ est sacramẽtum, quia p se nõ causat gratiam, est sacramẽtalis, quia ordinatur ad suscipiẽdum & pficiendum Sacramentum baptismi. Tertia quę est Sacramẽtum per se, & est duplex, scilicet Chrismatis, quæ fit in frõte per Episcopum, & olei sancti seu infirmorum, quæ fit per simplicem sacerdotẽ cum laborantibus in extremis, quę est etiam sacramentum, vt habetur in Cõcilijs generalibus, Cõst. sess. 15. ar. 8. flo. dec. 5. & Trid. sess. 14. can. 1 cuius verba sunt ista: Si quis dixerit extremã Vnctionẽ, nõ esse verè & propriè sacramẽtum à Christo Domino nostro institutũ, & à beato Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.

DE DEBITO CONIVGALI.

DEbitum coniugale est actus, qui debetur ratione contracti coniugij, respectu cuius coniuges sunt paris conditionis, & talis actus habet rationem debiti; quia coniuges sub reatu lethalis criminis nisi

subsit

subsit rationabilis causa, illud reddere tenentur, 1. Corinth. 7. Vxori, inquit Apostolus, vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro. Quinque assignantur causæ à sacris Doctoribus, excusantes coniuges à redditione debiti coniugalis. Prima est impotentia coëundi, siue per actum precedentem, siue propter aliam causam licitam. Secunda est, si inde reddenti imminet periculum mortis, aut infirmitatis, vt coniunx sanus, alteri leproso non tenetur reddere debitum. Tertia est fornicatio: nã fornicanti, alter debitum reddere non tenetur. Quarta est vbi, alter coniugum religionem approbatam ingredi vult, & eo casu determinatur tempus duorũ mẽsium, intellige de Matrim. rato, & nõ de cõsummato. Quinta est locus sacer, siue publicus, in quo salua honestate, debitum coniugale reddi non potest.

Redditio debiti coniugalis in octo casibus est illicita, potẽque esse peccatum mortale. Primò ratione intentionis, vt si vir in coitu de alia carnaliter cogitat, vel è contrà. Secundò, ratione loci, vt si reddatur in loco sacro, vbi coniuges breui sunt mãsuri, secùs si ibi diu violenter tenerentur. Tertiò, ratione modi, vt si extra vas debitum fiat. Quartò, ratione aborsus, vt si redditio debiti coniugalis fiat tempore conceptus, aut partus, maximè circa principium cõceptionis: tunc enim magis imminet periculum aborsus. Quintò, ratione menstruorum: nã tali tẽpore redditio debiti coniugalis fuit prohibita,

Leuit.

Leuit. 19. tum propter immunditiam, tum propter nocumentum inde proli sequens frequenter, ratione primi hoc fuit præceptum cæremoniale, ratione verò secundi, est morale, ideo & nunc obligat, quia vsus Matrimonij, quo impeditur bonum prolis, est inordinatus, ex consequenti euitandus. Sextò, ratione iniustę negationis, negare enim debitum coniugale absque causa rationabili, peccatum est, quia cõtra iustitiam, & propter multa pericula, quæ subsunt. Septimo ratione impedimenti voti, qui habet votum continentiæ simplex, & contrahit, Matrimonium, quidem tenet, tamen talis exigendo, peccat mortaliter, quia facit contra votum, quod quantum est ex parte sui potest impleri, videlicet, non exigendo, licet cum huiusmodi Episcopus dispensare possit. Similiter qui post Matrimonium contractum, per verba de præsenti cognouit consanguineam vxoris, licet per hoc Matrimonium nõ dirimatur, tamen talis non potest exigere debitum coniugale asque peccato, & si alteri petenti redderc teneatur. Octauò, ratione adulterij alterius coniugis, si est incorrigibilis; in his ergo casibus, redditio debiti coniugalis est illicita.

Actus coniugij, seu redditio debiti coniugalis in quatuor casibus est meritorius, Primò, quãdo quis supposita gratia reddit debitum, quia eo casu est actus iustitiæ. Secundò, quando quis petit debitum causa prolis generandæ, & educandæ Deo, quia eo casu est actus letriæ. Tertiò, quando quis facit

hoc,

hoc, vt conseruet socium suum à fornicatione: quia eo casu est actus charitatis. Quartò, quādo quis facit hoc ad euitandam fornicationem in se: quia eo casu petitio debiti coniugalis, & redditio, est actus prudentiæ, siue castimoniæ: Supposita autē carentia gratiæ, actus coniugij prædictis quatuor modis est indifferens, hoc est, neq; meritorius, quia gratia nō est informatus, neq; demeritorius, quia caret culpa.

DE DECIMIS.

DEcimæ, propriè loquendo, non sunt sacrificia, neque oblationes: quia non immediatè Deo, sed ministris diuini cultus exhibentur. Decima communiter triplex ponitur, prędialis, personalis, & mixta. Prædialis, vt vinum, frumētum, fructus arborum, & his similia. Personalis, vt mercatura, venatio, artificium, & alia id genus. Mixta, vt animalia, quę pascuntur ex prædijs & eorum fœtus.

Decimę in veteri lege iure diuino debebantur Sacerdotibus & ministris Dei, ad eorum sustentationem, vt habetur Leuit. 27. Num. 19. & Deuter. 26. quod quidem præceptum partim fuit iudiciale, partim fuit morale; iudiciale, quantum ad taxationem talem; morale, quātum ad hoc, vt ministri sustententur, & quia præcepta moralia etiam in noua lege obligant ad eorum obseruantiam, propterea præceptum decimarum, quantum ad id, quod erat morale, & nunc obligat, Matth. 10. Dignus est operarius mercede sua. Item 1. Cor. 9. legitur, quòd

Dominus

Dominus ordinauit, vt hi, qui Euangelium enunciant, de Euangelio viuant: vnde Ecclesia ordinauit, vt non minus exhibeatur ministris noui Testamenti; quàm dabatur ministris antiquę Legis, sicque consonantia quædam esset inter nouum & vetus Testamentum. Quare præceptum de decimis nunc, quantum ad taxationem, non ligat vt ius diuinum, sed vt humanum: quantum verò ad sustentationem ministrorum diuini cultus, & modò ligat vt ius diuinum, propterea hinc sequitur, quòd præceptum de decimis, quantum ad totum, neque consuetudine, neque quouis alio modo abrogari possit, vt scilicet nihil ministris Ecclesiæ soluatur.

Subtrahentes decimas, aut impedientes earum solutionem fieri cathedrali, aut quibuscunque alijs Ecclesijs, vel personis, quibus legitimè debentur, sancta Synodus Trident. sess. 25. de refor. cap. 12 decernit, vt excommunicentur, & quòd à tali crimine non obsoluantur, nisi plena restitutione secuta.

Decimę, secundùm iura, debent dari de omnibus fructibus terrę, arborum, animalium, piscationum, venationum, & artificiorum: hoc tamen tempore consuetudini est standum. Ad decimas prædiales soluendas, omnes indistinctè tenentur, etiam Iudei, pagani, & hęretici: decimas verò personales, ipsi soluere non tenentur, ex quo tales, neque Sacramenta percipiunt, neque diuina audiunt.

Decimæ sunt soluendę Ecclesię parochiali, in

qua

qua quis diuina audit,& percipit Sacramenta, Reges tamen ac Principes tenentur eas soluere Episcopo principalis sui domicilij,nec aliquis excusatur à solutione decimarum per hoc, quòd Sacerdotes sint diuites,quia eo casu Clericus recipit decimas, non vt illas conuertat in proprios vsus, sed in necessitates paupetum,siue Ecclesię vtilitates expendendas:vnde decimę Sacerdotibus fideliter veniũt soluendæ, non deductis expensis etiam factis pro fructibus colligendis,inde enim triplex remuneratio,seu benedictio resultat,videlicet,abundãtia fructuum,sanitas & bonitas principatus, quapropterq; non soluunt fideliter suis Ecclesijs & ministris diuini cultus decimas,non est,vt ex hoc sperẽt lucrum, qa dicitur, quod non accipit Christus,tollit fiscus,

DE DEFENSIONE,

DEfensio ad suæ personæ tuitionem ne lædatur,semper est licita etiam religiosis,vbi duo concurrunt,nempe si fiat ad repellendam iniuriã, & cum moderamine inculpatę tutelæ, quia hoc est de Iure naturali,& quo ad actus naturales religiosi non censentur mortui,secus autem quando proceditur iustè & ordine Iuris seruato, tunc enim quis sine peccato non posset se defendere, iuxta illud Apostoli; Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, Rom. 13.

Defensio manualis ad suæ personæ tuitionem est de Iure naturæ; defensio vero per Iudicẽ Reo danda

dãda petenti vel non petenti, est de Iure Canonico & Ciuili: Vnde hæc p superiorẽ, seu per legem vniuersalem, vel municipalem tolli potest: appellatio enim quæ est species defensionis, in multis casibus tollitur, & defensio secundum Iura ipsi Reo non est dãda: Defensio autẽ manualis cum sit de Iure naturali, tolli non potest.

Defensio est licita, non solùm pro persona, sed etiam pro rebus ne auferantur, & ablatis recuperẽtur, si incontinenti fit: secus autem si per interuallũ. Et cum hoc sit à Iure concessum, nõ requiritur authoritas Superioris, nec talis incidit in excommunicationẽ, si persona à qua repetit ablata esset Ecclesiastica, etiam immittendo manum in personã, quando aliàs sua recuperare non posset.

Inculpata tutela, sicut Doctores interprætantur, est id facere sine quo aliter se defendere non potest absque periculo personę, vel rerum suarum: nullus enim debet pati vt iniustè damnificetur in aliquo, maximè quando damnum est irrecuperabile. Vt autem defensio sit cum moderamine inculpatę tutelę, quatuor requiruntur. primò æqualitas, scilicet cum armis, cęteris paribus. secundò temporis vicinitas: quia si post spatium temporis, tunc esset vindicta & non defensio: tertiò talis ac tanta debet esse defensio, quãta est necessitas. quartò requiritur intentio, vt se vel sua defendat, & non vt occidat: quia actus ex intentione nomẽ accipit, & nõ ex eo q̃ est p accidẽs: duo enĩ effectus ex vno actu posśũt eue

nire, puta proprię vitę conseruatio, & inuadẽtis occisio: vnde si quis intẽderet occisionẽ vti finẽ, sic nõ liceret sine peccato mortali: si autẽ intẽderet suam defensionẽ vti finẽ, etsi sequeretur occisio inuadẽtis, tamẽ diceretur defensio & non occisio, cum actus moralis, non debeat denominari ab eo q̃ est prætet intẽtionẽ, seu à causa per accidens, & sic occisio inuadẽtis nõ esset peccatum, vtpote q̃a p̃ se nõ intẽta.

DE DEGRADATIONE.

HAEc tria, suspensio, depositio, & degradatio licet in iure sæpe confundantur, ac pro eodem vsurpentur: tamen si propriè sumãtur, sic differunt inter se, quòd suspensio importat priuationẽ legitimæ executionis ordinum, vel officiorum, beneficiorum, seu iurisdictionis ad tempus. Depositio importat talem priuationẽ sine spe restitutionis: retento tamen priuilegio clericalis fori. Degradatio importat huiusmodi priuationem, absque spe restitutionis, & cum amissione priuilegij clericalis.

Degradatio est duplex, vna verbalis, altera actualis. Degradatio verbalis est facienda à proprio Episcopo, vel ab eius Vicario generali in spiritualibus, vt habetur in Concil. Trident. sess. 13. de reform. cap. 4. assistente tamẽ Canonico numero Episcoporum, vel in eorum defectum, Prælatorum vsum mitræ & baculi ex priuilegio Apostolico habẽtium: vnde verbalis degradatio est, cùm ab eo, qui authoritatem habet, assistente certo Episcoporum numero,

numero, ſententia depoſitionis ſertur.

Canonicus numerus Epiſcoporum requiſitus in degradatione verbali, eſt iſte; ſi degradandus eſt Epiſcopus, vltra Metropolitanum deſiderantur duodecim Epiſcopi; ſi degradandus eſt Presbyter, vltra proprium Epiſcopum requiruntur ſex alij Epiſcopi; ſi degradandus eſt Diaconus, vel Subdiaconus, vltra proprium Epiſcopum, requiruntur tres alij Epiſcopi: quod ſi degradandus non eſt conſtitutus in ſacris, tunc ſufficit propri⁹ Epiſcopus cum præſentia Capituli, ſecùs ſententia eſt nulla, & tales non tantùm ſunt aſſeſſores, ſed etiam iudices: vnde niſi maior pars conſentiat, ſententia contra reum pronunciari non poteſt: Degradatio autem actualis, ſiue ſolennis, quæ nihil aliud eſt, quàm executio degradationis verbalis, hoc eſt, cùm non ſolùm fertur ſententia depoſitionis: verùm etiam ab eo, qui degradandus eſt, veſtes, & ſingula inſignia ſui Ordinis, gradatim auferuntur ab Epiſcopo, priuando reum Ordine, officio, beneficio, & priuilegio clericali, & hæc non requirit prædictum numerum epiſcoporum, ſeu Prælatorum, ſeu perſonarum in dignitate eccleſiaſtica conſtitutarum.

Clericus degradatus, ſecundùm iura antiqua, ſolùm in tribus caſibus curiæ ſeculari venit tradendus: Primò, in crimine hæreſis, vbi reus eſt impœnitens, vel relapſus. Secundò, in falſario literarum Apoſtolicarum. Tertiò, in eo, qui proprio Epiſcopo inſidiatur cum incorrigibilitate: ſecundùm verò

iura noua additur quartus casus, in quo degradatus tradi debet curiæ seculari, nempè propter homicidium qualificatum, vt si parentem interfeciſſet, vel iteratum, vt si plura homicidia comisiſſet.

Degradatus verbaliter tantùm gaudet priuilegio clericali, vnde si quis talem percutiat, incurrit pœnam Canonis: degradatus autem actualiter est priuatus priuilegio clericali, & à laico potest iudicari: verùm Sacerdos degradatus etiam actualiter, si consecret, siue ordinet, tenet: quia per degradationem amittuntur ea, quæ sunt iurisdictionis, & non ea, quę sunt Ordinis, siue characteris, qui est indelebilis, licet talis grauiter peccaret, & cũ huiusmodi, vt iterum possent exequi suum officium, quod ante degradationem exequebantur, solus Papa dispensat, eosque ad pristinum statum restituere potest: tales tamen, si sunt in sacris, tenentur ad horas canonicas, quia in degradatione, quæ sunt honoris, amittuntur, & quæ sunt oneris, remanent, ne inde reus portet aliquid commodum de iniquitate.

DE DELEGATO.

DElegare est alteri vices suas committere, & hoc facere potest quilibet ordinariam iurisdictionem, seu authoritatem habens, vt Papa, Legatus de latere, Episcopus, & Vicarius generalis, qa facit vnum tribunal cum Episcopo. Delegatus à Principe, siue ab habente authoritatem ordinariã, potest subdelegare: delegatus verò ab inferiori, hoc est,

est, ab eo, qui non habet authoritatem ordinariam, nō potest subdelegare. Quare delegatus aliquo modo potest subdelegare, sed subdelegatus simpliciter delegare non potest; quia talis est merus executor delegati.

Legatorum propriè tria sunt genera, quidā dicuntur Legati laterales. seu de latere missi, qui iam in causis ecclesiasticis sunt soli Cardinales; quidam dicuntur Legati locales, seu nati, ratione suę dignitatis, in qua ex priuilegio suę Ecclesiæ nascuntur, vt Archiepiscopus Cantuariensis & Salisburgensis, alijque, quos nō opus est hic numerare; quidam dicuntur Legati temporales, seu communes, vt regulariter omnes missi à Papa, à curia, vel ab extra, & tales ordinariè nō sunt Cardinales, sed Episcopi vel Clerici inferiores.

Legati de latere possunt absoluere percussores Clericorum, etiam pro enormi, vt secuta mutilatione, siue homicidio, in prouincia, & extra, subditos, & extraneos, seu aliunde, venientes, durante eorū legatione. item possunt confirmare electiones Episcoporum, Archiepiscoporum, & exemptorum in prouincia illis decreta, cognoscere de causis motis contra exemptos, conferre beneficia vacantia in terminis suę legationis, non tamen possunt conferre Ecclesias chathedrales, neque regulares, neque collegiatas, neq; dignitates principaliores, ad quas per electionem venitur, vt est dignitas Archidiaconatus, Præpositi, & Archipresbyteratus, neq; de-

rogare iuripatronatus laicorũ, sed benè ecclesiasticorum, Legati autem nati & communes nequeunt hæc præstare, nisi aliquo peculiari indulto pontificio sint suffulti.

DE DENVNCIATIONE.

DEnunciatio communiter ponitur triplex, scilicet Euangelica, Canonica & ciuilis. Denũciatio euangelica de qua potissimum hic intendimus vt debito modo fiat, sex requiruntur. primò q̃ denunciandus sit Christrianus, licet etiam infidelis posset denunciari, si contra legem naturæ, vel illorum in moralibus delinqueret siue offenderet. secundò quod præcedat secreta monitio, vt se emendet uel desistat. tertiò quod peccatum non sit omnino occultum, sed quod possit probari per testes, & si vnus tantum esset testis, non posset denunciari ad pœnitentiam imponendam. quartò quod si ad eius monitionem non sequitur emẽdatio, adhibeat testes qui sciunt, vel cum quibus potest ipsum cõuincere. quintò quod huiusmodi præmissis, si remanet incorrigibilis, denuncietur Superiori seu Iudici. sextò quod denuncias probet se bis denunciatũ monuisse, & quod emendatio non fuerit secura: prædicta enim sunt obseruanda, vt denunciatio euangelica debito modo fiat.

Ad denunciationem euangelicam secundum q̃ est solùm fraterna correctio omnes tenentur, quia sic procedit tantum ab actu charitatis, quę omnes

obligat

obligat Iure diuino, nec in tali casu prędicta requiruntur: Ad denunciationem verò euãgelicam propriè sumptam, secũdum quod distinguitur à fraterna correctione, si agitur de peccato perpetrato, vel etiam perpetrando, quod augmentum, multiplicationem, vel continuationem mali recipit, quilibet si credit fore vtilem & eam sine graui damno prosequi possit, tenetur de præcepto: At si agitur de peccato perpetrato, quod non habet multiplicationem neque continuationem, ad eam solùm tenentur illi, qui habent ex officio: quia hoc procedit ab actu iustitiæ ad instruendum alios exemplo, quod ad superiores pertinet.

Admonitio semper debet præcedere denunciationem Euãgelicam, nisi quando peccatum est omnino publicum & notorium, aut quando tardatio denunciationis inferret nocumentum temporale vel spirituale proximo, puta proditio Ciuitatis, hæresis, infectio, incẽdium & huiusmodi: in istis enim casibus sine monitione quis denunciari potest ac debet. At si inde nullũ nocumẽtum proximo, sed solum peccanti esset subsecuturum, tunc bina monitio semper præcedere debet, vna per monentẽ solũ, altera per monẽtem adhibitis testibus, quibus possit cõuinci ad pœnitentiã ei imponẽdã. Ad denũciationẽ Euangelicã si pœnitentia de crimine tãtùm q̃ritur, õnes secundũ Inno. admittũtur ad testimoniũ phibendũ: si verò aliq; tẽporale directè vel incidẽter queritur, tunc legitimi tãtum testes admitti debẽt:

Si quis infamatur de aliqua re, præcipiēte Epi-scopo sub Excommunicatione latæ sententiæ, tunc quilibet indistinctè tenetur deponere quicquid scit licet non præcesserit monitio, neq; possit probare: quia tunc talis non venit vt denunciet, sed vt testificetur de eo quod scit: fallit autem hoc in parentibus & filiis, qui ad testimonium perhibendum aduersus se inuicem, non admittuntur: Si verò non extat infamia contra aliquem, sed quæritur in generali quis fecerit tale quid, sicut communiter obseruatur, tunc monitio debet præcedere secundum ordinem euangelicum vt se emendet, vel restituat, vel satisfaciat superiori, quod si noluerit, eo casu si sciens potest probare, tenetur reuelare, aliter esset excommunicatus: secus si probare non posset, & ratio est, quia tunc requiritur vt denunciator, non vt testis, quod est notandum, cum hoc sepe accidat. Quare quando dicitur. Qui scit, intelligitur de scientia probabili: At si superior esset talis, qui sibi id secretè tanquam Patri & non Iudici dici vellet, posset reuelari, sed quoniā communiter inquirūt, vt iudicialiter procedant: propterea quis non tenetur nisi de eo quod probare potest.

DE DIGNITATE.

DIgnitas ecclesiastica, officium & personatus inter se sic differunt, quòd Dignitas ecclesiastica, est administratio rerum ecclesiasticarū cum iurisdictione in foro exteriori, etiam in modicis

cis causis, vt Episcopatus, abbatialis ordo, & prioratus. Officium est administratio rerum ecclesiasticarum sine iurisdictione, vt Sacrista, Syndicus Ecclesiæ, & AEdituus. Personatus neutrum in se habet, neque administrationem, neque iurisdictionem, sed duntaxat prærogatiuam, puta in choro, siue in dandis votis, vt canonicatus.

Dignitates, quæ habent honorem annexum, & administrationem precisè, vt thesauratiatus, & syndicatus Ecclesiæ, possunt appeti, & queri absq; peccato, dummodò tales sint idonei, & finis sit bonus, nempè quòd homo eas quærat ad sustentationem suam, & aliorum vtilitatem: dignitates verò, quę habēt annexū honorem cum administratione & iurisdictione, vt Episcopatus, prælatura, non possunt appeti, minus quæri licitè: quia ad dignitates ecclesiasticas nullus est dignus, nisi per gratiam Dei, quā nemo scit habere: secundùm quid tamen ¬vt si esset dignus, vel vt alijs posset prodesse, aliquis dignitates ecclesiasticas, absq; peccato desiderare potest.

In promouendis ad dignitates ecclesiasticas, secundùm iura, certa ætas requiritur. Ad Episcopatum ætas triginta annorum completiuè, ad Abbatialem & Prioratum ætas ¬viginti quinq; annorum requiritur: Cum habentibus autem defectum in ętate, ¬vt promoueātur in Episcopos, solus Papa dispensat, in defectu super ętate, quo ad alias dignitates sine cura, Episcopus potest dispensare cum eo, qui cōpleuit vigesimum annum; itē in defectu, Ordinis

dinis in dignitatibus Episcopatui inferioribus, scilicet, vt ille, qui non est Sacerdos, ad Abbatiam assumatur: verùm cum habentibus defectum in ætate, quo ad Ordines suscipiendos, Episcopus dispensare non potest. Officium temporale, siue sit seculare, siue ecclesiasticum, potest pretio appeti, & pro illo pecunia dari, vt pro syndicatu, & pro clericatu cameræ, vbi duo concurrunt: primò, quòd detur publicè: quia clàm destinè iura prohibent aliquid dare: secundò, quòd talis sit idoneus, & per illud officiū cupiat alteri prodesse, vel sibi sine iactura alterius.

DE DISPENSATIONE.

DIspensatio est rigoris iuris relaxatio canonicè facta per eum, ad quem spectat: vnde qui dispensant, siue licentiam veniendi contra legem dant sine causa rationabili, peccant, & tales potius dissipatores, quàm dispensatores dici deberent, pariter qui ex falsa causa, vel tacita varietate dispensationem impetrant, peccant, & dispensatio sic obtenta, nulla est: Causæ autem iustè dispensandi in genere ponuntur septem, scilicet, tempus, vtilitas, qualitas personæ, necessitas, pietas, euentus rei, & scandalum multitudinis: tamen cauendum est, ne quis alatur in scandalo.

Papa in his, quæ sunt iuris diuini, puta in voto & iuramento, absque causa iusta, dispensare non potest, in his verò, quę sunt iuris positiui, Papa potest dispensare sine causa, ita vt ille, cum quo dispensa-

tum

tum est, sit tutus in conscientia: quia eius est destruere legem, cuius est condere, sed inferior absque cognitione causæ, non potest dispensare, secus venit puniendus, ex quo egit contra legem, quam & ipse seruare tenetur.

Super defectu ætatis, vt quis minor triginta annis promoueatur ad dignitatem episcopalem, vel minor viginti quinq; ad beneficium curatum, solus Papa dispēsat: super verò defectu ætatis, quo ad alias dignitates sine cura, Episcopus potest dispensare, cum eo, qui compleuit vigesimum annum, & cum illegitimo in beneficio simplici. Item potest Episcopus dispensare super defectu Ordinis in dignitatibus episcopali inferioribus, puta vt ille, qui non est Sacerdos, ad Abbatiam assumatur: at super defectu ætatis, quo ad Ordines suscipiendos, Episcopus dispensare nequit, neque cum illegitimo, in beneficio curato; & ad dignitates ecclesiasticas: sed in his solus Papa dispensat.

Casus præcipui, in quibus Episcopus dispensare non potest, ponuntur decem. Primò, non potest dispensare cum homicida, vt possit promoueri ad Ordines sacros, siue homicidium fuerit cum peccato, siue absque peccato, neque cum promoto in officio. Secundò, cum simoniaco ratione Ordinis, vel beneficij. Tertiò, cum Clerico suspenso, vel excommunicato, qui se diuinis ingessit. Quartò, cum Clerico, qui excommunicatus recurrit ad magistratum secularem, contempto ecclesiastico iudice. Quinto

cum

cum bigamo, & maritis viduarum corruptarum, vt promoueantur ad Ordines sacros. Sextò, cum Clerico non ordinato, ministrante cum solēni apparatu. Septimo, cum Clerico promoto per saltū ad Ordines. Octauò cum eo, qui Ordinem furtiuè suscepit. Nonò, cum Clerico ordinato extra tempora, vel ab alieno Episcopo sine indulto & dimissorio. Decimò, Episcopus non potest dispensare cum excommunicato suscipiente Ordines sacros: in his enim casibus ordinariè solus Papa dispensat.

Abbas potest dispensare cum suis subditis in octo casibus. Primò, cum nouitio, vt promoueatur ad Ordines sacros. Secundò, cum apostata, vt ministrare possit, & ad alios Ordines ascendere, nisi fuerit ordinatus in apostasia. Tertiò, cum illegitimo intrante monasterium, vt promoueatur ad Ordines: non tamen ad Prælaturas. Quartò, vt non confiteantur, & sacram Synaxim singulis mēsibus sumāt. Quintò, cum monacho, vt fiat Capellanus Ecclesiæ parochialis, vbi accedit Episcopi & populi consensus. Sextò, cum monacho in ieiunijs, cibis, esu carnium, silentio, & alijs spectantibus ad regulam, præterquàm in tribus votis. Septimò, cū monacho super irregularitate. Octauò, in obseruantijs regulæ, saltem in ijs, quę non sunt de substantia.

DE DIVORTIO.

Diuortium est viri ab vxore, vel vxoris à viro separatio, & sicut Matrimonium verum duplex

plex est: ratum, quod est contractum legitimè per verba de præsenti; & consummatum, quod est contractum legitimè per verba de præsenti, accedente copula carnali: ita & eius separatio duplex est, vna quo ad conuersationem coniugalem, hoc est, quo ad thorum, cohabitationē; altera; quo ad vinculum seu fœdus Matrimonij, Matrimonium ratū, quo ad vinculum, potest solui atque dirimi dupliciter, scilicet: per mortem naturalem, & per mortē ciuilem, hoc est, p professionē tacitam, vel expressā religionis approbatę, ita vt remanens in seculo, possit liberè cum alio contrahere: Matrimonium verò consummatum, quantum ad vinculum, non potest solui, nisi per mortè naturalem, iuxta illud Matth. 19. & Mar. 10. Quos Deus coniunxit, homo non separet: Quantum autem ad cōuersationem coniugalem, vtrunque Matrimonium, tàm ratum, quàm consummatum, quatuor ob causas separari potest, seu separationem, secundùm iura, admittit. Primò, propter adulterium, quo casu mulier dotem, & vir donationem propter nuptias perdit. Secundò, propter periculum, vt si vnus coniugum, vitę alterius insidiatur, vel alterum ad aliquod peccatum trahere nititur. Tertiò, propter hęresim. Quartò, propter religionis ingressum mutuo consensu.

Separatio Matrimonij consummati, quo ad cōuersationē coniugalem ratione adulterii, si est publicum, ita vt adulter maneat cum adultera, vel è contrà, potest fieri authoritate innocētis coniugis,

non

non cohabitando ei,& debitum coniugale negando:si verò adulterium non sit notorium,separatio, quo ad cohabitationem,non potest fieri sine authoritate & iudicio Ecclesiæ,& altero instante tenetur cohabitate,nisi probet adulterium in octo dies:quo verò ad thorum separatio fieri potest propria authoritate,vbi innocenti constat de adulterio alterius coniugis: Verùm septem ponuntur casus,in q̃bus ꝟir non potest vxorem adulteram repellere,& è contrà. Primò,si vir sciuit,& non prohibuit, cùm tamẽ potuerit. Secũdò,si credens probabiliter mortem viri,alteri nupsit,nam eo casu vir rediens tenetur eam recipere,nisi scienter steterit cum secundo post aduentum primi. Tertiò,si fuit cognita latenter ab aliquo,quem virũ proprium credebat. Quartò,si fuit ꝟi oppressa. Quinto, si post adulterium eã sibi reconciliauit. Sextò,si vir infidelis vxori infideli det libellum repudii,illaquè nubat secundò, posteà vterque conuertatur ad fidem,primus tenetur eam etiam cognitam à secundo recipere. Septimò, si vir & ipse est adulteratus,quamuis occultè, eam tuta conscientia dimittere non potest,quia etsi in tali casu vxori desit probatio,tamen non ei deficit ius excipiendi. In his ergo septem casibus, vir absque peccato,non potest vxorem adulteram dimittere, neq; quo ad cohabitationem,neq; quo ad thorum.

Vt hæc doctrina claior reddatur,sex noto. Primò,quòd in Iure nomine Diuortij,nedum venit dissolutio Matrimonij,quæ vtroque coniuge viuente

contin-

contingit: sed etiam simplex thori separatio. Secundò noto, quòd Matrimonium legitimè contractum regulariter dissolui non potest; tamen copula carnali non secuta, soluitur per ingressum religionis approbatę factą professione, ita vt remanens in seculo, possit alteri liberè nubere, per susceptionem verò sacri Ordinis, Matrimonium contractum, etiá non consummatum, non dissoluitur. Tertiò noto, quòd ob fornicationem carnalem vel spiritualem, non soluitur legitimum Matrimonium, sed Matrimonij remanente Sacramento, thori tantùm fit separatio. Quartò noto, quòd facta separatione thori, ob fornicationem carnalem, post emendationē, cōiuges se recipere non compelluntur, secus si ob spiritualem fornicationem facta sit separatio, nam eo casu si fornicatus spiritualiter ab infidelitate reuertatur, cogetur, quę in fide remansit, illum resumere. Quintò noto, quòd vxor credens virum suum esse mortuum, ingressa monasterium, à viro reuerso educta, post obitum viri, vt ad monasterium redeat, cogi non potest. Sextò noto, quòd vxor non plenè certificata de morte sui viri, quamuis ille diutissimè in peregrinatione commoretur, vel ab hostibus captus nuncietur, ad alia vota conuolare non potest, donec certum nuncium de viri morte receperit, de quo in iudicio constare debet.

D E

DE DOMINICA.

DOminica dies, qui in honorem atque gaudium resurrectionis Saluatoris nostri celebratur, Sabbatho succedit, non quidem cõstitutione diuina, sed ecclesiastica. Præcepta antiquę legis erant triplicis generis: ceremonialia, quę modò cessant: iudicialia, quæ iam possunt & non possunt à nobis obseruari; moralia, quæ & nunc ad eorum obseruantiam nos obligant: præceptum autem de sanctificatione Sabbathi, partim fuit morale, partim cæremoniale; morale, quantum ad hoc, quod aliquando vacandum sit cultui diuino; cæremoniale, quo ad diem taxatam, ratione primi præceptum de sanctificatione Sabbathi, non potuit mutari, sed benè ratione secundi, sicut factum est.

Sabbathum in noua lege fuit mutatum in Dominicam, quæ dies est plena mysterijs: nam tali die opus creationis sumpsit exordium, Genes. 1. tali die fuit resurrectio Christi, per quã mundus est recreatus, Mar. 16. tali die datus fuit Spiritus sanctus, Actor. 2. item Sabbathum fuit mutatum in Dominicã, ne videamur iudaizare: Vnde sicut Iudæi in veteri lege, Sabbathum obseruabant in memoriam beneficij creationis, ita nunc nos Dominicam sanctificamus in memoriam Redemptionis nostræ.

Festa indicere potest Ecclesia, Princeps, & ciuitas. festa indicta ab Ecclesia violare peccatum est: festa autem indicta à magistratu seculari violare,

non

non est peccatum, licet tales pœnam incurrant, quia ad magistratum secularem non pertinet festa instituere, minus præcipere. Quare violatores festi indicti à magistratu seculari, pœnam tantùm incurrunt sed violatores festi indicti ab Ecclesia, pœnam & culpam simul iucurrunt.

Diebus festis homo nedum à peccatis, sed etiam ab operibus mechanicis, à formatione processuum, à pronunciatione sententiæ iudicialis, à cõdemnationibus ad pœnam maximè mortis, à iuramentis iudicialibus, abstinendum est, secus facientes peccant: opera tamen spiritualia, vt docere verbo vel scripto exercere diebus festis, non est prohibitum, quinimò, nec opus corporale necessariũ, vt coctio ciborum, & bellum causa defensionis. Opus seruile facere die festo non licet, pro lucro consequendo principaliter, sed benè pro damno euitando, & quo ad se & quo ad proximum.

Diebus festis facere opus seruile ordinatum ad lucrum, est peccatũ mortale, nisi vnũ ex quatuor his excuset: primò, modicitas rei. secũdò, necessitas operis. tertiò, pietas cordis, vt si p Dei honore, vel pauperũ suffragio. quartò, vtilitas publica, vt ędificatio põtis. Diebus festis ab operibus mechanicis abstinẽdum est, & quinq; potissimùm insistendũ venit. primò, vacãdũ est Deo in psalmis, canticis spiritualibus, hymn. secũdò orationi. tertiò audiẽtię prędicationis. quartò compunctioni, & contritioni peccatorũ. quintò, vacandũ est audientiæ sactę Missæ.

K DE

DE DONATIONE.

Donatio est collatio rei licitè ex meralibera-litate, seu remunerationis gratia facta, quæ in iure his prohibetur, videlicet: amentibus, furiosis, prodigis, minoribus viginti quinque ānis, filijs-familias, seruis, religiosis, ac monachis, qui nihil ꝓprij habent, Prælatis regularibus, vxoribus, quæ vltra dotem nihil habent, criminosis, qui crimen capitale commiserunt, & hæreticis, quorum bona ipso iure sunt confiscata, raptoribus, furibus, & debitoribus: illi enim sunt, qui secundùm iura, donare ꝓhibentur, propterea nihil alicuius momenti ab eis, tuta conscientia, accipi potest.

Donatio remuneratiua legitimè facta, ratione ingratitudinis, in quinque casibus reuocari potest, primò, si ille, cui facta est donatio, atroces iniurias donatori intulit. secundò, si manus impias in donatorem iniecit. tertiò, si graue damnum rebus donatoris intulit. quartò, si attentauit inferri donatori periculum vitę, quamuis effectus non sit secutus. quintò, si ille, cui facta est donatio, conditionem, appositam non impleuit: Verùm reuocatio donationis in prędictis casibus, licet possit fieri per donatorem, non tamen per eius hæredes: quia ius reuocādi donationem est personale, propterea non transit ad hęredes donataris, vt possint reuocare, neque ad hęredes donatarij, vt ab eis reuocari possit, vbi causa fuit nota donatori, secus si eam ignorauit: nam

eo casu

eo casu hęredes donatoris possunt agere cõtra donatarium, seu eius hæredes ad reuocationem, maximè si donatarius cognouisset carnaliter vxorem donatoris ipso ~viuente, sed ignorante: quia ex quo ignorauit, tacuisse non dicitur.

Donatio causa mortis est ad instar legatorum: nam in ~vtroque est vltima ~voluntas, vtrunq; quinarium numerum testium requirit, vtrunque non exigit insinuationem, & vtrunq; non tenet, seu non est perfectum, nisi morte secuta. Hæc donatio trib? modis reuocari potest. primò, si donatarius moriatur ante donatorem. secundò, si donatorem pœnitet donasse, secus de donatione, quæ dicitur inter ~viuos. tertiò, cessante conditione, sub qua donatio facta fuit.

DE DOTE.

DOs est, quod datur viro ab vxore, vel ab alio eius nomine, pro oneribus Matrimonij sustinendis. Pater. secundùm iura, tenetur dotare filiam, non solùm legitimam, sed etiam naturalem, non obstante, quòd filia nupserit parente inuito: quia filia siue filius constitutus in debita ętate, contrahens Matrimonium patre inuito, vtitur permissione canonica: nam, secundùm iura, consensus parentum ad contractum Matrimonij, non requiritur de necessitate, sed benè de decentia atque honestate, tamen si filia elegisset sibi turpem vitam, pater posset cã exhęredare, pater eo casu nõ tenetur dotare fi-

liam, secus semper tenetur, etiamsi absque eius consensu contraxit, & maximè si post vigesimum quintum annum: quia in tali casu pater videtur culpabilis, ex quo tanto tempore distulit, eam collocare: frater etiam, secundùm iura, tenetur dotare sororē, quoniam causa dotis in iure est fauorabilior, quàm causa alimentorum, sed frater tenetur dare sorori alimenta: ergo à fortiori dotē, quæ doctrina nō tātùm in laicis, sed etiam in Clericis habet locū, qui ex patrimonio, vel si patrimonium non habent, de redditibus Ecclesiæ sorores dotare debent.

Dos siue donatio facta propter nuptias, in quatuor casibus amittitur. Primò, propter adulterium secuta tamen separatione, quo ad conuersationem coniugalem, facta per iudicem ecclesiasticum, vel ab innocente coniuge, vbi adulterium est notorium. Secundò, si vxor ingreditur balneum cum alieno viro, perdit dotem, & vir ingrediens cū aliena vxore, pdit donationē. Tertiò, si coniuges scienter contraxerunt in gradibus iure prohibitis, & tunc dos & donatio cedunt fisco. Quartò, propter hæresim.

Dotis in iure multa sunt priuilegia, primò, quòd omnia bona mariti sunt hipotecata pro dote. secundò, quòd propter maleficium viri, etiam propter crimen lęsæ maiestatis non perditur, tertiò, ꝙ præponitur omnibus creditoribus, etiā prioribus. Quartò, quod est fori ecclesiastici: quia habens cognoscere de principali, habet cognoscere & de accessorio: sed Ecclesia habet cognoscere de Matrimonio, quod

quod est principale, ergo, & de dote, quæ ad illud accedit. Quintò, quòd vir redactus ad inopiam, potest dare dotem ad lucrum sine vsura pro parte honesta. Sextò, quòd fundus dotis non potest alienari: Quinimò dos in iure est res adeò priuilegiata, vt neque per hæresim viri confiscati possit: nisi scienter contraxerit cum hæretico.

DE DVELLO.

DVellum dictum est quasi duorum bellum seu pugna, quod alio nomine dicitur monomachia: verùm non omnis pugna duorum propriè dicitur duellum, sed solùm pugna duorum, facta ad cuius rei probationem, quod est prohibitum nedũ iure canonico, sed etiã iure diuino, quia sic est Deum tentare, quod Dominus prohibet, Matthæi 4. dicens: Non tentabis Dominum Deum tuum; iure canonico, quoniam vt docet D. Thomas 2. 2. quæst. 95. art. vlt. eadem est ratiò de lege duellorum, & de iudicio ferri candentis, atque aquę bullientis, quæ iam omninò sunt prohibita.

Duellum semper est peccatum mortale, quando est cum periculo vitæ, vel membrorum, secus quando est absque periculo vitæ, & membrorum. In duello peccant mortaliter, primò duellantes, siue offerant, siue spontè illud suscipiant. secundò iudices deferentes illud, seu præstantes authoritatẽ. tertiò assessores. quartò dantes consilium, auxilium, vel fauorem. quintò Sacerdotes dantes benedictio-

nem talibus. sextò admittentes illud in sua ditione, cùm possint obuiare, septimò inspicientes, ex quo sibi placent in eo, quod de se est mortale, & nunc, iuxta decretum sacri Concilij Tridentini sess. 25. de reformat. cap. 19. permittentes duella, patrini, spectatores, & duellantes sunt excommunicati, talesque morientes in duello, priuantur sepultura ecclesiastica.

DE EBRIETATE.

EBrietas est priuatio vsus rationis ad tempus, ex immoderato potu vini, vel alterius rei potabilis, & est peccatum mortale, vbi quis volens & scienter inebriatur, 1. Cor. 6. Ebriosi regnum Dei non possidebunt: nam tales per ebrietatem, non tantū priuant se vsu rationis, sed etiam se exponunt periculo peccandi, ad Ephes. 5. Nolite, inquit Apostolus, inebriari vino, in quo est luxuria: neque excusatur aliquis dicendo, id feciſſe gratia sanitatis, quia vt docet D. Paulus ad Rom. 3, non sunt facienda mala vt veniant bona.

Ebrietas totalis si fuit sine culpa, puta si quis lassus ex itinere, non animaduertens fortitudinē vini, fieret ebrius, volens sitim extinguere, excusat hominem à peccato sequenti in ea commisso: si verò ebrietas fuit cum culpa, nō excusat à toto, sed benè

aliqualiter

aliqualiter minuit peccatum,& quantum ad culpā, & quātum ad pœnam, ex quo talis sic peccans,nēpe constitutus in ebrietate, nō habet integrū vsum rationis,propterea ebrietas minuit aliqualiter peccatum commissum in ea,quo ad culpam. item quo ad pœnam,quia illud imputatur ad pœnam, quod ex culpa immediatè procedit,non autem quod mediatè,sicut in casu nostro, vt homicidio commisso in ebrietate,accipimus causam immediatam, & est priuatio vsus rationis, accipimus causam mediatam,& est superflua potatio.

DE ECCLESIA.

Ecclesia vox Græca, Latinè conuocatio, & est duplex,spiritualis & materialis.Ecclesia spiritualis idem est,quod populus adunatus in Dei cultum;Ecclesia autē materialis est locus,in quo Christi fideles conueniunt propter diuinum cultū. Ecclesia spiritualis duplex est,vniuersalis, id est, totus populus per orbem diffusus,Deo per fidem vnitus, & specialis,hoc est,populus Deo vnitus, non solum per fidem,sed etiam per charitatem, & hæc adhuc duplex est, triumphans & militans. Ecclesia triumphans est populus Deo vnitus per gloriam:Ecclesia autem militans, est populus Deo vnitus per gratiam.

Ecclesia Christi in terris in his, quæ spectant ad fidem vel ad mores,errare non potest. primò,quia Christus pro ea orauit,ne fides eius deficiat, vt ha-

betur Luc. 22. secundò, quia doctrina Ecclesiæ est doctrina Spiritus sancti, Ioan. 14. Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille ⁊vos docebit omnia. Tertiò. quia Ecclesię continuò assistit Spiritus sanctus, Ioan. 14. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum: hinc Apostolus 1. ad Timoth. 3. Ecclesiam columnam & firmamentum veritatis appellat. Quare Ecclesia Christi in necessariis ad salutem, ⁊vt sunt fides & mores, errare non potest: in alijs verò, quia Ecclesia sequitur humanam opinionem, siue hominum testimonio innititur, cui sæpè falsum subest, potest errare.

Ecclesia quadrupliciter sumitur: Primò, formaliter & verè, sic Ecclesia accepta est omnis populus fidelis per totum orbem diffusus, Christo ⁊vnitus p fidem & charitatem. secundo, formaliter & repræsentatiuè, sic Ecclesia accepta est Concilium generale legitimè congregatum. tertio virtualiter & formaliter simul, & est Ecclesia Romana, quæ est caput omnium Ecclesiarum, virtualiter continens authoritatem totius Ecclesię. quarto virtualiter & repræsentatiuè simul, sic ecclesia accepta, est collegiũ Cardinalium, cum summo Pontifice, modo quando dicitur ecclesia in his, quę concernunt fidem & mores, errare non potest, intellige de ecclesia, prædictis quatuor modis accepta.

Ecclesia materialis, de qua Apostol⁹ 1. ad Tim. 4. Volo, inquit, in Ecclesia orationes fieri, est locus publi-

publicus, authoritate episcopali constitutus, & consecratus, in quo fideles conueniunt ad percipienda fidei Sacramenta: vnde ad esse Ecclesiæ materialis tria requiruntur. primò, quòd sit ab Episcopo fundata. secundò, quòd sit facta ad percipienda ibi Sacramenta. tertiò, quòd sit consecrata, secus non Ecclesia, sed basilica dicitur vel oratorium, quod authoritate priuata in domo propria fieri potest: tamẽ in eis celebrare non licet, vt habetur in Concil. Trident. sess. 22. decreto de obseruandis & euitandis in celebratione Missæ.

Ecclesia in tribus casibus indiget consecratione. Primò, quando nulla probatio seu signum apparet, quòd fuerit consecrata. Secundò, si Ecclesia fuit cõbusta. Tertiò, quando parietes Ecclesiæ, vel in toto, vel in parte corruerunt: In quinq; verò casibus Ecclesia polluta indiget reconciliatione. Primò, propter homicidium in ea perpetratum, cum voluntaria irreuerentia occidentis, etiam absq; sanguinis effusione, vt si fur suspenderetur in Ecclesia: Secundò, propter effusionem sanguinis, si sit magna, iniuriosa, & voluntariè facta. Tertiò, propter effusionẽ seminis humani, si sit magna, & facta cum voluntaria irreuerentia. Quartò, propter sepulturam hæreticorum, excommunicati & infidelis. Quintò, quando Ecclesia fuit cõsecrata ab Episcopo hæretico vel excõmunicato; Verũ cõsecratio ecclesiæ soli Episcopo cõuenit: reconciliatio verò simplici Sacer. cõmitti potest, q̃ tamẽ fieri debet cũ aqua lustrali episcopali.

DE ELECTIONE.

ELectio canonica est alicuius personę ad dignitatem vocatio, quæ de iure communi ad Collegium seu Capitulum pertinet. Ab actu electionis in locis regularibus vndecim genera personarum repelluntur: primò, priuati potestate eligendi. secundò, conuersi. tertio, non professi, tacitè vel expressè. quartò, qui non sunt Subdiaconi, tales non habent votum in Capitulo, tàm in secularibus, quàm regularibus Ecclesiis. Quintò, excommunicati maiori excommunicatione, secus si minori, quę excludit ab actu electionis tantùm passiuè. sextò, suspensi ab officio. septimò, qui scienter celebrarunt in loco interdicto. octauò, qui scienter elegerunt indignum, tales pro ea vice sunt priuati potestate eligendi. nonò, minores quatuordecim annis. decimò, qui per laicalem abusum elegerunt. vndecimò, non eligentes intra tempus statutum, secundùm iura. isti enim sunt, qui in iure ab actu electionis repelluntur.

Adhoc, quòd aliquis sit eligibilis, septem in eo desiderantur, quorum sex sunt communia Clericis secularibus & regularibus. primò requiritur, quòd eligibilis sit debitæ ętatis. secundò, quòd sit legitimè natus. tertiò, quòd nõ sit excommunicatus, nec minori excommunicatione. quartò, quòd non sit suspensus neque interdictus. quintò, quòd sit debitę literaturę. sextò, quòd non habeat impedimẽtum circa Ordines suscipiendos. septimò, quod est pro-

proprium regularium, vt sit professus, licet nouitius possit eligi in Episcopum: quòd si electio facta sit de eo, qui habet aliquod prędictorum impedimẽtorum, ipso iure est nulla, vel si maior pars Capituli seu electorum non consenserit, licet in electione sũmi Pontificis vt teneat, nonsufficiat, quòd maior pars collegij Cardinalium consentiat: sed requiritur, quòd duæ partes electorum consentiant electioni de aliquo factæ, vt Papa habeatur: vnde quando dicitur, vt electio sit canonica, requiritur, quòd maior pars in electum consenserit, non debet intelligi respectu minorum, hoc est, quòd ille sit canonicè electus, qui habet plura vota, sed respectu totius Capituli, ita vt ille dicatur canonicè electus, qui vltra medietatem vota eligentium habuit.

Tempus iure statutum electioni celebrandæ in cathedralibus & regularibus Ecclesijs, cessante impedimento legitimo, est spacium trium mensium, secus electio deuoluitur ad Superiorem proximũ, qui si & ipse intra tres menses non prospexerit, deuoluitur ad alium Superiorem vsque ad Papam, & ibi fit status, in aliis autẽ Ecclesijs prouideri debet intra sex menses, aliàs prouisio prædicto modo ad Superiorem deuoluitur. Electores facta electione tenentur petere cõsensum electi intra octo dies, vbi commodè fieri poterit: electus verò requisitus, tenetur intra mensem præbere consensum, secus est priuatus iure electionis, similiter electio est cassa, si electus post consensum, confirmationẽ à Superiori

ri intra tres menſes non petit. Tres ſunt formæ traditæ procedendi in electione à iure, ſcilicet: p ſcrutinium, per comptomiſſum, & per communem inſpirationem, quæ quidem diſpoſitio ſeruãda eſt ſolùm i electione Epiſcoporum ac aliorum Prælatorum Eccleſiarum collegiatarum: verùm forma procedendi per ſcrutinium, iam eſt magis in vſu, iuxta decretum ſacri Conc. Triden. ſeſſ. 25. de regularibus, cap. 6. nempè per vota ſecreta, ita vt nomina ſingulorum eligentium nunquam publicentur, & in ea decem veniũt obſeruanda, vt electio ſit canonica: primò. vt fiat per congregatos in vnum, ſecundò, vt ſcrutatores aſſumãtur per collegium tertiò, vt tres, non plures neque pauciores ſcrutatores aſſumantur. quartò, vt ſcrutatores ſint de collegio. quintò, vt vota ſingulorum exquirãtur ſecretè. ſextò, vt excludendi non admittantur, neque admittendi excludantur, ſeptimò, vt vota in communi publicẽtur. octauò, vt votorum publicatio mox fiat, nullo actu contrario interueniente. nonò, vt per vnum nomine totius Capituli fiat electio per verba ſingularis numeri, & talis erit is, qui primam vocẽ habuit, vel is, cui Capitulum commiſerit. decimò. vt maior pars Capituli elegerit, & non maior pars reſpectu minorum.

Electus canonicè in tribus caſibus ſub pœna peccati mortalis tenetur conſentire. primo, quando à Superiore per obedientiam cogitur. ſecundo, quãdo probabiliter videt notabile diſpendium, & periculum

ticulum Ecclesiæ immittere, nisi assentiat. tertio, quando per viam illicitam refugit, abscondendo se quia in tali casu videtur resistere Spiritui sancto, & diuinæ vocationi.

Electio de Iure communi spectat ad Collegium seu Capitulum: quælibet enim Congregatio approbata habet vt possit sibi eligere Caput, nisi extet consuetudo, in contrarium, etiam si duo vel tres tãtum fuerint: nam Ius Vniuersitatis sicut notãt Doctores, ī vno solo remanere potest, alijs omnib⁹ mortuis, vel priuatis Iure eligendi, aut suspensis vel excommunicatis: tunc enim potestas eligendi ad paucíores pertinet, quando inquam maior pars est inhabilis ad eligendum: in tali casu minor pars totum Collegium seu Capitulū repręsentat & facit: quia inhabiles in numero eligentium non veniunt.

Terminus procedendi ad Actum electionis p̄fertim in Cathedralibus & regularibus ecclesijs est infra tres menses, qui terminus abbreuiari potest, si duę partes Capituli seu collegij sunt pręsentes; secus autem si duę partes capituli sunt absentes, & causa coarctationis non assignetur, eo casu expectari debet terminus, deinde ad Actum electionis procedere: nam vno electorum neglecto, & non vocato, electio non esset Canonica, talis tamen si vult potest illam ratam habere: at quilibet in Ordine subdiaconatus saltem constitutus esse debet, sicut decernit trident. Synodus session. 22. decreto de reform. capitul. 4. vbi legitur: Quicunque

cunque in Cathedrali, vel collegiata, seculari vel regulari Ecclesia diuinis mācipatus officijs, in subdiaconatus Ordine saltem constitutus non sit, uocem in huiusmodi Ecclesijs in Capitulo non habeat, etiam si hoc sibi ab alijs liberè fuerit concessum: Qui autem Cathedralibus, siue parochialibus Ecclesijs prēficiendi sint, & quales esse debeant, eadē sancta synodus sess. 7. Cap. 1. sess. 22. Cap. 2, & sess. 24. Cap. 12, statuit.

DE ELEEMOSYNA.

ELeemosyna est opus misericordiæ, quo datur aliquid indigenti ex cōpassione propter Deū, & communiter duplex ponitur, spiritualis & corporalis: quia & defectus proximi, ad quos eleemosyna ordinatur, sunt duplicis generis, quidam ex parte animi, & quidam ex parte corporis. Eleemosyna spiritualis est actus pietatis, quo subuenitur defectibus spiritualibus proximi, & huius septem sunt species, videlicet: docere ignorantē, consulere dubitanti, corrigere peccantem, consolari tristem, remittere offendenti, onerosos patienter ferre, & pro ōnibus orare. Eleemosyna corporalis est actus pietatis, quo subuenitur defectibus corporalibus proximi, cuius pariter septem ponuntur species, scilicet: cibare esurientem, potare sitientem, visitare infirmū, redimere captiuum, vestire nudum, suscipere hospites, & sepelire mortuos; sex priores species eleemosynæ corporalis habentur in Euāgelio Matth. 15.

th. 15. septima verò in Tobia & Nicodemo.

Eleemosyna cadit sub præcepto, Eccles. 17. Vnicuique mandauit Deus de proximo suo, & Luc. 11. quod superest, inquit Christus, date pauperib⁹: duobus tamen cõcurrentibus: scilicet necessitas in recipiente, & abundantia in dante. Verùm eleemosyna spiritualis triplici ratione, corporali eleemosynę præeminet. primò, ratione eius, quod exhibetur: qa est donum spirituale. secundò, ratione eius, cui subuenitur: quia spiritus est. tertiò, ratione actuum, quibus proximo subuenitur: quia spirituales.

Eleemosyna secundùm quod ordinatur, ad satisfaciendum pro propria, vel alterius culpa, est actus Pœnitentiæ, seu satisfactionis; secundùm quod ordinatur, ad releuandam indigentiam proximi, est actus misericordiæ; secundùm quòd homo ad illã tenetur ex præcepto, est actus iustitiæ; secundùm quòd procedit ex mera liberalitate, est actus liberalitatis; secundùm quod ordinatur ad placandum Deum, eleemosyna habet rationem sacrificij, & est actus latriæ.

Quinque sunt genera personarum, quæ excusãtur si non dant eleemosynam. primò, religiosi, & monachi, qui nihil proprij habent. secundò, serui & ancillæ, si non dant indigentibus de bonis dominorum suorum: quia scriptum est, Prouerb. 3. Honora Deum de tua substantia. tertiò, filij familias. quartò, vxores, si nihil habent præter dotem, quę datur viro pro sustinendis oneribus Matrimonij.

quintò,

quinto, minores quindecim annis, qui non habent plenam administrationē, intellige de magna & non de modica eleemosyna, quam quilibet horum, absque notabili nocumento tertij, facere potest.

Opera satisfactoria prēcipua in genere sunt tria: ieiunium, oratio, & eleemosyna, inter quę eleemosyna est opus magis satisfactorium: quia includit in se virtutem orationis & ieiunij: nam eleemosyna constituit eum, cui datur, debitorem ad orandum, ad ieiunandum, & ad faciendum alia bona opera pro eo, qui dedit eleemosynam. Accedunt loca sacrę Scripturæ, Tob. 4. Eleemosyna ab omni peccato liberat. Daniel. 4. Peccata tua eleemosynis redime. & Luc. 11. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.

DE EPISCOPO.

EPiscopus, superintendens & inspector interpretatur: ipsius enim est vitam ac mores tam Cleri quā Populi sibi subiecti speculari & inspicere: proinde debet esse irreprehensibilis, cæterisque exemplo benè ac sanctè viuēdi, sicut docet Apostolus 1. ad Timoth. 3. Episcopum inquit, oportet esse irreprehensibilem, sobrium, prudentem, ornatum pudicum, hospitalem, Doctorem; iustum, sanctum & cōtinentē: merito quidē cum episcopi in ecclesia Christi saluatoris nostri Iure diuino, Apostolis succedant, sicut sacrosancta Tridētina synodus declarat sess. 23. de sac. ord. Cap. 4. Insuper ipsorum sit,

animas

animas sibi commissas, pretioso Christi sanguine redemptas, verbo & exemplo pascere, populum cõcreditum docere, hortari, corripere, & sacramẽta Dei, quæ animam intus renouant, aut renouationem spiritualem augmentant, vel nouum esse dignè susciptentibus tribuunt, in subiectis perficere.

Episcopi habent plenam potestatem dispensatio nis sacramentorum, & verbi Dei declarationẽ: simplices verò sacerdotes quinq; Sacramẽtorum tantùm sunt ministri, videlicet baptismi, Eucharistiæ, pœnitẽtiæ, extremę Vnctionis, & matrimonij. Quinimò pleraq; alia Episcopi peragere possunt, quarum functionum potestatem, reliqui inferioris ordinis, non habent, vt baptizatos confirmare, sacerdotes ordinare, & alios ordines in ecclesia creare, Abbates benedicere, ecclesias, Altaria, virgines cõsecrare, ac Sacerdotes in episc. ordinare & consecrare, quę potestas non est illis communis cum pbyteris, vt habetur loco citato sess. 23. Can. 7.

Episcopis quædam conueniunt ratione dignitatis episcopalis, vt cognoscere de causa matrimoniali, iniungere pœnitẽtias publicas, dare indulgẽtias, & his similia. Quędam eis cõueniunt ratione Iurisdictionis Episcopalis, vt excommunicare, absoluere in foro Iudiciali, beneficia cõferre, & alia id genus. Quædam conueniunt episcopis ratione ordinis episcopalis, vt confirmare, ordinare, consecrare ecclesias & huiusmodi. Quę competunt episcopis, primo & secundo modo, possunt committi etiam

illis qui sunt inferioris ordinis: secus autem de his, quę conueniunt Episcopis tertio modo, hoc est ratione ordinis episcopalis: talia enim illis, qui non sunt episcopi, committi nequeunt.

Ordo sacerdotum vt testatur Anacletus Christi Martyr & D. Petri Apostoli discipulus epist. sua 3. est bipartitus constitutione diuina in episcopos & præsbyteros: Ordo verò episcoporum est vnus, licet constitutione Apostolica aliqui Patriarchæ, aliqui Primates, aliqui Archiepiscopi, & aliqui simpliciter episcopi dicantur; Vnde inter hos est sola differentia prę eminentiæ, & non ordinis, neque diuinę potestatis: inter illos autem, nempe episcopos & præsbyteros, non solùm est differentia præeminentiæ, sed etiam ordinis & diuinę potestatis, quia Episcopi Apostolorum & præsbyteri septuaginta duorum discipulorum locum tenent.

Episcopatus propriè ac verè dicitur, & est ordo à cæteris distinctus: nam episcopus non solùm respectu corporis Christi mystici habet aliquem actum & potestatem, qua simplex sacerdos non gaudet, sed etiam respectu corporis Christi veri, hoc est in ordine ad sacramentum Eucharistiæ, nempe creare presbyteros, qui hoc ipsum Sacramentũ conficiũt: Præcipua inquit D. Dionysius Areopagita lib. eccl. hierarch. cap. 5. actio episcoporũ, ad corporis Christi consecrationem, mediatè saltem pertinet: munus enim & exercitium ordinis Episcopalis versatur erga eos, qui ad consecrandum Christi corpus disponuntur

ponuntur & collocantur, creando, ordinando, & perficiendo eos. Item episcopatus est propriè Ordo quia imprimit characterem, teste D. August. epist. ad Crispinum Donatistam, vbi expresse dicit. Episcopatum esse ordinem, qui iterari non potest sicut baptismus, quia habet effectum indelebilem in eo, qui ordinatur. Confirmatur hęc veritas authoritate D. Dionysij loco citato vbi dum recenset sacratos ordines, commemorat vti principales episcopatum præsbyteratum & Diaconatum, qui principales dicuntur, eo quod per impositionem manuum conferuntur. Quare episcopatus dicitur, & est, propriè ac verè Ordo à cęteris Ordinibus ecclesiasticis distinctus.

Causæ grauiores contra Episcopos, quę depositione, aut priuatione dignę sunt, ab ipso tãtum summo Romano Pontifice cognosci ac terminari possunt: minores verò causæ eorundem in synodo Prouinciali, iuxta decretum sacri concil. trid. sess. 24 de reform. cap. 5. cognosci ac definiri debent. Quinimo & cognitio illarum causarum, cum pro criminis qualitate cõparere necesse est, Põtifici maximo pariter est reseruata, vt habetur loco citato sess. 13. cap. 8. Vnde licet secundum Iura antiqua cognitio causarum Episcoporum Prouincialium, & non earundem definitio, Archiepiscopis seu Metropolitanis concessa erat: tamen iam secundum Iura noua, neq; cognitio illis permittitur, sed vtrunq; nempe tam definitio quã cognitio sedi Apostolicæ, si causæ

sunt grauiores, vel Synodo Prouinciali, si sunt minores, expresse reseruantur.

In multis casibus Episcopi tamquàm sedis Apost. delegati, sicut sacrosancta trid. Synodus decernit, procedere possunt. primò facere vt in Monasterijs vbi cõmodè fieri potest, etiã lectio sacræ scripturæ, & in Ecclesijs Parochialib⁹, ipsis Monasterijs subiectis, diebus saltem Dominicis, festisq; solẽnibus, sacra Concio, & Euãgelij prędicatio habeatur compellendo Superiores in hoc negligẽtes, sess. 5. de refor. cap. 1. & sequẽti. secũdò possunt Ecclesias quascunq; & quomodolibet exemptas singulis annis visitare, & opportunis Iuris remedijs prouidere vt Cura animarum, aliaq; debita obseqa rectè exerceãtur, sess. 7 cap. 8. tertiò propter paupertatẽ Ecclesiarum, vt illarum statutus, vbi sacra officia Deo ministrantur, ex dignitate cõseruetur, possunt Episcopi tanquã sedis Apost. delegati facere vniones perpetuas quarumcunq; Ecclesiarum parochialiũ & aliorum beneficiorum Curatorum & nõ curatorum sess 21. cap. 5. quartò possunt regulares quoscunq; visitare, & punire iuxta illorum instituta, vbi Superiores admoniti vt sibi subditos in officio cõtineant ac moderẽtur, eos intra sex mẽses nõ visitauerint vel correxerint, loco citato cap. 8. Itẽ regularẽ punire, qui intra claustra Monasterij degit, & extra ea ita notoriè deliquerit vt populo scandalo sit, nisi à suo Superiore intra tẽpus ab ipso Episcopo præfigendum seuere puniatur, sess. 25. cap. 14.

quintò

quintò in his vbi de visitatione aut morum correctione agitur, possunt procedere ad executionē cōgruentibus remedijs eorum, quę ab eis mandata, decreta aut iudicata fuerint, exēptione, inhibitione, appellatione, seu quærela ad sedem Apostolicam interposita non obstantibus, sess. 24. cap. 10. Hęc & alia Episcopi tanquàm sedis Apostolicæ delegati, præstare possunt.

Episcopi quos spiritus sanctus Act: 20. posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo, secundum Iura hæc pręcipuè possunt. primò rebelles ac manifestos peccatores excommunicare, suspendere, interdicere, ac alijs pœnis pro criminis qualitate cœrcere. secundo condere leges, quibus ordo Ecclesiasticus in diuino cultu commodius dirigatur, & populus in vera pietate conseruetur. tertio dare indulgentias, vti dispensatores ministeriorum Dei, 1. Cor. 4. quartò confirmare baptizatos, sine quo sacramento, nullus teste D. Clemente perfectus Christianus esse potest, nec habete sedem inter perfectos, si non necessitate, sed incuria, aut voluntate omittitur. quintò sacerdotes ordinare, & alios sacros ordines in Ecclesia Dei creare. sextò possunt committere Clericis inferioribus quę sunt Iurisdictionis, non tamen quæ sunt ordinis episcopalis. septimò sedere pro Tribunali in quolibet loco suę diœcesis, exceptis locis exemptis. Octauò cogere religiosos, vt ad processiones publicas uadāt, illis exceptis, q̄ in perpetua clausura degūt. nonò ce-

lebrare vbicunque, celebrariq; facere etiam tẽpore generalis Interdicti, nisi ipse sit interdictus, vel causam interdicti dederit. decimò dispensare in omnibus irregularitatibus & suspensionibus prouenientibus ex delicto occulto, ea excepta quæ ex homicidio voluntario oritur, & alijs deductis ad forum contentiosum. vndecimò absoluere delinquentes quoscunque sibi subditos ab omnibus casibus occultis etiam sedi Apostolicæ reseruatis. Item in crimine hæresis in foro conscientię tãtum (quod illorum Vicarijs non permittitur) vt habetur in Cõcil. trid. sess. 24. decret. de reform. cap. 6. duodecimò dispensare cum homicida, qui non ex proposito, sed casu, vel uim vi repellendo vt se à morte defenderet, homicidium commisit, causa cognita, & probatis precibus, vt ad sacros ordines promoueri possit, & in susceptis ministrare, sess. 14. decreto de reform. cap. 7. decimotertio dispensare in gradibus prohibitis in matrimonio aliàs publicè in facie Ecclesiæ seruatis seruandis contracto, quando impedimentum fuit & est occultum, & separatio sine magno scandalo, atque periculo fieri non posset, puta si mulier fuisset cognita carnaliter à fratre viri antequam matrimonium cõtraheretur. decimoquartò episcopi possunt dispensare etiam in Canone & Concilio ratione consuetudinis præscriptæ vel ratione magnæ necessitatis, seu vtilitatis nouiter emergentis, vel quando Canon dicit, posse fieri dispensationem, licet expressè nõ dicatur per Epi-

scopum.

scopum: nam frustratorie intelligeretur de Papa qui semper potest. Item Episcopi omnes in sua cuique diœcesi graviora quędam crimina præsertim illa, quibus excommunicationis Censura annexa est, sibi reuersare possunt: in quibus Casibus sacerdotes extra art. mortis nihil possunt; in art. autem mortis nulla est reseruatio, ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis, & Censuris absoluere possunt, session. 14. cap. 7.

Episcopi vt officio suo in quod Deo ipsos posuit, satisfaciant; Inprimis ita mores suos omnes componere debent, vt reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ ac humilitatis exempla petere possunt. secundò assiduè in Dei laudibus incumbere, sacrificium Missæ quolibet saltem die Dominico, in quo Deus lucem condidit, & à mortuis resurrexit, ac spiritum sanctum in Discipulos effudit, peragere. tertio Seminariorum erectionem & conseruationem in illorum Diœcesibus, vt adolescentium ętas à teneris annis ad pietatem & religionem informentur promouere. quarto synodum diœcesanam quotannis habere & Diœcesim per se ipsos aut si legitimè impediti fuerint per suos generales Vicarios visitare. quinto sanam orthodoxamque doctrinam expulsis hęresibus inducere, bonos mores tueri, pratos corrigere, populum cohortationibus ad religionem pacem, innocentiamque accendere, sexto instituere per totam illorum Diœcesim

Viros pios & idoneos, qui gregem eis commissum verbo & exemplo pascant. Septimò vti lineis in publico super ~vestimentis, nisi sint religiosi. octauò constituere Iudicem laicum si habent Iurisdictionem tẽporalem & non interesse vindictæ sanguinis. nonò nullum ordinate nisi constet de debita ætate, de integritate uitę, & in literis sufficientia, minus beneficia indignis conferre. Vide super his Concil. trid. de refor. sess. 23. cap. 18. item sess. 24. cap. 2. & 3. Qui igitur Episcopale munus suscipiũt, q̃ sunt suæ partes agnoscant, ac se ad labores & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant, Et quod de Episcopis dicitur intellige etiam de Patriarchis, Primatibus & Archiepiscopis & Metropolitanis, quorum vnus est ordo, & eadem diuina potestas, & qui nomine Episcoporum, in Iure ~veniunt.

Episcopi in debito honore tam apud Clerũ quã Populum imò & apud Principes haberi debent; sunt enim veri successores Apostolorũ in Ecclesia Christi. sunt patres & pastores suorum subditorum, locum Dei tenentes, ac ~vices Christi in Ecclesia agentes. Hinc sacrosancta Trid. Synodus sess. 24. cap. 17. sacros Canones omnes, Conciliaque generalia, atque alias Apost. sanctiones ad dignitatis Episcopalis decorem & grauitatem pertinentes renouando mandat ipsis Episcopis ~vt tam in Ecclesia quàm foris, suum gradum & Ordinem præ oculis habentes, ~vbique se Patres & pastores esse

esse meminerint: reliquis verò tam Principibus, quàm cæteris omnibus, vt eos paterno honore, ac debita reuerentia prosequantur. Meritò quidem, quia vt dicit D. Ambrosius in suo past. Honor & sublimitas Episcopalis, nullis comparationibus adæquari potest. si Regum inquit fulgori compares, & Principum diademati, longè inferius hæc erunt, & quasi metallum ad auri fulgorem comparabis.

DE AETATE.

AEtas certa ac determinata in multis, secundum iura, necessariò requiritur, ita vt ante acta non teneant. Primò, in sponsalibus celebrandis, iuxta cõmunem opinionẽ, ætas septẽ annorũ cõpletorum, tàm in mare, quam in fœmina desideratur. Secundò, in Matrimonio contrahẽdo, fœmina debet esse ętatis duodecim annorum; mas verò quatuordecim, in quo maior ætas requiritur, quia est principiũ generationis actiuũ. Tertiò in voto professionis religionis approbatæ, ætas sedecim annorũ, vt professos obliget, requiritur, iuxta sanctionẽ Cõcilij Trident. sess. 25. de regularib⁹ & monialibus, cap. 15. Quartò, in ordinibus suscipiẽdis ad primã tonsurã, & ad tres priores minores ordines, ætas septẽ annorũ desideratur, ad Acolytatũ ætas duodecim annorũ, ad Subdiaconatum viginti duorum annorum, ad Diaconatum viginti trium annorum, ad Præsbyteratum ætas viginti quinque annorum requiritur, vt habetur in

Concilio

Concilio Triden, sess. 23. de reforma. cap. 12. quòd si quis ante dictam ætatem ordinetur, recipit quidem characterem, sed non executionem: vnde talis quoties celebrat solenniter in Ordine susceptо, vsque ad completum tempus, nisi secum sit dispensatum, peccat mortaliter, non tamen fit irregularis. Quinto, in iuramento requiritur pubertas. quæ in mare incipit post completum decimum quartum annum, & in fœmina post duodecimum annũ: eadem ætas in testamentis, & in electione sepulturæ requiritur.

Quærenti modò, quomodo cognosci possit, vtrũ ætas completa requiritur, vbi non constat de mente stauentis, seu disponentis? Respondetur. quãdo ętas profertur in genitiuo, tunc requiritur, quòd sit completa; quando profertur in ablatiuo cum ista præpositione (in) non requiritur quòd ætas sit cõpleta, sed sufficit, quòd sit inchoata. quando profertur in ablatiuo sine præpositione, tunc requiritur, quòd sit completa. quando profertur in accusatiuo cum ista prępositione (ad) tunc sufficit annum expressum in iure inchoasse. quando demùm ætas profertur in accusatiuo cum verbo significante rem perfectam, vt in præpositione (per) vel cũ futuro coniunctiui modi, tunc requiritur, quòd sit completa: sed sine tali verbo, si de re fauorabili agatur, sufficit ętatem ibi expressam inchoasse; si de re odiosa, tunc requiritur, quod ætas ibi nominata sit completa. Quare ex his patet, vbi non constat de mente

statuen-

ſtatuentis, quando ætas requiritur cõpleta, & quãdo ſufficit eam inchoaſſe.

Sex ponuntur ætates in mundo, ſicut & in homine. prima ętas mundi fuit ad Adam vſque ad Noë, in qua fuit hominis inſtitutio & lapſus. ſecunda fuit à Noè vſque ad Abraham, in qua deſtructio & reuocatio humani generis per diluuium facta eſt. tertia fuit ab Abraham vſque ad Dauid, in qua Circũcisio & Lex data eſt. quarta à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babilonis, in qua populi Iudęorum captiuatio fuit. quinta à tranſmigratione Babilonis vſque ad Chriſtum, in qua eiuſdem liberatio facta eſt. ſexta à Chriſto vſque ad finem mundi, in qua redemptio humani generis facta eſt. Ab exordio mundi ſecundùm Euſebium Cæſarienſem, & diuũ Hieronymum, vſque ad incarnationem Filij Dei, fuerunt anni 5226. Oroſius tamen in ſuis ſcriptis ad diuum Auguſtinum, habet, quòd ab Adam vſque ad Chriſtum fuerunt anni 5189.

DE EVCHARISTIA.

EVchariſtia vox Græca, Latinè Bona gratia, ſic dicta: quia Chriſtum plenum gratię in ſe cõtinet. Euchareſtia eſt Sacramentum nouæ Legis à Chriſto inſtitutum, in ſua vltima cœna, vt legitur apud omnes ſacros Euangeliſtas, in quo tria cadũt, ſicut in cæteris Sacramentis nouę Paginę, videlicet ſacramentum, res, res & ſacramentum ſimul. In Euchareſtia ſacramentum tantùm, ſunt ſpecies panis &

nis & vini, res tantùm, est vnitas Ecclesiæ cũ Christo, nutrimentumque vitæ spiritualis; res & sacramentum simul, est corpus Christi verum, ibi realiter contentum: quo ad primũ, præcipua figura Sacramenti Eucharestiæ fuit oblatio Melchisedech, Gen. 14 quo ad secũdum, potissima figura eius fuit manna, Exod. 16 quo ad tertium, præcipua figura Sacramenti Eucharistiæ fuit immolatio agni paschalis, Exo. 12. Christus enim contentus in hoc Sacramento agnus dicitur, Ioan. 1.

Materia Sacramenti Eucharistiæ, in quãtum sumitur per modum cibi, est panis triticeus, aqua naturali confectus, non distinguendo, vtrum sit azymus, vel fermentatus: nam circa materiam Eucharistiæ necessarium est, vt panis sit triticeus, conueniens autem, vt sit azymus: quia Christus prima die azymorum instituit hoc Sacramentum, vt habetur Matthæi 26. qua die iussu Dei nihil fermentãtum erat in domibus Iudæorum, Exod. 12. Vnde in pane cõfecto ex aqua artificiali, puta rosacea, neque in pane hordeaceo, neq; in pane ex spelta, neque in pane ex farre, potest confici hoc Sacramentum: in pane tamen siliginis tenet, quia siligo generatur ex tritico seminato in agro sterili: nunquã tamẽ ex tritico nascitur spelta, seu hordeũ, seu far.

Materia huius Sacramenti, in quantum sumitur per modum potus, est vinum vitis aqua permixtũ: in hoc enim liquore Christus confecit, vt habetur Luc. 22. vnde in agresta, in aceto, & in vua, hoc

Sacra-

Sacramentum confici non potest, quod si in musto teneret. Mixtio aquæ in calice, non est de necessitate Sacramenti, sed solùm de necessitate præcepti, ad designandum effectum huius Sacramenti, qui est vnitas, seu incorporatio populi cum Christo, & ratione mysterij: quia hoc Sacramentum est commemoratiuum passionis Christi, ex cuius latere, vt habetur Ioan. 19. exiuit sanguis & aqua.

Forma cõsecrationis panis est ista: Hoc est enim corpus meum, quæ dicitur conueniens ex quo exprimit, quod fit in Sacramento, nempè conuersionem substantiæ panis in substantiam corporis Christi: verùm dictio illa enim non est de substãtia formę, propterea illa omissa, consecratio tenet, licet celebrans eam ex negligentia, vel ex contemptu omittens, peccet mortaliter. Dicitur in forma consecrationis panis, Hoc est, & non dicitur, Hoc fit, quia hæc conuersio sacramentalis nõ est successiua, sed instantanea: nam hæc conuersio in Sacramento, non fit operatione humana, sed virtute diuina, quæ operatur in instanti.

Forma consecrationis vini est ista: Hic est enim calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, mysterium fidei. qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum; Verùm secundum communem opinionem Doctorum, quatuor illa verba, scilicet; calix, æterni, mysterium, & fidei. nõ sunt de substantia formæ consecrationis vini, Græci enim sine his consecrant, & verè conficiunt.

Quinimò

Quinimò secundùm aliquos, inter quos est Caietanus solùm hæc quatuor verba, nempè: Hic est sanguis meus. sunt de substantia formę: quandoquidem illa dicitur perfecta forma Sacramenti, quæ exprimit quod in eo fit: sed quatuor verba recitata exprimunt quod fit in Sacramento, conuersionem scilicet vini in sanguinem Christi: ergo substantia formę consecrationis vini in his verbis consistit: tamen Sacerdos, qui deuiat à forma accepta & approbata vniuersaliter ab Ecclesia, peccat mortaliter.

In Sacramẽto Eucharistiæ, vt docet diuus Thomas 4. sent. & 3. p. suæ Sũmæ, septem pręcipua sunt admiratione digna: Primum, quòd corpus Christi existens in cœlo localiter, incipit esse in altari absq; suimutatione; sed per alterius cõuersionem in ipsum. Secundum, quòd substantia panis, facta conuersione, non remanet: tamen neque corrumpitur, neq; annihilatur, sed conuertitur in Christi corpus. Tertium, quòd substantia panis conuertitur quidẽ in substantiam corporis Christi, non tamen in animam, minus in diuinitatem: quia hæc ibi sunt, non ex vi Sacramenti, sicut est corpus Christi: sed concomitanter. Quartum, quòd multiplicantur hostiæ consecratę, non autem multiplicatur Christi corpus, minus augetur: sed vnum atque idem Christi corpus est in multis hostijs consecratis. Quintum, quòd corpus Christi in hostia consecrata quantumuis parua cum omnibus suis dimensionibus continetur: quia ibi est per modum substantię, cuius nó

est

est occupare locum. Sextum, quòd fracta hostia cõsecrata non frangitur, minus diuiditur Christus: quia ibi est, nõ per modum quantitatis, sed per modum substantiæ, de cuius ratione est indiuisibilitas. Septimum, quòd accidentia in hoc Sacramẽto virtute diuina, sine subiecto existunt, cum omnibus proprietatibus, quæ prius erant substãtię panis: nutriunt enim, corrumpuntur, resoluuntur, &c. meritò igitur Dauid Spiritu sancto afflatus, de hoc Sacramento loquens, psal. 110. dixit: Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.

Effectus præcipui Eucharistiæ sunt tres: primus est collatio gratiæ, Ioan, 6. Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. secundus est prẽseruatio à peccati morte, Ioan 6. Hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex eo manducauerit, non moriatur. tertius effectus Eucharistię est vita ẽterna, Ioan. 6. Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in ẽternum: Alij autem effectus Eucharistiæ minus principales, sunt remissio peccati venialis, remissio peccati mortalis obliti, & remissio pœnæ pro peccatis Actualibus debitę: quia Eucharistia rationem sacrificij etiam habet.

Minister Eucharistiæ est solus Sacerdos legitimè ordinatus: ipsius enim est seruatis seruandis corpus & sanguinem Christi conficere, fidelibusque dispensare, id, quod quilibet Sacerdos, quantũcunque nefarius, etiam schismaticus, hæreticus. excom

muni-

municatus,& degradatus præstare potest:quia character sacerdotalis, super quo potestas conficiendi Sacramentum Eucharistiæ fundatur, est indelebilis:vnde malitia Sacerdotis non tollit characterem, neque potestatem,sed bonitatem:licèt tales sic conficientes,tantumque Sacramentum tractantes seu administrantes,grauiter peccent.

DE EXCOMMVNIcatione.

EXcommunicatio est censura quædã,siue pœna,qua Ecclesia contra rebelles vtitur, quę fundamentum suum habet in veteri Lege, Num. 12.per separationem leprosorum. Iosuæ 6. & Zach. 4. in nouo Testamento, Ioan. 4. & 9.cap. item Matth.18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Hęc pœna ecclesiastica fuit in vsu tempore Apostolorũ:nam legitur 1. ad Timoth. 1. & 1. Corinth. 5. quòd diuus Paulus Blasphemum & fornicarium excommunicauerit.

Excommunicatio communiter ponitur duplex, maior,quæ alio nomine dicitur anathema, & minor. Excommunicatio minor,est separatio à participatione Sacramentorum, & ab electione passiuè.quæ,quantum ad Deum,contrahitur pro quolibet peccato mortali: quantum verò ad Ecclesiam, ipso iure in quinque potissimùm casibus incurritur primò,cùm quis communicat excõmunicato maiori in casibus non concessis, secundò,cùm quis sacri-

ſacrilegium committit, licet quandoque per tale facinus maior incurratur. tertiò, per notoriam fornicationem, maximè in Clerico. quartò, propter ſimoniam, licet iam per eam commiſſam in beneficio, vel ordine maior incurratur. quintò, per ea, quibus ſepultura eccleſiaſtica negatur, puta ſi quis temerè ſemel in anno Sacerdoti peccata non confitetur, & ab hac quilibet Sacerdos expoſitus ad audiendas Confeſſiones, abſoluere poteſt.

Excommunicatio maior, ſiue à iure, ſiue ab homine, eſt excluſio ſeu ſeparatio à participatione Sacramentorum, ab actu electionis actiuè & paſſiuè, & à communione fidelium. Excommunicatio à iure differt in tribus ab excommunicatione, quę dicitur ab homine. primò, quòd excommunicatio à iure etiam latore mortuo durat: excommunicatio verò ab homine mortuo latore, amittit ſuam vim. ſecundò, quòd excommunicatio à iure, tempus futurum tantùm reſpicit: excommunicatio autem ab homine reſpicit etiam præteritum. tertiò, quòd excommunicatio à iure ligat, nulla admonitione præcedente: excommunicato verò ab homine, non valet, niſi præcedat trina, vel vna pro trina munitione.

Excommunicatio vt teneat, & excommunicatum liget, tria debent præcedere, ſcilicet: peccatum mortale, trina monitio, & contumacia, quæ tria accipimus, Matthæi 18. vbi Chriſtus hanc poteſtatē ſuæ Eccleſiæ tradidit. Primum ibi: Si peccauerit in te frater tuus. ſecundum ibi; Corripe illum inter

te & ipsum solum, ecce prima monitio. Adhibe tecum vnum ℣el duos testes, ecce secunda monitio. Dic Ecclesię, ecce tertia monitio, tertium ibi: Si ecclesiam non audierit: nam ℣bi ista accedunt, tunc reus iuxta processum euangelicum venit excommunicandus; Sit tibi, inquit Christus, sicut ethnicus & publicanus.

In quinque, secundùm iura, non licet participare cum excommunicatis. primò, in locutione. secũdò, in diuinis. tertiò, in salutatione. quartò, in exercitio seu habitatione. quintò, in comestione. Quòd cùm huiusce modi participare non liceat, vt inde te deant ad cor, sacrę literę docent, vt 1. Cor. 5. & in secunda epistola D. Ioannis, ibi enim salutatio, habitatio, & sumptio cibi cum excommunicatis interdicitur: Verùm in quinque casibus aliquis potest participare cum excommunicato absque peccato. primò, propter vtilitatem, siue excommunicati, puta ℣t conuertatur, siue participantis, exempli gratia, vt suum exigat secundò, propter necessitatem. tertiò, propter ignorantiam quartò, propter vinculum Matrimonij. quintò, propter subiectionem, vt filij familias cohabitantes parentibus excommunicatis, excusantur à peccato.

Excommunicatio in quinque casibus est nulla. primò, si ferens excommunicationem non habet potestatem, puta si non est iudex excommunicati. secundò, si ferens est excommunicatus publicè, vel ℣iolator interdicti. tertiò, si fertur contra personã priui-

priuilegiatam,quo ad hoc quartò, si fertur post legitimam appellationem.quintò,si sententia continet intolerabilem errorem:est autem intolerabilis error, vt si præcipiatur illicitum, puta furari, vel prohibeatur bonum de se, vt colere Deum, & pauperibus dare eleemosynã,vel si precipiatur impossibile,vel si pronuncietur expresè cõtra ius:in his enim casibus excommunicatio lata nulla est, ex cõsequenti non ligat. Quare omnis excommunicatio vel est iusta, vel iniusta; vel nulla; si iusta, ligat apud Deum & apud homines; si iniusta, ligat apud homines, & non apud Deum; si nulla, neque apud Deum neque apud homines ligat. Quærenti autem, quæ differentia sit inter excommunicationem, quę dicitur nulla, & excommunicationem, quę dicitur iniusta? Respondetur, quòd excommunicatio nulla, non est timenda, hoc est, executioni non est mandanda, neque in publico, neque in occulto: excommunicatio verò, quę dicitur iniusta, est timẽda, hoc est, executioni venit mandanda in publico, licet non in occulto.

DE EXECVTORE.

EXecutor dicitur qui rem iudicatam ducit ad effectum, & est duplex scilicet merus & mixtus. Executor merus dicitur vt quando causa est cognita à Superiore, & simplex ac mera executio ei demandatur: Executor verò mixtus dicitur ille cui aliquid à superiore iniungitur exequendum simpli

citer. Ab Executore mero appellari non potest, nisi sententię modum excederet, sed bene ab executore mixto, qui rationabiles exceptiones admittere debet. In causis Ecclesiasticis merus executor potest esse quilibet Clericus: mixtus verò nō, si commissio fit Authoritate sedis Apostolicæ, tunc executores debent esse in dignitate constituti, vel Canonici Cathedralis Ecclesię.

Executores testamentorum possunt dari ac deputari tam laici, quàm Clerici seculares, etiam religiosi, dummodo illis ex regula, vel Constitutionibus sui Ordinis, non sit prohibitum: serui autem, surdi, muti, prodigi, furiosi & huismodi in Iure nō admittuntur. Si deputenter tres vel quatuor executores testamenti simpliciter, vno mortuo, vel renuente exequi, aut existente in partibus remotis, alij possunt liberè procedere: secus autem si deputentur aliqua limitatione, puta quod vnus sine alio nihil facere possit, tunc seruandum est, quod testator statuit. Deputatus executor à testatore. si non præbuit consensum, potest recusare, neque tenetur acceptare tale munus: In legatis tamen ad pias causas Episcopus potest deputatum executorem testamenti citra acceptationē compellere, quod vt delegatus saltem, mentem testatoris exequatur, & vbi testator certum tempus non statuit, seruandum est tempus à Iure statutum, nempe vt infra sex mēses, debita executio in legatis ad pias causas, sequatur, intellige à die insinuationis testamenti.

Si

Si executor est negligens in legatis ad pias causas, post binam monitionem, executio deuoluitur ad Episcopum, intellige quando executor habet bona in promptu de quibus potest legata implere. & tamen negligit. Ordinariè autem huiusmodi executio non deuoluitur ad Episcopū, nisi post annum à die mortis ipsius testatoris, scientiæ & aditæ hæreditatis Rich. in 4. dist. 45. Quòd si testator reliqt quędam bona ⁊viginti pauperibus, per Parochum ſuum declarandis & nominandis, elapso anno, declaratione non facta, talis facultas non intelligitur propterea deuoluta ad Episcopum: quia prętactū statutum loquitur de executore, & de tali haberet locum, ita vt non posset amplius se intromittere, & non de declaratore sicut in casu nostro, qui nō executoris, sed potius Iudicis partes agit. Quid si testator reliquit executori testamenti aliquid distribuēdum ⁊vbi ei videbitur? respondetur, quòd cum in testamentis semper melior interpretatio fieri debeat, medietas esset danda pauperibus, & medietas pijs locis: sic enim saluti animę ipsius testatoris optimè consuleretur.

Dilatio executionis testamenti in legatis ad pias causas, ptęiudicat animę testatoris, duplici ratione. primò quia si huiusmodi pia legata non implentur orationes & Suffragia pro anima defuncti in specie ad eius alleuiationem, & celeriorem expeditionem à pœnis purgatorij, non fiunt. secundò quia anima in charitate decedens, aliqd tamē pur-

gabile ſecum portans, in hac vita meruit, vt eleæmoſinę ſi pro ipſa dentur, proſint ad alleuiationem & breuiationem pœnę, quod non ſequitur ſi differātur huiuſmodi legata ad pias cauſas impleri. Quare quanto citius implentur, tanto citius anima alleuiatur & liberatur à pœnis: è contra autem quanto tardius implentur, tanto tardius liberatur: vnde patet quod grauiter peccent, qui huiuſmodi pia legata implere differunt, nec carent etiam culpa illi, qui executionem teſtamenti non per modicum tēpus differunt, vt bona carius vendant, & inde largiores eleæmoſinas pro anima defuncti faciant.

DE EXEMPTIS.

Exemptus propriè dicitur qui Iuriſdictoni Ordinarij non ſubeſt: proinde in cauſis exēptorum ſolus Papa, vel Legatus eius de latere cognoſcere poteſt. Vnde eximere eſt Apoſtolicæ ſedis, tam ratione loci, quam ratione perſonæ. Ratione loci puta Monaſterij vel eccleſiæ, quibus exemptis, etiā Monachi, Conuerſi perpetuò oblati, Canonici & Clerici intelliguntur exempti: non autem Curati eiuſdem eccleſiæ, intellige quantum ad ea, q̄ curam animarum cōcernunt, ſic nec ipſi Parochiani ſunt exempti à Iuriſdictione Ordinarij loci, vt habetur in Concilio trid. de reform. ſeſſ. 7. cap. 7. & infra ſeſſ. 21. c. 8. Item ſeſſ. 24. cap. 10. Ratione verò perſonę, & non loci, puta Capellani & familiares Papæ: tales enim nec ratione delicti poſſunt puniri à lo-

à locorum Ordinarijs.

Priuilegium concessum personis respectu certi loci, non extenditur vltra locum: quia tale priuilegium censetur potius reale, quàm personale. Similiter si Canonici alicuius ecclesiæ eximantur, eo casu ipsi soli sunt exempti, & non illorum ecclesia, neque alij Clerici eiusdem ecclesiæ: secus si Clerici in ipso Priuilegio eximantur, tunc exemptio nedum ad Canonicos, sed etiam ad alios omnes Clericos illius ecclesię, se extendit, non autem ad Conuersos, vel oblatos, vel ecclesiam, nisi expresse in Priuilegio exemptionis habeatur.

Exemptio tam locorum quã personarum probatur & cognoscitur vbi in Priuilegijs habentur hęc, vel similia verba. Sententiando vel declarando ecclesiam seu Monasterium tale ad Ius, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere, vel Iuris beati Petri existere, aut ad Romanam ecclesiã specialiter, vel sine medio uel simpliciter pertinere. Aut si dicatur in priuilegio, quòd ecclesia sit libera, vel quod potiatur libertate ecclesiæ Romanę, vel quod Episcopus non audeat illic Cathedrã collocare, seu aliquod imperium vel potestatem exercere. Aut si in Priuilegio Papę legitur, quod eximitur à potestate Episcopi, vel recipiantur in proprios subiectos; per huiusmodi enim verba vel similia exemptio locorum ac personarum probatur & cognoscitur: secus autem si habeatur in Priuilegio quod recipiantur sub defensione, vel pro-

tectione, vel in filios, tunc neque loca neque personæ essent propterea exemptæ à Iurisdictione Ordinarij.

Exemptus notoriè, citatus ab ordinario, non tenetur comparere, & sententia lata tanquàm contra contumacem, non valet, vtpotè quia à non Iudice lata, si verò non constat notoriè quod sit exemptus, eo casu, citatus ab Ordinario, tenetur comparere & allegare Priuilegium, illudque infra terminum competentem ipsi Ordinario in loco, cõgruo & securo exhibere. Pendente autem lite super validitate Priuilegij, quis non potest, neque debet priuari, vel interdici vsu possessionis, aut turbari in possessione, etiam si possessio sit contra Ius, dũmodo ex aliqua probatione, licet non sufficienti, ille iustificet possessionem, ratio est, quia Priuilegium ex se est fauorabile.

DE FESTIS SEV FERIIS.

FEsta, secundùm D. An. 2. par. Suæ Sũmę Tit. 9. cap. 7. dicuntur feriæ, eo quod vacationem ab his, quæ in foro iudiciali agi consueuerũt, præstent, & sunt in triplici differentia, scilicet, repentinæ, temporaneę, & solennes institutæ ab Ecclesia, de quibus

bus cæteris omissis, nunc intendimus: Vnde licet Princeps & Ciuitas etiam possint indicere festa; tamen festa indicta à Magistratu sæculari non obligant subditos ad eorum obseruantiam, sub pœna peccati, sicut obligant festa indicta ab Ecclesia, cuius solius propriè est festa instituere. Quare violatores festi indicti à magistratu sęculari, pœnã corporalem tantùm incurrunt, violatores verò festi indicti ab Ecclesia, pœnam & culpam simul incurrunt.

Festa introducta sunt in honorem Dei: propterea diebus festiuis ꝟacandum est cultui diuino, & abstinendum ab omni opere seruili corporali, ꝟtpotè quod impedit applicationem hominis ad diuina, & factum in die festo, nisi subsit rationabilis causa puta, pietas, aut necessitas, peccatum mortale inducit: Opera autẽ seruilia sunt in duplici differentia, quædam ex genere suo, vt artes mechanicæ, arare, suere, & his similia: quedam verò dicuntur seruilia, in quantum transeunt in communia, vt seruitia Medicorum, aromathariorum, scribarũ, & huiusmodi. Opera seruilia primi generis prohibentur fieri in die festo, sub pœna peccati mortalis, & illis violatur festum: Opera ꝟverò secundi generis sunt licita, neque illis violatur præceptum de sanctificatione festi, audita Missa, & euitato scandalo.

In veteri Lege festa pręcipua, quę iussu Dei celebrantur, erant septem, scilicet, Paschatis, Pentecostes, Zenophegię, Neomenię, Tubarum, Enceniorũ, & Sabbat. festa verò nostra Christiana sunt,

omnes

omnes dies Dominicales, Natiuitatis Christi, Circũcisionis, Epiphanię. Resurrectionis cum duob⁹ diebus sequentibus, Ascensionis, Pentecostes cum duobus diebus sequẽtibus, Corporis Christi, quatuor festa sanctæ Mariæ Purificationis, Annunciationis, Assumptionis & Natiuitatis, festum Ioannis Baptistæ, duodecim Apostolorũ, Stephani & Laurentij Martyrum, omnium Sanctorum, & Inuentionis S. Crucis: in alijs verò festis quilibet debet se conformare consuetudini locorum.

Præceptum de obseruatione Sabbati, duo in se includebat, scilicet vacationem diuini cultus, & taxationem tẽporis: ratione primi, fuit morale, ideò durat: ratione secundi, fui cæremoniale, propterea cessauit, mutatumque est in diem Dominicum, ne videamur iudaizare, quo die mundus sumpsit exordium, Verbum est factum caro, Christus à mortuis resurrexit, & Spiritus sanctus est datus. Quare sicut in veteri Lege Sabbatum celebrabatur in memoriam beneficij creationis: ita nunc in noua Lege celebratur dies Dominicus, in memoriam beneficij Redemptionis & Iustificationis nostræ, quæ ex resurrectione Christi facta die Dominico pendet, Roman. 4. Traditus est propter delicta nostra, resurrexit propter iustificationem nostram.

Circa principium & finem festorum, hoc est, quando incipiunt, & quando terminantur, consuetudini locorum standum est: communiter tamen festa seruantur à vespera vsq; ad vesperam sequentis

tis diei: ~verùm si sit aliqua ars ~vt sutoria, ~vel barbitonsoria, quæ consueuit à media nocte, in aliam mediam noctem celebrare festa, talis consuetudo, secundùm Caietanum, tuta conscientia seruari potest, idem sentire ~videtur Summa Tab.

Violatur festũ, & per consequens peccatur mortaliter in festo tripliciter: primò, omittendo diuina, puta Missam, quæ cadit sub præcepto in die festo. secundò, faciendo opus seruile prohibitum, vt arare, suere, & alia id genus. tertiò, committendo aliquid de prohibitis fieri in diebus festiuis, puta formare processus, dare iuramenta, ferre sententiam mortis, & his similia: Verùm tales quandoque excusantur à mortali, ~vel ratione intentionis, vt quãdo quis non habet voluntatem, & intentionẽ violandi festum, verbi gratia, si seruus cogatur à suo domino laborare in die festo: vel ratione modicitatis operis seruilis, parum enim pro nihilo reputatur: vel ratione pietatis aut necessitatis ~vrgentis, vt quando quis facit opus seruile in die festo, non causa lucri, sed succurrendi gratia miserabilibus personis, aut proprię ~vel proximi necessitati: Excusantur etiam ex consuetudine generali coqui, caupones, nautę, exercentes sua artificia diebus festiuis, audita Missa, &c.

Causæ ergo excusantes opera seruilia corporalia facta in die festo, sunt quatuor. prima, est cultus diuinus, vt portare crucem, pulsare campanas, ornare Ecclesias diebus festiuis, licèt nec inde violetur

tur festum. secunda est pietas, vt quando quis exercet iudicialia pro miserabilibus personis dieb⁹ festiuis, ne perdant diurnum laborem eis necessariũ ad victum. tertia necessitas suiipsius, vel proximi, seu Reipubl. vt quando quis suis manibus laborat pro necessario victu, vel ędificat pontem pro publica vtilitate. quarta est coactio, vt quando quis cogitur à Superioribus etiam diebus festiuis laborare, aut ei graue malum seu damnum imminet: Istæ enim sunt causę excusantes eos, qui opera seruilia corporalia diebus festiuis faciunt à violatione p̃cepti & à peccato.

Festa, quando transferuntur, vt cõtingit in Dominicis Quadragesimę, transferuntur solũ, *quoad* officium, non autem quo ad cessationem ab operibus seruilibus, vt notat D. Ant. in sua Summa: quia Ecclesia statuit festa obseruanda, & sanctificanda esse, illa die qua occurrunt, & per consequens, tunc cadunt sub p̃cepto, & nõ in die trãslationis ipsorũ.

DE FEVDO.

FEudum est concessio rei immobilis facta pro homagio, ita vt dominium penes concedentẽ remaneat. Vnde de natura feudi sunt octo. Primò, vt dominus retineat sibi directum dominium ac proprietatem. secundò, vt vtile dominium transeat in vasallum. tertiò, quòd dominus habeat ciuilem possessionem, & vasallus naturalem. quartò, quod consistat in rebus immobilibus. quintò, quod si vasallus constitutum seruitium domino non prestiterit,

rit, à feudo repellatur. sextò, vt sine ꝝ voluntate Domini feudum alienari non possit: quinimò sine voluntate Domini vasallus feudum impignorare, aut alteri dare non potest. Septimò, quòd in feudo fœmina succedere non potest, nisi fuerit conuentū, quod deficientibus masculis ad fœminas deuoluatur: quia feudum datur propter seruitium, mulier autem seruire non potest ęquè benè vt vir: secus in re Emphiteoitica. octauò, quòd vasallus sine volūtate domini potest dimittere feudum, non autem emphiteota: quia feudum datur ad ꝝ vtilitatem vasalli: emphiteotica verò res traditur, ad vtilitatem domini, id est, ꝝ vt melioretur.

Feudum est multiplex, aliud regale, aliud non regale. Aliud simplex, aliud conditionatum. Aliud paternum, aliud maternum. Aliud reale, quod transit ad hæredem, aliud personale, quod solùm ad ꝝ vitam ꝝ vnius conceditur. Aliud francum, scilicet in seruitijs exhibendis, aliud nō francū. Aliud nobile, quod possessorem nobilitat, aliud burgense, scilicet quod non nobilitat. Aliud est etiam ecclesiasticum, & hoc est triplex. primum quod datur Ecclesiæ. secundum quod recipitur ab eadem. tertium, quod datur vel recipitur à Clerico.

Res immobiles Ecclesiæ de nouo in feudum dari nequeunt: quia Prælati hoc iurant, licet res, quæ prius erant feudales, possint iterum infeudari. putà si vasallus propter aliquam causam, feudum perdidit, eo casu Prælatus poterit alteri concedere. Et

hoc

hoc potest Prælatus etiam sine solennitate, non obstante licentia vel iuramento de non alienando. Quinimò Ecclesia nō valens per se recuperare feudum de manibus potentis, alias de iure deuolutum, potest illud potentiori concedere, vt sic illud recuperet, omni fraude postposita. Dare in feudum potest quilibet, tàm masculus, quàm fœmina; tàm nobilis, quàm rusticus, modò habeat legitimā administrationem suorum bonorum.

Feudum acquiritur quatuor modis. primò per inuestituram, putà cùm dominus tradit alicui possessionem rei immobilis corporaliter. secundò per id, quod habetur loco inuestituræ, vt cùm dominus dicit alicui: Vade in possessionem illius feudi, & teneas pro feudo. tertio prescriptione, vt si quis triginta annis tenuit feudum, & domino seruiuit, licet non fuerit inuestitus. quartò, successione ab intestato: quia ordinatio defuncti facta in feudo non valet.

Feudum amittitur multis de causis. primò, si vasallus fiat Clericus vel religiosus: quia tales non succedunt in feudo. secundò, si hæres vasalli steterit per annum & diem, quod non petierit inuestituram feudi à domino: similiter si vasallus ipse post mortem domini non petierit ab hæredibus eius, quod verum est, nisi vasallus fuerit minor quatuordecim annis, aut iusta causa impedierit. tertiò si vasallus ter requisitus, fidelitatē iurare noluerit. quartò, si vasallus infeudauerit feudum aliter, quàm ipse

habeat

habeat in inueſtitura. quintò, ſi vaſallus interficit germanum domini, vel germani filium, vel ſi in p̄lio dominum non mortuum, nec vulneratū ad mortem reliquit: propter enim has & alias multas ingratitudines, feudum amittitur. Sextò, ſi vaſallus ſcienter negauerit feudum vel partem, ſeu conditionem eius: ſecùs ſi ignoranter. ſeptimò, ſi dominum accuſauerit, aut teſtimonium contra illum in cauſa criminali tulerit: ſecus in cauſa ciuili, ſecundùm aliquos.

Clericus ad ſacros ordines etiã promotus, ſuccedit in feudo, ratione cuius vaſallus tenetur ſolũ præſtare reale ſeruitium vel perſonale, non repugnans Ordini eius: nam per clericatum iura ſucceſſionis non perduntur. Item Clericus ſuccedit in feudo, quando feudum non erat ſibi apertum, putà quia erant tres fratres, & primogenitus feudum poſſidebat, & ipſe exiſtens vltimus effectus eſt Epiſcopus ſiue Canonicus, deinde mortui ſunt alij fratres ſine hęrede, in tali caſu Clericus ſuccedit in feudo: quia dici non poteſt, habuiſſe animum renunciandi, vti tenet Hal. in. l, quisquis, C. de Epiſc. & Cler.

DE FIDE.

FIdes virtus theologica, vt docet D. Paulus ad Hebr. 11. eſt ſubſtantia rerum ſperandārũ, argumentum non apparentium. Ad fidem directè ac principaliter pertinent ſolùm articuli fidei: ſecundariò

cundariò verò & indirectè omnia, quæ sunt in sacra Scriptura & doctrina Ecclesiæ, tanquam prædictorum declaratiua. Articulos fidei quilibet, vbi peruenit ad vsum rationis, scire tenètur explicitè, sub reatu lethalis criminis: alia autem credibilia, sufficit credere implicitè.

Articuli fidei sunt in duplici differentia, quidam ad maiestatem diuinitatis pertinent, & quidam ad mysterium humanitatis Christi. Articuli fidei nostræ, spectantes ad diuinitatem, sunt sex: ratio est, quia de Deo tria nobis credenda proponuntur, scilicet: vnitas essentiæ, trinitas personarum, & opera deitatis propria. modò articulus vel est de Deo ratione naturæ, & sic habemus primum: Credo in vnum Deum. vel est de Deo ratione personæ, & habem⁹ secundum articulum: Patrem omnipotentem, & in Iesum Christum filium eius, & in Spiritum sanctum, vel est de Deo ratione effectus, & tũc, aut pertinet ad esse naturę, & habemus tertium articulum: Creatorẽ cœli, & terrę. aut pertinet ad esse gratiæ, & habemns quartum articulum, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum. aut pertinet ad perfectionem ac nouitatem vitæ, & habemus quintum articulum: Carnis resurrectionem. aut pertinet ad esse glorię, & habemus sextum articulum, Vitam æternam. Similiter articuli spectãtes ad mysterium humanitatis Christi, sunt sex, primus est de eius conceptione & natiuitate, ibi, Conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria

ria Virgine. Secundus est de passione, morte, & eius sepultura, ibi: Passus sub Pontio Pilato, crucfixus, mortuus, & sepultus. tertius de descensu eius ad inferos, ibi: Descēdit ad inferos. quartus de eius resurrectione, ibi: Tertia die resurrexit à mortuis. quintus de ascensione & eius sessione, ibi: Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris. sextus est de aduentu eius ad iudicium, ibi: Inde venturus est iudicare ~viuos & mortuos.

Fides inter virtutes theologicas primum locum tenet, quia est basis & fundamentum aliarum ~virtutum: nam fides potest dari sine spe, & charitate, non tamen è contrà. Fides est necessaria simpliciter homini ad salutem, vt habetur, Hebr. 11. Sine fide impossibile est placere Deo. & Matth. vlt. Qui verò non crediderit, condēnabitur: Quinimò eius confessio est saluti humanæ necessaria, Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: at quoniam confessio fidei spectat ad præceptum affirmatiuum, propterea homo nō obligatur ad eam, nisi pro loco & tēpore, hoc est, quoties debitus honor Deo, vel vtilitas proximo impendenda subtrahitur: quādo verò confessio fidei esset solùm ad perturbationem infidelium, tantum abest, quòd eo casu esset laudabilis, vt potius esset damnabilis, iuxta illud, Matth. 7. Nolite sanctum dare canibus.

Disputare de fide, ~vti dubitans de ea, est peccatum: disputare autem de fide ad consultandos er-

rores, seu ad exercitium, est laudabile. Disputare de fide coràm firmis ac confirmatis in ea, vbi nullum cadit periculum, licitum est: disputare autem de fide coram infirmis, & titubantibus in ea, si tales sũt solicitati ab hęreticis, licet, vt non seducantur, si verò non sunt vexati ab hæreticis, disputare de fide coram eis non expedit. quia sic potius destruitur, quàm ædificetur.

DE FILIIS.

Filiorum octo sunt genera nempe Spurij, Mãseres, Nothi, legitimi tantum, Spirituales & legitimi, spirituales tantum, Naturales & legitimi, & Naturales tantum. Spurij dicũtur & sunt omnes nati ex illicito coitu, excepto Adulterio & simplici fornicatione. Manseres propriè dicuntur nati ex adulterio. Tales in bonis neque Patri, neq; coniũctis per lineam paternam succedunt. Imò secundũ Iura pater huiusmodi filios instituere hęredes non potest, sed bene illis aliquid ratione alimentorum relinquere; quinimo parentes instinctu naturæ tenentur eos alere secundum facultates ipsorum. Nota quod licet spurij & manseres nequeant instirui hęredes à parentibus, nec ipsi suos parentes hæredes instituere valeant: tamen ab extraneis possunt instirui hæredes, & extraneos etiam instituere suos hæredes.

Nothi dicuntur nati de Concubina soluta domi retenta à soluto, qui eam in vxorem ducere pos-

set, &

ſeq, & tales nõ exiſtentibus filijs legitimis, vel nepotibus, ſuccedunt patri: ſecus non, & eo caſu ſi pater nihil illis reliquit, in nullo ſuccedunt, ſed à legitimis debent tantum alimentari. Pater non habẽs filios legitimos, poteſt tales inſtituere heredes de Iure Ciuili, cuius diſpoſitioni in materia hereditatis ſtãdum eſt vbi Ius Canonicum oppoſitum non ſtatuit. Legitimi tantum dicuntur qui ſunt adoptati, vel arrogati in filios: tales dicuntur legitimi tantum, quia non natura, ſed legis inſtitutione atquè beneficio ſunt filij, & iſti ſuccedunt patri legitimo ſimul cum filijs legitimis naturalibus.

Spirituales & legitimi dicũtur ſuſcepti de ſacramento baptiſmi, vel Confirmationis, tales in nihilo ſuccedunt: quia cum ſint ſpirituales ad temporalia ſe non extendunt. Filij ſpirituales tantum ſicut omnes Chriſtiani filij Papę, & omnes de Diœceſi filij Epiſcopi, qui pariter in nihilo ſuccedunt parentibus ſuis. Naturales & legitimi dicuntur qui naturaliter ex legitima parentum coniunctione approbata per leges ſunt generati. tales etiam ab inteſtato ſuccedunt parentibus, omnibus alijs excluſis. Filij naturales tantum per ſequens matrimonium inter patrem & matrem eius efficiuntur legitimi, intellige ſi tempore quo geniti ſunt inter eos matrimonium eſſe potuit, ſecus non.

Parentes tenentur alere filios ſuos, præter quam in quinque Caſibus, vt ſi filius eos accuſauit, vel ſi ipſi parentes egent, vel ſi filius Crimen ingratitu-

dinis contra parentes commisit, puta eos verberã-
do, vel si filius tenet artem, aut habet aliud vnde vi-
uat, vel si subest aliqua causa, ex qua pater filium
exhęredare posset, à fortiori & alimenta denegare.
E contra filij tenentur parentibus ad tria de præ-
cepto. primò eos diligere. vnde à mortali non excu
santur filij, qui nunquam signa amoris suis parenti
bus ostendunt, sed semper durè illis loquuntur. se-
cundò ipsis obedire in his quę ad dispositionẽ rei
familiaris ac bonos mores pertinent, contrafacien-
tes peccant mortaliter. tertiò in necessitatibus filij
tenentur ac debent suis parentibus pro posse subue
nire: secus à mortali non excusantur, ad Colo*ll.* 3.
& Eccl. 3. & 7. capit.

Filij illegitimi etiam apud Ethnicos, honoribus
& dignitatibus indigni iudicabantur, vt inde ho-
mines ab illicita copula retraherẽtur, seq; iustis nu-
ptijs alligarent. Item sacri canones, quibus maxima
cura est sancto matrimonio fauere, illicitaq; puni-
re conubia, illegitimos quosq; à susceptione ordi-
num ecclesiasticorũ repellunt: tales enim absq; dis-
pensatione sedis Apost. sacris ordinib⁹ insigniri nõ
possunt: si tamẽ de facto fuerint ordinati, licet recipiãt characterẽ, ordinis tamẽ executione carẽt. Ve-
rũ hic nota ℣ tales illegitimi ordinati, nõ incurrũt
nouã irregularitatẽ, si ante obtentã dispensationem
celebrãt, vt multi Doctores tenẽt, maximè Nic. Plo
ui⁹ in tract. de irregul. 40. regula. ℣ à Curia seruari
dicitur, Ioan. Bernat. Diaz in sua pract. crim. ca. 14.

DE

DE FVRTO.

FVrtum est acceptio occulta rei alienæ, inuito domino rationabiliter. defectu primę conditionis euulsio, & acceptio spicarũ ab Apostolis, Luc. 6. non fuit furtum. defectu secundę conditionis, expoliatio facta in AEgipto à filijs Israel, non fuit furtum. defectu tertiæ conditionis, si quis suum detentum apud alium accipit, talis non committit furtum. Furtũ est nobis prohibitum lege naturę. Matth. 7. lege scripta, Exod. 20. lege euãgelica, Matth. 19. propterea furtum ex genere suo, est peccatum mortale, 1. Corin. 6. Neque fures, neque auari regnum Dei possidebunt: quandoquẽ tamen propter modicitatẽ rei acceptę, potest esse veniale; quãdoq; nullum est peccatũ, vt si committatur ex necessitate extrema, puta famis, vel nuditatis: quia in tali casu atque tãto periculo illud reduci debet ad ius naturale, quod vult omnia esse communia.

Patiens extremam necessitatem, & non valens sibi aliter subuenire, si accipit rem alienam manifestè vel occultè, vt succurrat tali suæ necessitati, nõ peccat, neque propriè committit furtum: quia eo casu non alienum, sed suũ accipit, & si talis ad pinguiorem fortunam venerit, non tenebitur ad restitutionem, quia non alienum propriè accipit, sed q̃ iure naturæ sibi debebatur, & maximè si res est consumpta. Furti nomine venit omnis illicita vsurpatio rei alienæ: committentes autem furtum, secun-

dùm Canones. non possunt ad sacros ordines prò moueri, & promoti deiiciuntur, & si depositi incorrigibiles fuerint, excommunicantur, & demũ brachio sæculari traduntur.

Furtum & rapina differunt, sicut magis, & minùs commune, furtum in plus se habet, quàm rapina; nam omnis rapina est quidem furtum, non tamen è contrà, & licet vtrumque ex genere suo sit peccatum mortale: tamen rapina est grauius peccatum furto, quia per eam non solùm infertur damnum proximo in bonis externis, sed etiam personæ fit iniuria: quoniam rapina est iniusta & violenta acceptio rei alienæ.

Furtum in homine in Iure ciuili, vbi de eo ciuiliter agitur, si est, manifestum, punitur pœna quadrupli; si est occultum, mulctatur pœna dupli: vbi verò de eo criminaliter agitur, punitur vltimo supplicio, nisi modicitas furti reum excuset; iamque est consuetudo, vt tales malefici suspendantur, quę quidem consuetudo rationabilis est propter necessitatem pacis conseruandæ in Republica, & frequentem incorrigibilitatem huius malitię hominum: si tamen eos pœniteat, possunt recipere Sacramenta, & sepeliri in loco sacro. In Iure canonico furtum commissum à Clerico, nisi tenuitas rei acceptæ excuset, punitur depositione atque carcere: in foro verò conscientiæ, sufficit restituere simplex cum damno.

DE

DE FVTVRIS.

FVtura dupliciter præcognoſci poſſunt, ſicut docet D. Thomas. 22. quæſt. 65. art. 1. vno modo in ſuis cauſis, alio modo in ſe ipſis: Cauſæ autem futurorum ſunt in triplici differentia quędam producentes ſuos effectus ex neceſſitate & huiuſmodi effectus futuri ex cognitione ſuarum cauſarū certitudinaliter pręcognoſci & prænunciari poſſunt, puta eclipſis futura. Quædam producentes ſuos effectus non ex neceſſitate & ſemper, ſed vt in pluribus, & tales effectus futuri opinatiuè, ſeu per quandam coniecturam ex conſideratione aſtrorū præ cognoſci ac prædici poſſunt, ſic Aſtrologi, pluuias, ſiccitatem, infirmitates, & alia id genus præcognoſcere ac prænunciare ſolent, ſed non certitudinaliter. Quædam demum ſunt cauſę, quæ ſe habent ad vtrumlibet, hoc eſt, non magis ad producendum, quàm ad non producendum, ſicut potentię rationabiles ſiue agentia voluntaria, quæ etiā ſecundum Philoſophum ſe habent ad oppoſita, & huiuſmodi effectus ex cognitione Cauſarum pręcognoſci nequeunt, eo quia vt in paucioribus, & contingenter eueniunt, ſed ſolum in ſe ipſis. Quare homines, à fortiori Angeli etiam mali futura primi & ſecundi generis præcognoſcere & prænunciare poſſunt, ſed non futura tertij generis quod eſt proprium Dei, qui ſolus in ſua æternitate videt omnia quæ futura ſunt, ac ſi eſſent preſentia. Iſa. 41.

Annunciate quę ventura ſunt, & ſciemus quia Dij eſtis ⁊vos. Hinc ergo patet quod pręſumentes huiuſmodi futura prędicere (niſi fiat ex reuelatione diuina) grauiter peccent, vtpotè ⁊vſurpantes ſibi quod eſt Dei, & ſimplices decipientes.

Aſtrologia in ſe non eſt mala. neque prohibita, vtpotè vna ex ſeptem Artibus liberalibus, propterea huiuſmodi ſcientias debitè exercentes, prædicendo ea quę cauſantur ex corporibus cæleſtibus vt Eclipſin, ſiccitatem, pluuias, & his ſimilia non credēdo tamen neceſſitatem ineſſe, cum Deꝰ poſſit aliter facere, quam Aſtra indicent, non peccant. Similiter Medici in dandis medicinis in ſecandis venis, & Ruſtici in ſeminando plantando, curſum lunæ & ſtellarum inſpiciendo & obſeruando, non peccant: prędicere autem Caſus fortuitos hominum certitudinaliter, vt aliqui temerè faciunt eſt peccatum, & huiuſmodi ars vti temeraria & diabolica eſt prohibita: ex quo corpora cœleſtia licet inclinent, tamen non neceſſitant: hinc dicitur, ſapiēs dominabitur Aſtris.

Animalia bruta ex impreſſione Cauſarum naturalium, ex quibus eorum fantaſię nouentur, aliqua futura præcognoſcunt ſicut formicę pluuias futuras: proinde ante pluuiam grana reponunt in ſuis foraminibus. Item piſces futuras tempeſtates pręcognoſcunt, hinc ante loca tempeſtuoſa declināt. Idem apparet in multis altjs animalibus, & hoc habent Bruta ex impreſſione Cauſarum naturaliū

ex

ex qnibus eorum fantaſiæ nouentur: homo vero ex conſideratione Aſtrorum licet quædam futura vti ſupra dictum eſt præcognoſcere poſſit: verùm qui per conſiderationem Aſtrorum futura illa prædicere volunt, quę aliàs ſic humanitus ſciri aut præcognoſci nequeunt, tales operibus dæmonis ſe immiſcent, & huiuſmodi diuinatio eſt ſuperſtitioſa & illicita: ſecus autem ſi vtantur conſideratione Aſtrorum ad præcognoſcendum futura, quę ex celeſtibus corporib⁹ cauſantur puta ſiccitates, pluuias, infirmitates, caritatem ſeu abundantiam annonæ, & alia id genus, non tamen credendo neceſſitatem ineſſe, ſed omnia voluntati & diſpoſitioni diuinæ iuxta illud pſal. 134. Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis, ſubeſſe.

DE GABELLIS.

GAbellarum nomine veniunt penſio, cenſus, tributum, vectigal, pedagium, & alia id genus. Penſio eſt pretium vſus rei locabilis. Cenſus eſt quædam penſio, quę de prouentibus ſoluitur. Tributũ eſt cenſus, qui ſoluitur Principi, vel communitati de

ti de proprio solo. Vectigal est actio pro rebus in aliqua terra mutatis, dum scilicet illuc deferuntur, aut inde auferuntur, aut ibi venduntur, & propriè est pro mercibus. Pedagium est precium, quod soluitur à transeuntibus in locis constitutis à Principe pro fabrica seu conseruatione pontium, & nauium, siue pro aptatione viarum.

Super quacunque re census potest imponi ab eo qui habet ius in illa: tamen Ecclesijs ac monasterijs nouos census imponere, aut veteres augere, in Iure omnibus, citra Papam, prohibitum est, etiam Episcopis: tamen ipsi ad vtilitatem, non propriã, sed alterius Ecclesiæ, rationabili causa subsistente, Ecclesijs eis subiectis, pleno iure nouos census imponere possunt, veteresque augere, nisi contrariũ expressè habeatur in Iure, & subditi gabellas iustè impositas soluere tenentur, secus committunt furtũ ac per consequens, tenentur ad restitutionem.

Vt vectigal, pedagia, & his similia iustè imponantur, quatuor requiruntur: primò, vt imponantur ab habente potestatem, secus tales sunt excommunicati in bulla Cœnæ Domini. secundò, vt imponantur propter iustam causam, puta propter vtilitatem, seu necessitatẽ publicam, secus est rapina. tertiò, vt non imponantur personis in Iure exẽptis, vt sunt Clerici. quartò, vt imponantur, quantum necessitas requirit, & facultas subditorum patitur, & non ad explendam ingluuiem luporum viuentiũ ex raptu. Similiter vt huiusmodi gabellæ iustè exi-

gan-

gantur, tria necessariò requiruntur. primò, vt tale onus, si est antiquū, probabiliter credatur esse impositum ab ijs, qui authoritatē habuerūt. secundò, vt tale onus credatur esse impositū ex iusta causa, & debitè, puta propter necessitatē publicā, pro facultate subditorū, & non personis exemptis. tertiò, vt exactores præstent id, propter quod tale onus fuit impositū: quia cessante causa & effect° cessare debet.

DE GVLA.

GVla est appetitus sensitiuus edendi & bibēdi inordinatus: est autem ista inordinatio, dum quis appetit cibū vel potum, non ad necessitatem naturæ, sed ad voluptatem, quod quidē vitium gulæ quinque modis committitur. primò, appetendo comestionem ante tempus. secundò, quærendo cibos delicatiores. tertiò, excedendo in sumptione cibi seu potus in quantitate. quartò, non seruando modum debitum in edendo vel bibendo. quintò, quærendo cibos nimis accuratè præparatos prout faciunt illi, de quibus ad Philip. 3. quorum Deus venter est.

Gula tripliciter potest esse peccatum mortale, primò, quando homo propter delectationem, quā accipit in cibo & potu, paratus est agere contra præcepta Dei, vel Ecclesiæ, vt frangendo votum ab eo emissum, vel ieiunium Ecclesiæ. secundò, quando homo scienter comedit aut bibit in graue nocumētum corporis, secùs si inaduertenter fiat. tertiò,

quando

quando homo ex voluptate comedit, aut bibit vſque ad vomitum, vel vſque ad ebrietatem. quartò, ratione finis, vt ſi homo inordinatè comedat vel bibat ad luxuriandum. quintò, quando quis in alio eſt cauſa prædictorum.

Gula nedum ponitur peccatum mortale, ſed etiã capitale. quia ex ipſa multa alia vitia oriuntur, nẽpè hebetudo mentis, inepta lætitia, ſtultiloquium, ſcurrilitas, & incontinentia, iuxta illud Exechielis 16. Iniquitas Sodomæ, ſuperbia, ſaturitas, & abundantia panis.

DE HAEREDITATE

HAEreditas ordinariè ſpectat ad cõſanguineos & proximiores, quorum tres ſunt gradus ſiue lineæ. prima eſt aſcẽdétium. ſecunda deſcendẽtium. tertia collateraliũ Hęreditas. ergo in laicis ex inteſtato ſe cũdũ ius cõmune primò pertinet ad legitimos deſcẽdẽtes ſi ſunt, õnibꝰ alijs excluſis, & ſi reperiũtur multi primi gradus, æqualiter ſuccedunt in bonis: ſi verò ſunt nepotes, aut vlteriotis gradus, eo caſu non ſuccedunt in æquis partibus: ſed in ea parte quam pater eorum, ſi viueret, habuiſſet; nec diſtinguitur, an ſint maſculi, vel fœminæ; an ſint naturales legitimi, vel adoptiui, non emancipati.

cipati. secundò, si non dantur descendentes legitimi, tunc succedunt in hereditate fratres, siue sorores eorum. tertio, si non sunt filij, neque fratres, neque sorores tunc succedunt ascendentes, puta pater, auus, abauus, fratres & sorores eorũ ex vtroque parente, salua semper prerogatiua gradus: quia scilicet pater præfertur auo, auus præfertur abauo. quartò, si non dantur descendentes legitimi, neque ascendentes, neque fratres & sorores, tunc succedunt filij fratrum & sororum præmortui, & sic deinceps, vsque ad decimum gradum: quia vltra vix habetur memoria de agnatione. quintò, filij naturales tantum, siue spurij, si sunt ex eadem matre, vnus succedit alteri ab intestato; si verò sunt ex eodem patre, & non ex eadem matre, non succedũt inuicem. Sextò, deficientibus descendentibus, ascendentibus, & collateralibus, tunc vir succedit vxori, & vxor succedit viro. vltimò, prædictis omnibus deficientibus, succedit fiscus, hoc est, camera principis.

Clerico morienti ab intestato, in bonis proprijs de quibus ipse dum viueret, liberè disponere poterat, succedunt cognati, quos si non habet, succedat Ecclesia, vel altare, cui inseruiebat tempore mortis, in bonis autem Ecclesię, de quibus Clerici liberè disponere nequeunt, succedit Ecclesia. Qui modo sint casus, in quib⁹, secũdũ iura, hæredes excludãt ab hæreditate, & in qb⁹ potest pater filios suos exhæredare, habitũ est suprà, in titulo de filijs f. 194.

In

In Iure duodecim genera personarum, non possunt institui hæredes. primò, hæretici. secundò, eorum defensores & receptatores, tertiò, apostatæ, quartò, damnati ob crimen famosum. quintò, insecutores Cardinalium. sextò, excommunicati tempore institutionis. septimò, spurij nati ex coitu damnato, puta ex incestu, ex adulterio, vel ex scorto. octauò, incestuosi cum moniali, nonò, qui commiserunt crimen læsæ maiestatis. decimò simoniaci. Vndecimò, qui nec in proprio, nec in communi possunt aliquid habere, vt fratres minores. duodecimò, collegium illicitum.

Hæres non tenetur pro delicto commisso *à defuncto*, nisi in crimine hæresis & in *crimine* læsæ maiestatis: pro his enim hęres accusatur, agiturq; contra illum, non vt puniatur ex illo delicto, sed vt bona auferantur ab eo, quæ aliàs ob huiusmodi crimina ipso iure sunt confiscata. Hæres tenetur soluere legata, & piam mentem defuncti adimplere in foro conscientię, vbi ei de mente defuncti cōstat, non obstante quacunque solennitate testamēti omissa: ita tamen vt prius creditoribus, quàm legatarijs satisfiat, secus creditores saluum atque integrum ius contra legatarios habent. Hæres tenetur ad vota testatoris realia, puta dare, seu exponere tātum pro Ecclesijs, vel pauperibus: nō autē tenetur ad vota testatoris personalia, puta ieiunare, peregrinari & continere. Quod si votū sit mixtum, hoc est, reale, & personale simul, puta ire ad sanctā

Mariam

Mariam Lauretanam, & offerre ornatum, eo casu hęres tenetur ad ornatum, non tamen ad peregrinationem, nisi se ad hoc obligasset.

DE HAERESI.

HAEresis est error intellectus, in his quæ sunt fidei, cum pertinacia: vnde ad hoc, vt aliquis errans circa fidē, propriè sit hæreticus, quinque requiruntur. primò, error in ratione, & talis sequatur opiniones falsas. secundò, quòd error sit circa ea, quæ sunt fidei, vt circa sacram Scripturā, articulos Fidei, aut doctrinam vniuersalis Ecclesiæ. tertiò, quòd error sit in eo, qui catholicam Fidem semel sit professus, secus talis non dicetur hæreticus, sed infidelis, vt Iudæus, siue Paganus. quartò, quòd talis aliquam veritatem de fide Christi fateatur, siue quo ad humanitatem, siue quo ad eius diuinitatem, aliàs non hęreticus, sed apostata propriè dicetur. quintò requiritur, vt talis, errorem, quem habet circa fidem, pertinaciter sequatur: vnde errās ex ignorātia, & parat⁹ corigi, nō est propriè hęretic⁹.

Pœna hæreticorum, secundùm Iura, est multiplex. primò, tales ipso facto sunt excommunicati, ita vt cum illis participare præterquàm inspectantibus ad eorum salutem, absque peccato non liceat. secundò, talium ipso iure bona sunt confiscata, licet executio confiscationis, seu bonorum occupatio fieri non debeat ante sententiam latam per personam ecclesiasticam. tertiò, tales siue sint laici, siue sint clerici,

clerici, indistinctè debent deponi ab omni dignitate, & descendentes ab hæreticis per paternam lineam vsque ad secundum gradum: per maternam verò vsque ad primum tantùm, nullum beneficium ecclesiasticum, neque officium publicum adipisci possunt, nisi parentes emendati decesserint. quartò, tales appellare non possunt, similiter eorum receptatores, defensores, ac fautores. quintò, contra tales ad testimonium ferendum, etiam excommunicati, & socij criminis admittuntur. sextò, tales hæredes instituì nequeunt. septimò, eorum vasalli absoluti sunt ipso iure à debito fidelitatis omnisque obsequj. octauò, tales in vita sunt priuati omnibus Sacramentis, & in morte sepultura ecclesiastica. nonò, tales non possunt promoueri ad sacros ordines, etsi redierint ad Ecclesiam, nisi prius cum illis dispensetur. Decimò, cum huiusmodi mulieres sciéter cótrahentes, ipso facto perdunt dotem, secus autem, si ignoranter. Vndecimò tales, vbi sunt obstinati, vel relapsi, mortì traduntur, & de consuetudine cõburuntur, iuxta Christi mandatum in parabola, Matth. 13. Colligite, inquit, primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum.

DE HOMICIDIO.

HOmicidium propriè acceptum, vt docet D. Thom. 1. 2. quæst. 100. artic. 8. ad 3. est occisio hominis ab homine iniusta, & committitur sex modis, scilicet: facto, consilio, defensione, permissione, &

ne,& cooperatione.Homicidium, authoritate priuata commissum,nobis est prohibitum legę naturę, Matth. 7. quæ singulis dictat: Omnia quęcunque vultis,vt faciant vobis homines,& vos facite illis. Lege scripta, Genes. 9. & Exod. 20. Non occides. Lege euangelica,Matth. 5.vbi Christus non solùm occisionem hominis prohibet:sed etiam animi cõmotionem,quæ est radix homicidij,vnde homicidium ex genere suo,peccatum mortale est, 1. Ioan. 3. Omnis homicida non habet partem in regno Christi & Dei : Homicidium verò commissum authoritate publica.seruato ordine Iuris, non est prohibitum,sed potius præceptum, Exod. 23. Maleficos non patieris viuere super terram:vnde iudices, & milites occidentes homines in bello iusto, non peccant.

Homicidium authoritate priuata commissum, duplex est,voluntarium,quod semper est peccatũ, & casuale,quod fit præter intentionem ac voluntatem occidentis,& hoc ponitur duplex,vnum,quod neque in se,neque in sua causa est volitum, & hoc nullo modo imputatur ad peccatum,neque inducit irregularitatem: alterum est, quod licet, in se non si volitum,tamen in sua causa quodammodò est volitum, & hoc est peccatum, & inducit irregularitatem. Vt autem hęc doctrina faciliùs intelligatur, tres conclusiones pono, quarum prima est ista : Qui dat operam rei licitæ, & adhibet

debitam diligentiam, non tenetur de casu fortuito inde sequente. Secunda conclusio: Qui dat operã rei licitæ, non adhibita tamen debita diligentia, tenetur de casu fortuito sequente. Tertia conclusio Qui dat operam rei illicitæ, etiamsi omnem diligẽtiam possibilem adhibuerit, tenetur de omni casu fortuito inde sequente.

Medici, sub quorum cura infirmi moriuntur, neque peccant, neque fiunt irregulares, vbi quatuor simul concurrunt primò, quòd eis tale munus exercere non sit prohibitum, sicut clericis & religiosis, in iure chirurgia prohibetur. secundò, quòd tales sint periti in illa arte, siue medicinæ, siue chirurgię. tertiò, ꝙ omnem diligentiam secundùm artem adhibuerint. quartò, quòd ægrotum de his, quæ sunt contraria ægritudini, informauerint, secus medici in sua arte peccant.

DE HONORE.

HOnor, vt docet Philosophus, 4 Ethic. est testimonium seu prẽmium virtutis. quę est in homine, qui dupliciter honorari potest, vel propter virtutem propriam, vel propter virtutem alienam. primo modo soli virtuosi à nobis honorandi veniunt: secundo verò modo Principes, Prælati, parentes, senes diuites, etiam si sint mali: Principes & Prælati, quia gerunt personam Dei; parentes, propter participationem diuinę conditionis; senes, qa sunt signum virtutis, Sap. 4. Cani sunt sensus hominis;

nis; diuites, nõ propter diuitias; sed quia tales gradum eminentiorem in Republica obtinent. Diuitẽ honorare, & præferre pauperi, quo ad exteriorem conuictum, est licitum, quoniam tales in terrena Republica statum altiorem habent: quò verò ad fidem Christi, puta in administratione Sacramentorum, diuitem præferre pauperi, est peccatũ; sic enim acceptio personarum committitur, nisi alia ex istis causis accedat, vt deuotio, necessitas, honor Dei, siue dispositio: nam in tali casu præferre diuitem pauperi in administratione Sacramentorũ, non est peccatum, quia sic non respicitur ad personam, sed ad causam, sicut facit summus Pontifex, quando dispensat in gradibus prohibitis cum principibus, & non cum pauperibus.

Honor licitè à nobis appeti potest, vbi duo simul concurrunt. Primò, quòd homo virtutem, quam habet, propter quam debetur ei honor, recognoscat, quòd non à se, sed à Deo habet. Secundò, quòd homo recognoscat virtutem ea ratione habere à Deo, non vt in se quodammodò sepulta maneat, sed vt alijs prosit. Verùm in appetitu honoris, tripliciter potest esse peccatum. primò, si appetatur honor de virtute, quæ non habetur. secundò, si appetatur honor de virtute habita, non referendo illum in Deum: sed potius in seipsum. tertiò, si appetatur honor, vt maneat in se, & alijs non prosit: his enim tribus modis appetere honorem, peccatum est.

Appetitus honoris inordinatus quandoque est peccatum mortale,& quandoque veniale, sicut ambitio; vel ratione finis, vt quando quis est paratus peccare mortaliter, gratia consequendi honorem & gloriam mundanam; vel ratione rei appetitę, vt si quis appetat beneficium, & sciat se esse indignũ ad illud: in his duobus casibus appetitus honoris inordinatus est peccatum mortale, secus semper est veniale peccatum.

DE HORIS CANONICIS.

HOræ canonicę, seu officia diuina certis horis diei naturalis Deo soluenda à personis ecclesiasticis, sunt septem, videlicet: Matutinum, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, Completorium, iuxta ritum Dauidis, de quo Psal. 118. Septies in die laudem dixi tibi: officium autem beatæ Virginis & defunctorum, in Iure non computantur inter horas canonicas, propterea ad illa Clerici tàm seculares quàm regulares non tenentur, nisi pro consuedine suarum Ecclesiarum.

Horæ canonicæ sunt septem, non plures, neque pauciores: quia sunt institutæ præcipuè ad laudandum Deum pro beneficijs, inter quę est opus creationis, quę septima die fuit absoluta, beneficium redemptionis, quę quodammodò septem horis fuit perfecta, & beneficium dationis Spiritus sancti, cuius septem sunt dona. Quare meritò Ecclesia horas canonicas sub numero septennario concluſit.

Ad

Ad horas canonicas perſoluendas, ſecundū omnes Doctores, tenentur Clerici beneficiati, omnes conſtituti in ſacris, & religioſi profeſſi religionis approbatæ. Clerici beneficiati, ſiue ſint in ſacris, ſiue in minoribus conſtituti, tenentur ad horas canonicas: quia qui recipit bona temporalia alicuius, tenetur ad ſpiritualia. Clerici in ſacris, etiam ſi nullū beneficium habeant, ſecundùm communem opinionem, tenentur ad horas canonicas: quia tales videntur eſſe aſſumpti ſpecialiter ad laudem diuinā: Religioſi profeſſi, etſi non ſint in ſacris, tenentur ad horas canonicas: quia ex eo, quòd monaſterium illis tenetur, poteſt dici, quòd habeant beneficium ſimplex: habentes autem ſolùm primam tonſuram, item exiſtentes in minoribus, & nouitij in religione, non tenentur ad horas canonicas, neque autēticum eſt, quod apud aliquos legitur, nempè quòd prima tonſura obliget ſub pœna peccati mortalis, ad ſeptem Pſalmos pœnitentiales, neque quòd minores ordines obligent ad officium beatę Virginis licet tales, ex quo aſcribuntur cultui diuino, & gaudēt priuilegio clericali, ad aliqd pl⁹ teneātur q̄ laici.

Modus, ſiue ritus recitandi horas canonicas, quo ad Clericos ſeculares, ordinariè ſumēdus eſt ab Eccleſia Romana, vel à Metropolitana: quo verò ad regulares, in hoc attendenda eſt eorum Regula, ſeu Conſtitutiones: verùm qui eſt ordinatus ad ſuum patrimonium, poterit dicere Officiū, quod voluerit, dummodò illud ſit ab Eccleſia approbatum.

Si quis dimisit Officium, non est ei iniungendū, vt illud de nouo repetat: quia in Officio ratio temporum & locorum habenda est, vnde si quis diceret tempore paschali Officium, de hebdomada sancta esset absurdum: sed aliæ laudes sunt iniungendæ, secundùm quantitatem delicti, licet ista commutatio, siue pœnitentia sit arbitraria. peneſque Vicarium Christi. Si quis prætermisit aliqua verba, vel non interfuit Officio in principio, seu in fine, ex causa legitima, non est opus, vt à capite reincipiat: potest tamen aliquid post Officium propter hoc supplere. Item si quis omissa vna hora dicat sequentem, non est opus, vt iterum eam repetat, sed sufficit supplere quod omissum est.

Qui tenentur ad horas canonicas, & illas omittunt, nisi subsit rationabilis causa, puta infirmitas, obliuio, occupatio propter maius bonum, peccant mortaliter: quia faciunt contra præceptum Ecclesiæ, fundatum super præcepto diuino: verùm si qs omittit omnes septem horas vnius diei. non septem peccata mortalia, sed vnum tantùm cōmittit: quia totum Officium vnius diei, cadit sub vno præcepto licet grauius peccet, qui plus de Officio omittit.

Tempus dicendi Officium diuinū est totus dies naturalis, à Vespera scilicet præcedentis diei, vsq; ad mediam noctem sequentis diei, ita tamen q̄ solæ Matutinæ in Vespera p̄cedentis diei dici licitè possint: reliq̄ verò horæ sequēti die, à manè vsq; ad meridiā noct. sic vt p̄cepto Ec. satisfiat, dici licitè possūt.

DE

DE IDOLOLATRIA.

IDololatria, ſpecies ſuperſtitionis, eſt quędam proteſtatio infidelitatis per exteriorem cultum, ſiue eſt indebitus cultus exterior creaturæ exhibitꝰ, qui ſoli Deo debetur, latriæ ſcilicet. Idololatria dupliciter committitur, vno modo exhibendo diuinum cultum imaginibus, alio modo exhibẽdo diuinum cultum immediatè ipſis creaturis, Vtranque ſpeciem idololatrię accipimus ex D. Paulo ad Rom. 1. Mutauerunt, inquit, gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis hominis, & volucrum, & quadrupedum; ecce prima ſpecies. deinde ſequitur: Coluerunt & ſeruierunt potius creaturæ, quã creatori; ecce ſecunda ſpecies idololatriæ homini prohibita.

Idololatria omnibus prohibetur in veteri lege, Deut. 17. Vadant & ſeruiant dijs alienis, & adorent eos, Solem & Lunam, & omnem militiã cœli, quę non præcepi. Eſa. 2. Proiecisti populum tuum domus Iacob, quia repleti ſunt vt olim, & augures habuerunt, vt Philiſtiin, & repleta eſt terra eius idolis. In noua lege, Matth. 4. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Act. 17. item 1. Cor. 10. & Apoc. 22. Cecidi vt adorarem ante pe-

des Angeli, qui dixit mihi: Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum, Deum adora.

Idololatria est omnium peccatorum grauissimũ quia est immediatè contra Deum: nam idololatra ponit alium Deum, & quantum in se est, principatum veri Dei minuit, verùm ex parte peccantis, hæresis potest esse grauius peccatum idololatria, vt si hæreticus scienter peccet, & idololatra ignorãter: vnde si attendatur grauitas peccati ex parte ipsius peccati, idololatria est omnium grauissimum: si verò grauitas peccati attendatur ex parte ipsius peccantis, potest dari peccatum grauius idololatria.

DE IEIVNIO.

IEiunium in sacris literis duplex est, spirituale & corporale. Ieiunium spirituale est abstinentia à vitijs, de quo Esa. 58. Ieiunium corporale est abstinentia ab escis, siue est afflictio carnis per subtractionem cibi & potus, contra concupiscentiam carnalem, & ad deletionem culparum institutum. Ieiunium corporale duplex est, naturæ & Ecclesiæ. Ieiunium naturæ est carentia cibi & potus simpliciter, incipiendo à media nocte, & hoc ieiunium requiritur in celebrante atq; in communicante, citra casum necessitatis: ieiunium autem Ecclesiæ, quod est indictum certis temporibus ac diebus, duo in se includit, abstinentiam à quibusdam cibis & parsimoniam: vnde ieiunium naturę differt à ieiunio Ecclesiæ potissimum in duobus: primò in hoc, ꝙ ieiu-

nium

nium naturę soluitur per potum, secùs autem de ieiunio Ecclesię. secundò, quòd ieiunium naturæ per comestionem seu potationem factam, post mediam noctem soluitur: ieiunium autem Ecclesię per hoc non soluitur.

Ieiunium corporale, de quo nunc intendimus, initium suum accepit in Paradyso terrestri, Genes. 2. De ligno boni, & mali ne comedas; quod hoc ieiunium sit Deo gratum, sacrę literæ testantur, Daniel. 10. Ioel. 2. Matth. 4. & 2. Corinth. 6. In omnibus, inquit Apostolus, exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in vigilijs & icinnijs. Verùm ad perfectionē ieiunij corporalis Ecclesiæ, tria requiruntur, scilicet vnica comestio, abstinentia regulariter ab esu carnium, & competens hora. Primò ad ieiunium vnica comestio requiritur: tamen si quid moderatè per modum medicinæ, vel ad sustentationem naturę, & non ad delicias, siue ante prandium, siue post sumatur, ieiunium Ecclesiæ non soluitur. Secundò, ad ieiunium requiritur abstinentia à quibusdam cibis: nam in ieiunio quadragesimali, quod est omnium celeberrimum, generaliter abstinendum est à tribus, à carnibus, ab ouis, & à lacticinijs: in alijs verò ieiunijs generaliter à carnibus est abstinendum, quò ad alia, standum est consuetudini prouinciæ, quę venit seruanda. Tertiò, ad perfectionem ieiunij requiritur hora competens, quæ est, secundùm Doctores, hora nona, hoc est, meridies, &

merito

meritò, quia ieiunantes, affligentes propriam carnem, conformant se Christi passioni, quæ hora nona fuit completa: tamen si quis sumat prandiũ post sextam, nõ propterea soluitur ieiunium, quia de ratione ieiunij, licet sint tria, abstinentia, vnica comestio, & hora, attamen hora non est tantę necessitatis, sicut reliqua duo, maximè quòd nõ est aliquis textus expressus de hora prandendi diebus ieiunij indicti ab Ecclesia, sicut est textus expressus de vnica comestione, & de abstinentia à certis cibis.

Ieiunium corporale, quod in se includit parsimoniam & abstinentiam quorundam ciborum, cadit sub præcepto Ecclesiæ certis tẽporibus ac *diebus* anni, nempè à die cinerum vsque ad Sabbathũ sanctum inclusiuè, exceptis diebus dominicis, in quatuor angarijs seu temporibus anni, & in omnibus vigilijs, videlicet; Natalis Domini, Matthiæ Apostoli, Pentecostes, Ioannis Baptistę, Apostolorũ Petri & Pauli, Iacobi Apostoli, Laurentij, Assumptionis beatæ Virginis, Bartholomei Apostoli, Simonis & Iudæ, Omnium Sanctorum, Andreæ, & Thomæ Apostolorum: vnde qui sine rationabili causa prædictis diebus ieiunium non seruat, peccat mortaliter, non quidem quoties comedit in die, tot ies lethaliter peccat, sed semel tantùm: verùm in Quadragesima homo tenetur omni die ieiunare, propterea quot dies omittit, nisi subsit rationabilis causa, tot peccata mortalia talis committit.

Ad ieiunium Ecclesiæ tenentur omnes, qui sunt sanæ

ſanæ mentis,doli capaces,& potentes ad illud, etiã iuſti,ſi non ad deletionem culpæ,ſaltem ad conuerſationem iuſtitiæ,qua quilibet in hac ~vita mortali indiget: Ab hoc tamen vinculo ieiunij aliquot genera perſonarum cõmuniter excipiuntur. primò infirmi.ſecundò pauperes mendici,qui hora debita, cibum ad ſufficientiam, pro ſuſtentatione naturæ non inueniunt.tertiò,mulieres prægnantes & lactantes.quartò,peregrini,concionatores,cantores in Eccleſia,& operarij,~vbi tales cum ieiunio ſua munera competẽter ſubire & perficere nequeũt.quintò,pueri propter incrementum, ~vſque ad finẽ tertij ſeptennij.ſextò, ſenes,in quibus calor ac ~virtus debilis eſt:nomine autem ſenum communiter ~veniunt ſeptuagenarij.iſti enim, ſi nõ ieiunant,excuſantur à peccato mortali.

DE IGNORANTIA.

IGnorantia communiter triplex ponitur, ſcilicet:negationis,priuationis,& prauæ diſpoſitionis. Ignorantia negationis cadit in his,qui neque ſciunt, neque ſcire poſſunt,vt ſunt pueri,Ignorantia priuationis cadit in his,qui poſſunt ſcire, tamen negligunt. Ignorantia prauę diſpoſitionis cadit in his,qui aliter ſciunt,quàm deberent, talis cadit in hæreticis: Verùm ignorantia priuationis, quæ prò priè dicitur ignorantia, duplex eſt, iuris & facti. Ignorantia iuris eſt,exempli gratia,vt ſi quis ignoret facientem ſacrum,& abſoluentem à peccatis, de

bere

bere esse Sacerdotem, vel furtum esse peccatũ: Ignorãtia verò facti est, vt si quis ignoret Petrum faciẽtem sacrum, & absoluentem à peccatis, non esse Sacerdotem. Ignorantia Iuris, si est naturæ, vel diuini, non excusat à peccato, si est humani, vt ciuilis, vel canonici, potest in aliquo casu excusare, nedum à culpa, sed etiã à pœna: ignorãtia verò facti excusat maximè idiotas à culpa, licet quãdoq; nõ à pœna.

Ignorãtia ex parte ignorantis, duplex est, inuincibilis, quę humano studio superari non potest, talis est in pueris & amentibus; altera est vincibilis, quæ humano studio est superabilis, tamen ex mera negligentia homo nescit, quæ necessariò veniunt sciẽda. Ignorantia primo modo dicta, non est peccatũ: quia talis ignorantia neque est voluntaria, neque imputatur ad negligentiam: ignorantia autem secundo modo dicta, quandoque est peccatum, & quandoque non; est peccatum, si est eorum, quæ saluti humanę sunt necessaria; non est peccatum, si est eorum, quæ homo pro æterna salute consequenda scire nõ tenetur. Quare ignorãtia omninò inuolũtaria, ex toto excusat à peccato; ignorãtia volũtaria p se nõ excusat, neq; minuit peccatũ: ignorantia inuoluntaria per se, voluntaria tamen per accidens non excusat à peccato, sed peccatum minuit.

DE IMMVNITATE.

IMmunitas, seu libertas, siue exemptio Ecclesię, tria potissimùm respicit, scilicet: loca, personas, & res.

& res. Loca, quæ gaudent immunitate ecclesiastica, sunt ista: Ecclesia, siue sit consecrata, siue non, cœmiterium, hospitale. dummodò hæc sint fundata authoritate Episcopi, & pallatium episcopale. Immunitas localis, quantum ad Ecclesiam & cœmiteriũ, ad multa se extendit. primò, in eis non debent fieri negotiationes, neque processus, neque sententiæ, maximè à iudice seculari, secus sunt nullæ. secundò, in eis suppellectilia non debent poni, minùs ibi cõuiuari. tertiò, in eis nulla debet fieri violentia: tamẽ quatuor genera personarum confugientium ad p̃dicta loca, non sunt tuta, vt latrones publici, depopulatores agrorum, qui noctu agros depopulantur, & vastant, sacrilegi, vt qui enorme quid in cœmiterio, vel Ecclesia comiserunt, raptores virginum, & secundùm Petrum de Ancona, adulteri, & homicidę. quartò, huiusmodi loca non possunt conuerti in vsum secularium. quintò, in eis non debent fieri ludi & prophanæ comœdiæ, secus de honestis ducentibus hominem ad deuotionem.

Immunitas personalis ad quinque pręcipuè se extendit. primò, quòd percutiens Clericum, est excommunicatus. secundò, quòd Clericus non potest conueniri coram laico. tertiò, quòd Clericus non potest fatigari seruitutibus personarum aut rerum. quartò, quòd Clericus vnà cum sua familia est exẽptus ab omnibus officijs sordidis, siue turpibus, quę quandoque toti communitati imponuntur, vt mũdare cloacas, fodere arenam, coquere calcem

&

& alia id genus. Quintò, Clericus est exemptus à custodia ciuitatis, & à profectione ad bellum.

Immunitas ecclesiastica quantum ad res, ad multa se extendit. primò, quòd quilibet potest regulariter res suas relinquere Ecclesiæ, etiam donare inter viuos, secundùm quantamcunque summam sine insinuatione. secundò, quòd dominium rei sola ac nuda promissione, transfertur ad Ecclesiam: in alijs verò traditio est necessaria, vt dominium rei intelligatur translatum. tertiò, quòd res Ecclesiæ sunt exemptè à statutis laicorum. quartò, quòd Ecclesijs, & earum rebus exactiones, seu census imponi non possunt. quintò, quòd res Ecclesiæ sine certa ac determinata solennitate alienari nequeunt, & illam accipis in titulo de Alienatione, fol. 25. sextò, quòd res Ecclesiæ sunt exemptæ à iudicio seculari. septimò, quòd lædentes res Ecclesiæ, sunt sacrilegi, octauò, quòd relicta Ecclesiæ in testamento minus solenni, valent. nonò, quòd res Ecclesiæ pro alienis debitis obligari non possunt. decimò, quòd res Ecclesiæ in vsum secularium conuerti nequeunt.

DE IMPEDIMENTO.

IMpedimẽta, quibus personæ redduntur illegitimæ, ad contrahendum inter se Matrimonium triplici lege constituuntur, scilicet: naturæ, diuina, & ciuili: ratio est, quia & ipsum Matrimoniũ ex qualibet dictarum legum statuitur; lege naturæ, in quãtum est in officium naturæ; lege diuina, in quantum

est

est Sacramenti ; lege ciuili, in quantum est in officium communitatis . Impedimenta ergo Matrimonij sunt in duplici differentia, quædam quæ impediunt Matrimonium contrahendum, & non dirimunt contractum: quędam verò, quę impediunt contrahendum, & dirimunt contractum, intellige contractum de facto, sed non de iure: nam Matrimonium ritè contractum, per nullum sequens impedimentum soluitur.

Impedimenta primi generis, quibus non obstantibus, Matrimonium contractum tenet, communiter ponuntur sex. primum dicitur interdictum, hoc est, ferię ab Aduentu vsque in diem Epiphanie, & à die Cinerum vsque ad octauam Paschatis, vt habetur in Concil. Trident. sess 24 de refor Matr. cap. 10. secundum, sunt sponsalia legitimè celebrata, tertium est catechismus, qui parit aliquam affinitatem spiritualem inter catechizantem & catechizatum, vt habetur 1 Cor. 4. In Christo Iesu per Euangeliũ ego vos genui. quartum, est votum simplex castitatis. quintum, est crimen, puta incestus, vxoricidium, raptus alienę sponsę, & susceptio propri filj de sacro fonte scienter. Sextum, intersectio Sacerdotis. Qui enim est innodatus aliquo istorum impedimẽtorum, non est habilis. secũdùm Iura, nisi prius secum dispensetur ad cõtrahendum Matrimonium, si tamen sic contrahit. Matrimonium tenet, sed peccat mortaliter.

Impedimenta secundi generis, que impediunt

&

& dirimunt Matrimonium contr[illegible]um de facto, licet non de iure, communiter po[illegible]ntur quatuordecim. primum, est error personæ, non fortunę, seu qualitatis, vt si quis putat contrahere cum Vrsula, & contrahit cum Barbara: nam eo casu deest consensus, qui est de essentia Matrimonij. secùs si putat contrahere cum diuite, & contrahat cum paupere, secundum, est conditio, non quæcunque, sed seruilis, vt si quis putat contrahere cum libera, & contrahat cum serua: nam eo casu potestas proprij corporis, quę est de substantia Matrimonij deest. tertium, est votum solenne continentię, quo quis priuatur potestate proprij corporis. quartum, est ordo sacer, cui votum continentiæ est annexum. *quintũ*, est cognatio consanguinitatis, cuius duplex est linea, vna ascendentium, & descendentium, in qua est perpetua prohibitio. Genes. 2. quia tales se habẽt vt parentes & filij: Altera transuersalium, in qua, secundùm Iura, modò est prohibitio vsque ad quartum gradum inclusiuè. sextum, est cognatio spiritualis, quæ ex duobus Sacramentis oritur, nempè ex Baptismo & Confirmatione, verùm talis cognatio, inter quas personas impediat & dirimat Matrimonium contractum, vbi præcedit, habetur suprà in titulis de Baptismo & Confirmatione, fol. 46. & 101 septimum, est cognatio legalis, quę ex adoptione prouenit, hęc inter quas personas impediat & dirimat Matrimonium, suprà in titulo de Adoptione, fol. 118. dictum est. octauum, est vxoricidium commissum,

commissum, vt ducat eam, cum qua mœchatur, vel è contrà: inter tales Matrimonium contractum non tenet. nonum, est disparitas cultus, vt si fidelis cum infideli contrahat, iuxta illud, 2. Cor. 6. Quę pars, inquit Apostolus, fidelis cum infideli? decimum est vis seu coactio absoluta, quæ causat metum iustum, hoc est, metum cadentem in constantem virum. Vndecimum, est ligatio, vt si quis cum vna contraxit per verba de præsenti, deinde contrahat cum altera, & consummet, non tenet. duodecimum, est iustitia publicę honestatis, quæ ex sponsalibus legitimè celebratis oritur. & hæc iam ad primum gradū solùm se extendit, vt habetur in Concil. Trident. sess. 24. de reformat. Matr. cap. 4. decimumtertium, est affinitas, quę prouenit ex copula matrimoniali, vsque ad quartum gradum inclusiuè: affinitas verò oriens ex copula fornicaria, non se extendit vltra secundùm gradum, vt habetur in Concil. Trident. sess. 24. de reformat. Matr. cap. 4. intellige de affinitate primi generis tantùm, quæ est inter virum & consanguineas vxoris seu concubinæ, & inter vxorem, seu concubinam & consanguineos viri. decimumquartum, est impotentia perpetua coëundi, quę iudicatur perpetua in Iure, si durat per triēniū. Qui ergò est innodatus aliquo istorum impedimētorum, & illo prius non amoto per dispentationem. contrahit, talis non solùm peccat mortaliter: sed etiam Matrimonium sic contractum, ipso iure est nullum.

P DE

DE INCENDIARIO.

INcendiarius propriè dicitur qui Ciuitatē, Castrum, Domum, segetē & similia malo animo, puta odio, vel liuore vindictæ, aut intentione iniuriandi incendit. Item qui siniſtra intentione ignē apponi facit, vel consilium, vel auxilium scienter dat, nomine Incendiarij venit. Quod si incidenter ex negligentia, siue casu vel iusto bello quis incendit, talis propriè incendiarius dici non potest.

Incendiarij propriè dicti, hoc est qui scienter & voluntariè incendium faciunt, vltra mortale peccatum ipso Iure sunt excommunicati, & non solùm tenentur ad restitutionem de damno illato, sed etiā de rebus perditis propter incēdium. Quinimo etiā accipientes res illorum qui incendium patiuntur, tenentur in conscientia ad restitutionem, nisi huiusmodi res fuissent habitæ pro derelictis, puta quia ignis tantum inualuerat, quod nullus sine euidente periculo vitæ poterat eis succurrere, & Domin⁹ talia vti derelicta permittebat incendio perire, eo casu accipiens aliena sic vt prēmittitur non teneretur de necessitate ad restitutionem, sed posset illa tuta conscientia retinere.

Destruens domum sui vicini timore incendij, nempe ne sua domus comburatur, si metus fuit iustus, talis non tenetur ad restitutionem neque de dāno inde illato: nam nullam iniuriam, aut damnum dare videtur æquè perituris ædibus: secus autem si

timor

timor non fuit iustus, quia tunc destruens Domum vicini teneretur ad restitutionẽ, & per consequens de damno illato: secundum tamen aliquos, inter quos est Host. præfactus casus sic deciditur. quod si domus alicuius est destructa à vicinitate, iusto metu incendij, quod tunc Iudex ex officio & summa æquitate facere deberet, vt quilibet vicinus pro parte sua damnificato satisfaceret, & hæc opinio vtiorationi & æquitati consona mihi magis probatur.

DE INCESTV.

INcœstus est consanguinearum seu affiniũ abusus, res quidem prohibita nedum Iure canonico, sed etiam Iure diuino, vt habetur Leuit. 18. Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet. Incœstus ergo ex genere suo est peccatũ mortale, quod committitur ex commixtione carnali sine dispensatione, inter affines & consanguineos, vsque ad quartum gradum inclusiuè.

Incœstus se extendit ad affines, affinitate proueniente ex copula matrimoniali vsque ad quartum gradum: ad affines verò affinitate proueniente ex copula fornicaria, incestus se extendit tantùm vsq; ad secundum gradum, vt habetur in Concil. Trident. sess. 24. de reform. Matrimon. cap. 4. Incestus est graue peccatum, quinimò in primo & secundo gradu, siue consanguinitatis, siue affinitatis, est casus reseruatus Episcopo de consuetudine generali, secundùm nonnullos celeberrimos Doctores.

Incœstum non solùm committit ille, qui accedit consanguineam vel affinem: sed etiam accedēs monialem, talis sceleroſus committit incestum: quia monialis est sponsa Dei, qui est Pater noster; cōmittit adulterium, quia sponsam alterius corrumpit; committit sacrilegium, quia personam Deo consecratam violat atque prophanat.

Peccata carnis, seu species luxuriæ, sunt septem, scilicet: simplex fornicatio, stuprum, adulteriū, raptus alterius vxoris, incœstus, sacrilegium, & vitium contra naturam, modò secundùm D. Thomā 2.2. quæst. 154. artic. 12. stuprum est grauius peccatum fornicatione, adulterium stupro, raptus adulterio, incœstus raptu, sacrilegium incœstu; omnium autē grauissimum, est vitium contra naturam.

DE INDVLGENTIIS.

INdulgentia est relaxatio, siue remissio pœnæ temporalis pro peccatis actualib⁹ debitæ, apud diuinam iustitiam in foro exteriori facta. dicitur remissio pœnę; quia per indulgentias propriè ac directè non remittitur culpa, sed solùm pœna. secundò dicitur temporalis: quia pœna peccati æterna, non tollitur, nisi per Sacramentū, puta Baptismi & Pœnitētiæ. tertiò, dicitur pro peccato actuali: quia pœna debita pro peccato originali, non tollitur per indulgentias, sed per Baptismum. quartò, dicitur in foro exteriori: quia remissio pœnæ pro peccato actuali debitę, quę fit in foro conscientię, non est per indulgen-

dulgentias, sed ex vi clauium, quas quilibet Sacerdos expositus ordinariè habet, & in articulo mortis quilibet Sacerdos, etiam nõ expositus: Vnde remissio pœnę pro peccato actuali debitæ in foro exteriori, fit per indulgentias absque Sacramento: in foro verò interiori, talis remissio non fit absq; Sacramento. Effectus totalis Sacramenti Pœnitentię est remissio peccati, & quo ad culpam, & quo ad pœnam: effectus autem indulgentiarum, est remissio pœnæ tantùm. modò conferre totalem effectũ Sacramenti, absq; Sacramento, est solius Dei: conferre verò partialem effectum Sacramenti absque Sacramento, vt fit per indulgentias, propriè & principaliter est Papę.

Indulgentiæ trahunt suam originem, et vim habent ex superabundanti passione Christi ac Sanctorum: nam passio Christi fuit meritoria & satisfactoria simul. fuit meritoria sibi & nobis; sibi, quia Christus sua passione gloriam, ac exaltationem suę humanitatis meruit, Lucæ 24. Nònne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? item ad Philip. 2. Factus obediens vsque ad mortẽ, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. fuit meritoria nobis: quia Christus sua passione, gratiam atque gloriam nobis meruit, Psal. 83. Gratiam & gloriam dabit Dominus: fuit autẽ satisfactoria nobis tantùm, non sibi, quia de ipso scriptum est: Deut. 2. Qui peccatum non fecit, nec

dolus inuentus est in ore eius: Passio verò Sanctorum fuit meritoria sibi, & non alijs, satisfactoria autem sibi & aliis; sibi, quia saltem labe originali fuerũt infecti, iuxta illud ad Rom. 3. Omnes peccauerunt in Adam, & egent gratia Dei; alijs, ad Colos. 1. Nũc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo, quæ desunt passionem Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia. item 2. ad Tim. 2. Omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur.

Opera pœnalia Sãctorum. quatenus meritoria fuerunt in eis plenè remunerata, imò vltra condignum Rom. 8. Non sunt condignæ passiones huius seculi, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: quatenus verò satisfactoria, opera pœnalia Sanctorum, non fuerunt in eis remunerata, quia plus passi sunt Sancti Dei, quàm debuerint, vt testatur Iob de seipso in suo lib. cap. 6. Vtinam, inquit, appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior in statera, quasi arena maris, hec grauior appareret. Quinimò aliqui Sancti fuere, qui omninò innocenter passi sunt, vt in veteri lege Ieremias, in noua lege Ioãnes Baptistat & beatissima virgo, qui in vtero matris fuerunt sanctificati, sed remunerantur in nobis, quatenus per satisfactiones superfluas seu superabundantes Christi & Sanctorum, soluitur pœna temporalis, pro peccatis nostris actualibus debita & quodammodò remunerantur in Sanctis: quia videntes, quòd passio sua

pœnam

pœnam peccati alieni ſoluat, propter nimiam charitatem, quam habent, non ſolùm erga Deum, ſed etiam erga proximum gaudent. Quare dici poteſt, quòd opera pœnalia Sanctorum, quo ad præmium eſſentiale, fuerint pleniſſimè in eis remunerata: quo verò ad præmium accidentale, quòd adhuc indies remunerentur.

Dantur in ſacris literis ſuperabundantes ſatisfactiones Chriſti & Sanctorum, item intentio eorum patiendi & ſatisfaciendi pro nobis, vt ex dictis patet, ergo dantur indulgentiæ, neque opus eſt contendere de voce, vbi res ipſa per vocem ſignificata habetur. Indulgentiæ igitur nihil aliud ſunt, quã theſaurus quidam ſpiritualis Eccleſiæ, reſultans ex ſuperabundantia meritorum Chriſti & ſatisfactionũ Sanctorum, cuius theſauri clauiger & diſpenſator eſt ſummus Pontifex, ſucceſſor D. Petri, cui dictũ eſt, ac per cõſequẽs ſuis legitimis ſucceſſoribus, Matth. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum, quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.

Indulgentiæ ad hoc, vt ſortiantur ſuum effectum, quatuor neceſſariò requiruntur. primò authoritas dantis: facere autem indulgentias poſſunt, Papa, Concilium generale in tota Chriſtianitate, Legati in omnibus locis, ad quæ eorum legatio ſe extendit, & Epiſcopi in ſua diœceſi. ſecundò, requiritur cauſa legitima, puta vt dentur pro honore Dei & Eccleſiæ vtilitate. tertiò requiritur diſpoſitio recipientis, nempè vt ſit in gratia Dei: quia exiſtentibus in

peccato mortali, indulgentiæ non prosunt, propterea in bullis indulgentiarum, ista est forma consueta, verè pœnitentibus & confessis. quartò, quòd fiat id, pro quo dantur indulgentiæ, vnde si quis nõ obseruat præcepta in bulla, non consequitur effectum Iubilæi seu indulgentiarum.

Quando dantur indulgentiæ tot annorum, vel dierum, bulla non procedit de annis, diebusque p̃sentis vitæ, & in hoc summi Pontifices sequuntur modum antiquorum canonum, qui cuilibet peccato mortali pœnitentiam septem annorum iniungebant: vnde per indulgentias propriè ac principaliter relaxantur pœnitentię tot annorum, quas homo in hac vita, iuxta dispositionem antiquorum Canonum, propter peccata commissa, facere debuisset, consequenter autem relaxantur pœnitentiæ, quas homo facere deberet in Purgatorio, secũdùm proportionem: pœna enim Purgatorij est adeò intensa, quod illic pati per horam plus est, quàm in hac vita pati per annum, sit ergo dictum, exempli gratia: si conceduntur indulgentiæ mille annorum, per eas seruatis seruandis relaxatur pœna, seu pœnitẽtentia sustinenda hic, iuxtà antiquos Canones, mille annis: in Purgatorio verò relaxatur pœna temporalis, quam homo pro peccatis actualibus ibi mille diebus ferre deberet. Quare sic intelligendo nullus mirabitur, minus dubitabit, dum legit in bullis pontificijs, indulgentias decem millia annorum, & vltra dari.

DE

DE INFAMIA.

INfamia est læsę dignitatis status, vnde infamis dicitur, qui vita & moribus est reprobatus, & communiter duplex ponitur, scilicet: facti & iuris. Infamia facti, multis modis incurritur, vt propter crimen publicum, iustum carcerē, iustam repulsionem à testimonio, ac propter turpem nominationē de eo factam per parentem in testamento. Huius infamiæ sex præcipuè sunt effectus. primò, repellit hominem à dignitatibus, tàm ecclesiasticis, quàm secularibus. secundò, repellit hominem à testimonio in causa criminali. tertiò, repellit hominem ab actu accusandi. quartò, repellit hominem à promotione Ordinum. quintò, rumpit testamentum officiosum fratris, si infamem hæredem instituit. sextò inducit purgationem canonicā, Infamia iuris duobus modis incurritur. primò, per iudicis ordinarij sententiam diffinitiuam criminis publici, & aliquādo priuati. secundò, incurritur infamia iuris ipso facto absque pronunciatione sententiæ à iudice in sex casibus. primò, quando Imperator militi aufert insignia, vel aliquem in exilium mittit. secundò, exercendo lenocinium, vel prostituendo filias aut neptes. tertiò, exercendo seu exigēdo vsuras. quartò, adulterando, seu contrahendo cum duabus, vel simul duas sponsas habere. quintò, locando operas suas pugnandi gratia cum feris. sextò, exercendo ludos periculosos in publico, maximè si

illud

illud fiat lucri gratia, vt solent facere iaculatores, & histriones: huius infamiæ iidē sunt effectus, qui & infamiæ facti.

Crimina publica in iure dicuntur illa, quorum denunciatio, seu accusatio cuilibet de populo est cō cessa, talia sunt, homicidium, adulterium, & crimen lesæ maiestatis, siue diuinę, siue humanæ: crimina verò occulta, seu priuata, in iure dicuntur illa, quorum denunciatio siue accusatio ad illos tantùm pertinet, quibus facta est iactura, talia sunt, furtum, illata damna, & iniuriæ.

DE INFERNO.

INfernus communiter. secūdùm sacros Doctores, est quadruplex, scilicet: damnatorum, puerorum, purgandorum, & sanctorum Patrum. *In* primò, qui propriè dicitur infernus, sunt tria, carētia gratiæ, carentia gloriæ, & pœna sensus. In secundo, qui alio nomine dicitur limbus puerorum, sunt duo, carentia gratiæ, & carētia gloriæ. In tertio, qui proprio nomine dicitur purgatorium, sunt duo, carentia gloriæ, & pœna sensus In quarto, qui dicitur limbus Patrum, erat tantùm vnum, scilicet: carentia gloriæ: vnde sancti Patres fuerunt puniti retardatione gloriæ ad tempus, pueri puniuntur carentia gratiæ, & retardatione gloriæ æternaliter; existentes in purgatorio, puniuntur retardatione gloriæ, et pœna sensus temporaliter; damnati puniuntur carētia gratiæ, retardatione gloriæ, & pœna sensus æternaliter.

Recepta-

Receptacula animarum distinguuntur secund status eorum: nam anima coniuncta mortali corpori, est in statu merendi, exuta verò corpore, est, in statu recipiendi pro meritis bonum vel malum: Vnde anima separata à corpore, vel est in statu recipiendi finale præmium quantum ad bonum, & sic est in paradiso; vel quantum ad malum, tunc sic; vel ratione culpæ actualis, & sic est in inferno; Vel ratione culpæ originalis, & sic est in limbo puerorum; Vel anima separata à corpore, est in statu, quo impeditur à finali retributione recipienda, quod contingit dupliciter, vel propter defectum personæ, & sic est in purgatorio; Vel propter defectum naturę, quo sancti Patres in limbo detinebantur. Quinq; ergo sunt receptacula animarum, limbus patrum, purgatorium, paradisus, infernus, & limbus puerorum, primum est euacuatum, Zach. 9. secundum euacuabitur, reliqua tria erunt perpetua.

Quod infernus detur, sacræ literæ testãtur, Num. 26. Psal. 113. & Luc. 16. Mortuus est diues, & sepultus est in inferno: vbi autem sit situs, habetur Esa. 14 Prouerb. 9. & Apocal. 5. nempe in centro terræ, in profundo infernus est positus, in quo triplex est pœna, qua ibi detenti æternaliter cruciantur, videlicet. priuatio visionis beatificæ, Psal. 48. In æternum nõ videbit lumen. pœna sensus, hoc est, ignis, Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum. Item Apoc. 21. Pars illorum in stagno ardenti igne & sulphure. pœna vermis, hoc est, remorsus conscientię. Eccles.

cles.7. Vindicta carnis impij, ignis & vermis.

Inferni quinque communiter assignantur proprietates seu conditiones. Prima conditio inferni est profunditas, Iob in suo libro cap. 17. In profundissimum infernum descendent. Secunda est obscuritas, loco citato cap. 10. Dimitte me, inquit patiens Iob, vt plangam paululum dolorem, antequã vadam, & non reuertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine. Tertia est abundãtia ignis Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Quarta est frigiditas intollerabilis, Iob in suo lib ca. 24. Ad nimiũ caloré trãsiet, ab aquis niuium. Quinta & vltima conditio inferni est æternitas durationis. Iob *in suo* lib. cap. 7. Qui descenderit ad inferos, nõ ascendet.

Christus descendit ad inferos, vt habetur ad Ephes. 4. in anima, non quidem eo genere motus, quo corpora mouentur, sed eo genere motus, quo Angeli mouentur. Ad limbum Patrum Christus descendit in anima, secundùm essentiam, consolando, & demùm liberando Patres ibi detentos: ad infernum autem & ad Purgatorium Christus descendit per effectum tãtùm, licet diuersimodè; ad infernum arguendo eos de incredulitate & eorum malitiam confutando; ad Purgatorium, dãdo illis spem gloriæ consequendæ: & quamdiù corpus Christi fuit in sepulchro, nempè per integrum diem, & duas noctes, ad comprobandam veritatem suæ mortis, tandiù anima eius fuit in limbo Patrum, vt

sic

sic simul anima de limbo, & corpus de sepulchro educerentur.

DE INFIDELITATE.

INfidelitas opposita fidei, quę est virtus theologica, potest sumi dupliciter, negatiuè, & priuatiuè. Infidelitas primo modo accepta, cadit in his, qui nihil ¬vnquam de fide Christi audierunt, talis non dicit imperfectionem, minus est peccatum, iuxta illud Ioan. 15. ¦Si non ¬venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent, scilicet infidelitatis; infidelitas verò secundo modo accepta, cadit in his, qui audierunt de fide Christi, sed credere recusant, hæc dicit imperfectionem, & est peccatum, ¬vt habetur loco citato, cujus tres sunt species, vt docet D. Tho. 2. 2. quæst. 10. Prima est Paganorum, secũda est Iudæorum, tertia est hęreticorũ, quæ est omniũ pessima: quia infidelitas Paganorum est cõtrarietas ad fidem Christi nondum susceptam; infidelitas Iudæorum est contrarietas ad fidem Christi susceptam in figura: infidelitas autem hęreticorum, est contrarietas ad fidem Christi susceptam in re & veritate, ergò grauius peccatum est infidelitas hæreticorũ infidelitate Paganorũ, seu Iudęorũ, quorum omnia opera sunt peccatum, Rom. 14. Omne quod non est ex fide, peccatum est, intellige factum ex fidelitate, vel relatum ad infidelitatem, vt si Saracenus ieiunat, ¬vt seruet legem Mahometi, vel Iudæus sabbatizat, ¬vt seruet legem Moysis, peccant: sec⁹ tales possũt habere act⁹ bonos ex obiecto, vel circũ

stantijs,

ſtantijs,placentes Deo, licet nullus actus eorum ſit meritorius:quia non factus in gratia.

Infideles,qui nunquam ſuſceperunt fidem Chriſti in re & veritate, ad eam ſuſcipiendam nō ſunt compellendi:quia credere eſt voluntatis, licet tales poſſint cogi,ne fidem Chriſti impediant: infideles autem,qui ſemel ſuſceperunt fidem Chriſti,in re et veritate,& poſteà ab ea apoſtatarunt,vt hæretici veniunt compellendi etiam corporaliter, vt impleant quod promiſerunt,ac teneant quod ſemel ſuſcepeperunt:nam licet credere ſit voluntatis,adimplere tamen quod eſt promiſſum,& fidem ſemel ſuſceptam ſeruare,eſt neceſſitatis.

Chriſtianis, communicare infidelibus, maximè Iudæis,quo ad multa,Iura prohibent.primò,manducare azyma eorum.ſecundò, habitare cū eis. tertiò,accipere ab eis medicinam.quartò, ingredi balneum,& ſe cum eis lauare: pœna autem tranſgreſſorum in Iure,ſi contrà faciens eſt Clericus, venit deponendus,ſi verò eſt laicus, venit excommunicandus, intellige ſi hæc fiant abſque neceſſitate vel diſpenſatione.

DE INQVISITIONE.

INquiſitio per quam iudicialiter proceditur ad inquirenda crimina,duplex eſt, generalis,qua inquiritur ſuper ſtatum prouinciæ ſeu ciuitatis; & ſpecialis,qua inquiritur contra certam perſonā, vel ad pœnam imponendam,vel ad peccatum ſeu ſcandalum

dalum euitandum. Inquisitio generalis potest fieri sine precedente infamia; inquisitio verò specialis, si est ad pœnam imponendam, non potest fieri, nisi præcesserit accusatio, siue denunciatio, siue clamosa insinuatio, siue infamia, secus si fiat ad emẽdationem proximi, vel ad peccatum euitandum duntaxat; vnde inquisitio duplex est vna quæ fit ex officio, altera, quę fit ex aliquo procurãte, siue promouente. In priori inquisitus cogitur iurare, in posteriori verò non. In priori publicatis attestationibus, potest denuò veritas ab alijs testibus inquiri: in posteriori autem, publicatis attestationibus, in eadẽ causa alij testes non admittuntur: in priori nõ recipitur probatio super famam: in posteriori verò recipitur.

Ad inquisitionem vt teneat, quinque tanquam de eius substantia, requiruntur. primò quòd iudex inquirens sit competens, hoc est, nullo modo suspectus inquisito. secundò, quòd inquisitus sit de iurisdictione inquirentis. tertiò, quòd materia sit talis, de qua possit inquiri: nam seculatis magistratus de causis matrimonialibus nõ habet inquirere. quartò, quòd precedat infamia, vbi inquisitio fit contra certam personam ad pœnam imponendam. quintò, quòd seruetur debita forma à iure prescripta: vnde si inquisitio formetur, non seruato ordine iuris, est nulla, & condemnatio inde sequi non potest. Inquisitio nõ potest fieri, nisi de crimine illo, de quo aliquis est diffamatus; nam peccatum occultum est exemptum ab inquisitione humana, & per conse-

quens

quens inquirens de criminibus occultis, peccat: quia videtur sibi vsurpare iudicium Dei, qui occultorum solus est iudex.

Quærenti, vtrum subditi ad mandatum Superioris teneantur, crimē alienum seu proprium manifestare? Respondetur quęsito tribus conclusionibus, quarum prima est: Si maleficus est notorius, eo casu subditus iudice mandante, tenetur eū reuelare. Secunda conclusio est: Si maleficus non est notorius, tamen potest probare per duos testes sine ip so, talem illud commisisse, tenetur reuelare. Tertia conclusio est: Si maleficus non est notorius, neque potest probare per duos saltem testes, eo casu etiam iudice mandante, subditus non tenetur eum reuelare, imò nō potest de iure, & Superior si præcipit seu excommunicat subditum, nisi reuelet, non ligat in tali casu: quia iudex non debet intendere velle scire nisi quæ humanitùs scire potest, talia sunt, quæ testimonio duorum aut trium probari possunt, iuxta illud, Deut. 19. Non stabit testis vnus contra aliquem quicquid illud peccati, & facinoris fuerit: sed in ore duorū aut trium testium, stabit omne verbum.

DE INTERDICTO.

Ecclesiasticum interdictum est separatio à Iure, vel ab homine facta à certis Sacramentis, à diuinis officijs, & à sepultura ecclesiastica. Interdictum communiter ponitur triplex, locale, personale, locale & personale simul: nam quandoque locus

tantùm interdicitur, & eo casu incolæ, qui non dederunt causam interdicti alibi possunt absque peccato diuina audire & Sacramenta recipere. quando que persona solùm interdicitur, & eo casu tam in proprio loco, quàm alibi homo tenetur sub pœna peccatis mortalis seruare interdictum, similiter si persona & locus simul interdicuntur.

Interdictum, siue locale siue personale, duplex est, generale & particulare. Interdictum locale generale, à iure fertur in septem casibns. Primò contra ciuitatem lędentem Cardinalem excepta vrbe. secundò, contra territorium lædentium Episcopũ. tertiò, contra ciuitatem lædentem proprium Episcopum. quartò, contra non seruantes constitutiones pontificias in electione Papæ. quintò, contra terras Ecclesiæ locantes domus vsuratijs peregrinis. sextò, contra loca impedientiũ legatos, seu nuncios apostolicos. septimò, contra loca cogentia Ecclesias, seu personas ecclesiasticas soluere exactiones pro rebus suis ad vsum,

Interdictũ locale particulare à Iure pariter fertur in septem casibus. Primò, vbi Ecclesia iniuriosa sanguinis effusione, vel seminis ,pcurata polluitur. secundò, vbi Ecclesia per simoniam est consecrata. tertiò, vbi Ecclesia præcipuè ad quęstum faciendũ, & non ad cultum diuinum est consecrata. quartò, vbi Ecclesia sine licentia Papæ, vel Episcopi est fundata ac consecrata. quintò, vbi Ecclesia absq; Sanctorum reliquijs est consecrata. sextò, vbi in

Ecclesia hæreticus scienter sepultus est. septimò, interdictę sunt Ecclesię Clericorum & Religiosorũ inducentium aliquem indebitè ad promissionem sepulturę ecclesiasticæ: in his enim casibus Ecclesia ipso Iure est interdicta, ita vt in ea diuina officia canonicè peragi nequeant.

Interdictum generale personale, à Iure in duobus casibus fertur. primò, contra communitatẽ concedentem represalias, seu pignorationes aduersus personas ecclesiasticas, aut eorũ bona. secundò, contra communitatem cogentem Ecclesias, seu Clericos soluere exactiones pro rebus suis ad vsum.

Interdictum personale particulare à iure, fertur in octo casibus. Primò, contra iudicem ferentẽ sententiam prẽter ordinem Iuris, tali ingressus Ecclesię est interdictus per mensem. secundò, contra visitatores recipientes munera, iuxta constitutionem Innocentij IIII. tertiò, contra recipientes dignitatem ecclesiasticum à laico, & contrà conferentes talem dignitatem laico. quartò, contra participantes cum excommunicatis & interdictis, preterquá in casibus à Iure concessis. quintò, contra locantes domos alienigenis ad fœnus exercendum. sextò, cõtra exigentes prædagia ab Ecclesijs & à personis ecclesiasticis. septimò, contra Capitulum seu collegiũ accipiens aliquid ex fructibus beneficij vacantis, octauò, contra Episcopos ingredientes clausuram monialium, extra casus necessitatis.

Interdictum omnis potest ponere, qui habet

potestatem excommunicandi vel suspendendi à diuinis officijs ratione iurisdictionis ordinariæ siue delegatæ. quam habet super interdicendos, vt Papa in tota Ecclesia, Legatus in locis suę legationis, Episcopus in sua Diœcesi, & inferiores Prælati habentes iurisdictionem ordinariam in suos subditos: requiritur tamen semper causa rationabilis.

Tempore interdicti, sex potissimùm in iure prohibentur. primò, celebratio diuinorum. secũdò, administratio Sacramentorum. tertiò, collatio ordinum. quartò, sepultura ecclesiastica. quintò, pulsatio campanarum pro diuinis, secus pro alijs rebus. sextò, apertio ianuarum Ecclesiæ, tempore, quo diuina celebrantur: verùm tempore interdicti etiam generalis, quædam in iure sunt concessa. primò, administratio Sacramentorum Baptismi, Pœnitentiæ absolutè, & Eucharistiæ existentibus in articulo mortis, aliàs nõ. secundò, celebratio diuinorum officiorum singulis diebus in Ecclesijs, tàm secularibus, quàm regularibus cum ista moderatione, scilicet: submissa voce, ianuis clausis, campanis nõ pulsatis, & interdictis exclusis. tertiò, celebratio diuinorum in locis interdictis alta voce, ianuis apertis, & pulsatis campanis in quatuor solennitatibus conceditur, videlicet; Natiuitatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Assumptionis beatæ Mariæ, interdictis admissis, ita tamen quòd illi, propter quos latum est interdictum, altari non propinquent, nunc additur solennitas corporis Christi & eius octaua.

Pœna violantium interdictum est ista: Si cõtrafaciens est Clericus, peccat mortaliter, & fit irregularis, si contrafaciens est laicus, peccat mortaliter, et illi est prohibitus ingressus Ecclesiæ, non tamen fit irregularis.

DE INTERROGATIONE.

IN Confessione sacramentali, interrogationes ꝛveniunt faciendę: quia ꝛvt docet D. Thomas 4 sentent. distinct. 19. Sacerdos in Confessione debet perscrutari conscientiam peccatoris, quasi medicus vulnus, et iudex causã, licet in interrogationibus faciendis, tria sint attendenda. primo, vt peccator interrogetur de peccatis, quæ consueuerunt in hominibus illius conditionis abundare. secundò, vt non fiat interrogatio explicita de peccatis, nisi de illis, quæ omnibus manifesta sunt. tertiò, vt de peccatis præcipuè carnalibus, Sacerdos non descendat nimis ad particulares circumstantias, ne sic fortassis sibi & confitenti noceat.

Sacerdos antequàm pœnitentem de peccatis interroget, quinque obseruare debet. primò, cognoscere, an pœnitens sit suæ iurisdictionis. secundò, quærere, an sit innodatus aliqua censura, vel peccato, à quibus ipse non possit absoluere. tertiò, videre, quamdiu non sit confessus, si fecit pœnitentiam illi iniunctam in præterita confessione, & si diligenter examinauit conscientiam suam. quartò, cognoscere cuius status & conditionis sit pœnitens, quintò, inducere

ducere peccatorem, vt deuotè, integrè, & compositè sua peccata confiteatur, puta quod flexis genib⁹ dicat: Confiteor vsque ad meam culpam, & per se peccata sua dicat, saltem illa, quorum recordatur.

In audientia confessionum interrogationes sunt faciendæ in genere de decem præceptis, de septem peccatis mortalibus, de abusione quinque sensuum & de circumstantijs, quę mutant speciem peccati: in specie verò circa primum præceptum decalogi: Non habebis deos alienos, si adorauit creaturam adoratione latriæ, si credidit incantationibus, si artes diabolicas exercuit, si apostatauit à fide, si implere uit vota, si blasphemauit Deum, vel Sanctos eius.

Circa secundum præceptum: Non assumes nomen Dei tui in ⁊anum. peccator est interrogandus si iurauit falsum in iudicio, si iurauit in communi sermone, si nominauit Deum vel Sanctos irreuerenter. Circa tertium præceptum: Sabbatha sanctifices, si diebus festis fecit aliquod opus manuale nō necessarium & alicuius momenti, si vendidit, ⁊vel emit, si dimisit Missam ex negligentia, si seruauit vigilias sanctorum, si dies festos consummauit in iocis, ludis, choreis & similibus. Circa quartū præceptum: Honora patrem & matrem, si dilexit parētes, si eis obediuit, si eis maledixit, si eos verberauit, si eorum testamenta est executus. Circa quintū præceptum: Non occides, si occidit ⁊vel ⁊vulnerauit, siue percussit aliquem extra ordinem iustitię, & casum defensionis, si habuit animum deli-

beratum occidendi, mutilandi, vel percutiendi ꝓximum, si procurauit aborsum, si commisit homicidium spirituale, inducendo aliquem ad peccatum mortale, quo occiditur anima. Circa sextum ꝓceptum: Non mœchaberis, si commisit fornicationem vel adulterinm, vel stuprum, vel incœstum, vel sacrilegium, vel raptum, vel vitium contra naturam, si commisit molliciem, vel pollutionem procurauerit. Circa septimum præceptum: Non furtum facies si sit furatus, si commisit rapinam, si exegit pedagia iniusta, posuit, vel auxit, si iuuenit aliquid, quod nō restituit, si exercuit vsuras, si vendidit vnam rem pro alia, si defraudauit iustam gabellam. Circa octauum præceptum: Non dices falsum testimonium. si dixit mendacium in iudicio. si dixit contra fidē, vel in damnum alicuius, siue quo ad animam siue quo ad corpus siue quo ad famam, si denegauit alicui debitum, si reuelauit occulta ex odio. Circa nonum ꝓceptum: Non concupisces vxorem proximi tui. si alienam vxorem desiderauit, si delectatus est cogitando inhonesta, si in Ecclesia amorem profanum solicitauit, si aliquid fecit, vt se vel alium ad luxuriam incitaret. Circa decimum ꝓceptum: Non concupisces rē proximi tui. interrogandus est pœnitens, si voluit habere res sui proximi qualitercunque, siue iustè, siue iniustè, si desiderauit diuitias malo fine, si exposuit se ꝑiculo animę, vel corporis vel ꝑprię famę notabili, ꝑꝑ lucrū.

Circa septem vitia capitalia, Circa primum in ordine,

ordine, quod est Superbia, peccator est interrogãdus, si existimauit bonum, quod habet, à se habere, & non à Deo; si gloriatus est habere bona, quibus caret; si appetiuit dignitates, sciens se esse indignum, si quæsiuit laudem de re turpi. Circa secundum vitium capitale quod est Auaritia, si retinuit, quod restituere tenebatur; si soluit creditoribus in termino cùm posset; si retinuit superflua, & non fecit eleemosynam; si appetiuit diuitias illicitè. Circa tertium vitium capitale, quod est Luxuria, quomodò pœnitens sit interrogandus, habetur suprà de sexto pręcepto decalogi. Circa quartum vitium capitale, quod est Gula, si præuenit horam in comedendo, si nimis lautè comedit, si nimium studium in comedẽdo appositi, si nimis comedit, seu bibit scienter vsque ad vomitum vel ebrietatem, vel vsque ad infirmitatem. Circa quintum vitium capitale, quod est Inuidia, si odio habuit proximum suum, si tristatus est de bono sui proximi, si detraxit eius honori, si seminauit discordias reportando malum alteri de altero. Circa sextum vitium capitale, quod est Ira, si appetiuit vindictam de proximo: si ei retinuit loquelam, si conuitijs & contumelijs proximum suũ affecit, si murmurauit contra Deum, vel contra suum Superiorem. Circa septimum vitium capitale, quod est Accedia, pœnitens est interrogandus, si neglexit necessaria ad salutem, si pœnituit se benè fecisse, si desiit bona facere, ad quæ tenebatur; si desperauit

rauit quandoque de sua salute, si fuit abstractus ab oratione.

Circa opera misericordię spiritualia interrogandus venit peccator, si consuluit dubitanti cùm posset, si correxit quos debuit, si dimisit rancorem proximo, si sit consolatus tribulatos, & si orauit pro omnibus. Circa opera misericordiæ corporalia, si visitauit infirmos, si famelicos pauit, & sitientes potauit, si vestiuit nudos, si redemit captiuos, si peregrinos ad hospitiũ suscepit, & si mortuos sepeliuit, puta si est comitatus funus, & pijs exequijs interfuit.

Circa quinque sensus, qui sunt: Visus, Gustus, Auditus, Odoratus, & Tactus, interrogandus est pœnitens, vtrùm illis sanctè atque pudicè vsus fuerit, vel potius sensibus sui corporis fuerit abusus.

DE INVIDIA.

INuidia vitium charitati oppositum, est tristitia de bono alieno, & originem suam trahit à dæmone, Sap. 2. Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum, ex genere suo est peccatum mortale, ad Galat. 5. Manifesta sunt opera carnis, quæ sũt: fornicatio, impudicitia, luxuria, inimicitiæ, inuidiæ, homicidia; qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Quinimò inuidia est vitium capitale, quia ex ipsa quatuor alia vitia oriuntur, scilicet, odiũ proximi, obtrectatio, susurratio, afflictio in prosperis, & exultatio in aduersis proximi, quarum sufficientia sumitur ex hoc, quòd in conatu inuidiæ tria veniũt consi-

consideranda, principium, medium & terminus. Principium inuidiæ est, ꝟt aliquis minuat alterius gloriam, ꝟel in occulto, ecce susurratio, prima filia inuidiæ; ꝟel in publico, ecce detractio. Medium in conatu inuidiæ est, quod intendens minuere gloriã alterius, aut potest, ecce exultatio in aduersis; aut nõ potest, ecce afflictio in prosperis. Terminus inuidiæ est odium proximi: quia sicut bonum causat amorem, ita tristitia causat odium: Verùm inuidia potest esse peccatum veniale, ex imperfectione actus, ꝟel ex parùitate obiecti. Tristitia de bono alieno, potest contingere quatuor modis. primò, potest aliquis dolere de bono alterius: quia inde timet sibi nocumentum, talis tristitia potest esse sine peccato: nam legitur Exod. 15. quòd Israel lętatus sit de submersione AEgyptiorum iniustè persequentium. secundò, potest aliquis tristari de bono alterius, non quia talis habet bonum illud: sed ex eo, quod sibi tale bonum, quod habet proximus, deest, & hęc tristitia est zelus laudabilis, 1. Corinth. 14. AEmulamini charismata meliora. tertiò, potest aliquis tristari de bono alterius, ex eo quod accidit illi, qui est eo indignus, talis tristitia prohibetur in sacris literis, Psalm. 36. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. Rursus Psalm. 72. Zelaui super iniquos, pacem peccatorum ꝟidens: nam bona temporalia indignis proueniunt ex iusta Dei ordinatione, ꝟel ad eorum correctionem, ꝟel ad eorum iustam damnationem.

quartò,

quartò, potest aliquis tristari de bono alterius, ex eo, quòd talis ipsum excedat in bonis, & hæc tristitia propriè est inuidia, semperque est peccatū; quia sic homo dolet de eo, de quo illi esset gaudendum, nempè de bono proximi.

DE INVOCATIONE dæmonum.

INuocatio dæmonum communiter ponitur duplex, vna explicita, altera implicita, seu occulta. Inuocatio dęmonum implicita, ex pręcipuè modis cognoscitur. Primò, ex conditione vana adiuncta vti necessaria, puta quod talis herba vt habeat suū effectum, colligatur tali die sub pulsu campanarum vel talia verba vt habeant suum effectum, debeāt esse scripta in charta membrana, vel manu sinistra, vel à virgine. secundò, ex appositione characterum ignotorum. tertiò, ex positione nominum ignotorum, vel saltem nescitur, ad quid pertineant talia nomina. quartò, quando effectus expectatus ex talibus superstitionibus, virtutem naturalium agentiū excedit, puta cognoscere occulta, sanari in puncto. quintò, quando ex verbis sacris quęritur effectus vanus puta motio annuli, cribri, & similia. sextò cognoscitur, quòd adsit inuocatio dęmonum implicita ex adiunctis quibusdam verbis falsis & apocryphis, puta si dicatur, per dolorem, quem beata Virgo passa est in partu, & alia id genus. His stantibus, vtraque inuocatio dæmonum est illicita, vtra-

que

que est peccatum: quia vtraque præ se fert amicitiã & societatem cum dæmone, quæ societas simpliciter homini est prohibita, 1. Cor. 10. Nolo, inquit Apostolus, vos fieri socios dæmoniorum.

Inquirere aliquid, puta loquendum, vel faciendum à dæmone, non sicut ab amico, vel socio: sed sicut ab hoste, nullum est peccatum: inquirere autem aliquid à dæmone, tanquam ab amico, si actus socialis est perfectus, peccatum mortale est, si verò actus socialis est imperfectus, puta proueniens ex mera leuitate, seu curiositate, potest esse peccatum veniale. Quare homo duobus modis licitè potest se habere ad dæmonem, vno modo expellendo, vt fit in exorcismis, alio modo compellendo potestate diuina, vt aliqua dicat, vel faciat.

DE IRA.

IRa, secundùm Philosophum, est accensio sanguinis circa cor, & secundùm D. Augustinum est appetitio vindictæ. Ira in sacris litteris duplex est, bona & mala; de bona, Rom. 1. Reuelatur ira Dei de cœlo. & Psal. 4. Irascimini, & nolite peccare. de mala, Iacob. 1. Ira iustitiam Dei non operatur. Ira bona est appetitus vindictę ordinatus ad correctionẽ vitiorum, vel ad iustitię conseruationem: ira verò mala, est appetitus vindictæ inordinatus, hoc est, præter ordinem rationis.

Ira, quando est inordinata ex parte appetibilis, in quod tendit, ex genere suo est peccatum mortale,

le, quia contrariatur iustitiæ & charitati: potest tamen esse peccatum veniale, propter imperfectionẽ actus, quę attenditur; vel ex parte appetitus, puta cũ motus irę præuenit iudicium rationis; vel ex parte appetibilis, puta cùm aliquis cupit se vindicare in aliquo modico. vt puerũ trahere per capillos. Quare ira, supposita deliberatione actus, & notabilitate vindictę, potest esse peccatum mortale quinq; modis primò, cùm quis appetit aliquem puniri, qui nõ meruit. secundò, cùm quis appetit aliquem puniri vltra sua demerita. tertiò, cùm quis appetit, aliquem puniri indebitè. quartò, cùm quis appetit aliquem puniri, non propter debitum finem, qui est conseruatio & correctio culpæ. quintò, ira est peccatum mortale, quando quis ex feruore ipsius iræ cadit ex charitate Dei vel proximi, puta blasphemando Deum, vel maledicendo proximum, vel non succurrendo ei in necessitate.

Ira vt est appetitus vindictæ inordinatus, non solùm est peccatum mortale, sed etiam est vitium capitale: quia ex ipsa sex alia vitia oriuntur, scilicet: rixa, tumor mentis, contumelia, blasphemia, inordinata locutio, seu clamor, & indignatio. ratio est: quia ira potest tripliciter considerari. primò, vt est in corde, & sic ex ipsa duo vitia nascuntur, indignatio, & tumor mentis. secundò, vt est in ore, & sic ex ira duo vitia oriuntur, inordinata locutio & blasphemia. tertiò, secundùm quod est in effectu, & sic ex ea duo vitia nascuntur, rixa, & contumelia,

per

per quæ intelliguntur omnia nocumenta, quæ facto proximo inferuntur.

Iræ tres sunt gradus, vt habetur Matth. 5. primus gradus iræ est cordis, & accipitur ibi: Omnis, qui irascitur fratri suo. secundus gradus iræ est oris, & habetur ibi: Qui dixerit fratri suo racha. tertius gradus iræ est operis, & innuitur ibi: Qui dixerit fatue. Modò si primus gradus iræ est peccatū mortale, secūdus est grauius peccatum, & tertius adhuc grauius: nam in primo gradu iræ, iuxta seriē euangelicam, ponitur iudicium, quod est minus: quia in eo locus defensionis adhuc datur. in secundo gradu iræ ponitur concilium, quo iudices tractant, quo supplicio affici debeat, in tertiò gradu iræ ponitur gehenna ignis, quæ est certa damnatio.

DE IRREGVLARITATE.

IRregularitas est impedimentum canonicum ex facto, seu defectu proueniens. quo quis ad ecclesiasticos ordines promoueri, & promotus in eis ministrare prohibetur, quę in genere trib⁹ modis incurritur, quandoque ex delicto, quandoque ex defectu corporis, & quandoque ex defectu Sacramenti: clarius tamen dici potest, quòd irregularitas nouem modis contrahatur primò, ex homicidio. secundò, ex mutilatione. tertiò, ex indebita celebratione vel executione ordinū. quartò, per apostasiam à fide. quinto, ex infamia vel crimine. sextò, propter excommunicationem, suspensionem, vel inter-

interdictum, siue à iure, siue ab homine. septimò, propter bigamiam. octauò, per solennem pœnitẽtiam. nonò, incurritur irregularitas propter vitium corporale. Ad maiorem autem euidentiam huius doctrinę, ponũtur cõclusiones immediatè sequẽtes.

Prima conclusio est ista: Irregularitas, hoc est, inhabilitas ad executionem & susceptionem ordinum ecclesiasticorum incurritur ex homicidio, vel ex mutilatione actuali, siue verbo, siue facto, siue occasione commisso voluntariè. Secunda conclusio est: Irregularitas non contrahitur ex homicidio, ex necessitate ineuitabili, siue ex mera casualitate cõmisso, idem teneas de mutilatione. Tertia conclusio est: Irregularitas non incurritur ex vulnere, quando nec mors, nec mutilatio sequitur. Quarta conclusio est: Irregularitas contrahitur, non solùm ex homicidio iniusto, sed etiam ex homicidio iusto: vnde in causa mortis, vel mutilationis actualis iudex, assessor, notarius, scriba sententię, promulgator, accusator, testis, aduocatus contra reum, aduocatus pro reo, si mors inftigatur accusatori, sunt irregulares. Quinta conclusio est: Mutilati, gibbosi, claudi notabiliter, cęci monoculi, hermaphroditi, leprosi, furiosi, lunatici, non habentes lucida interualla, laborantes morbo comitiali, dæmoniaci, abstemij, & illegitimi sunt irregulares, hoc est, inhabiles ad promotionem & ad vsum in promotis. Sexta conclusio est: Irregularitas contrahitur ex indebita susceptione, celebratione, seu executione Ordinum,

primò,

primò, si quis celebret in Ordine sacro, quem non habet cum solenni apparatu secundò, si quis ordinatus per saltum exerceat actũ Ordinis sacri omissi. tertiò, si quis excommunicatus maiori excommunicatione, siue suspensus, siue interdictus à Iure, vel ab homine, celebret in Ordine, quẽ habet. quartò, si quis recipit Ordines etiam minores scienter ab Episcopo excommunicato, schismatico, vel hæretico, vel ab Episcopo, qui renunciauit loco & dignitati, vel extra tempora statuta, absque dispensatione. Septima conclusio est: Irregularitas incurritur per reiterationem illorum Sacramentorum, quę imprimunt characterem, vt sunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo, & quo ad ministrantem, & quo ad recipientem, si ignoranter, cum eo dispensat Episcopus, si scienter, solus Papa. Octaua conclusio est: Irregularitas contrahitur per apostasiam à fide, cum Sacerdotibus, & si id factum sit iusto timore, solus Papa dispensat, cum alijs verò Episcopus, secus si voluntariè sine iusto timore, eo casu cum ipsis etiã solus Papa dispensat Nona conclusio est: Irregularitas incurritur propter bigamiam, & infamiam, siue iuris, siue facti: tales enim sunt irregulares, hoc est, inhabiles ad susceptionem, & ad executionem Ordinum, nisi præcedat dispensatio.

Irregularitas tribus modis tollitur, per Baptismum, per ingressum religionis approbatæ, & per dispensationem summi Pontificis, Baptismo tollitur omnis irregularitas, contracta ante illum ex delicto,

licto, vel ex sequela delicti, vt ea, quę oritur ex homicidio, seu mutilatione, siue cum peccato, siue absq; peccato fuerit, & ea, quæ ex infamia tàm iuris quã facti prouenit. Ingressu religionis tollitur irregularitas, quę ex delicto alieno prouenit, vt ea, quę contrahitur ex defectu natalium, tales possunt promoueri ad Ordines in fauorem religionis, quam sunt ingressi: non tamen possunt sine dispensatione ad dignitates seu prælaturas promoueri. Dispensatione Papę omnis irregularitas quomodocunque contracta, siue ex delicto, siue ex defectu corporis, siue ex defectu Sacramenti tollitur: quia omnis irregularitas est iuris positiui, super quod est Papa: Verùm hic Lectorem non latebit decretum illud sacri Concilij Tridentini sess. 24. de reformat. cap. 6. quo habetur, quòd iam Episcopi possunt dispẽsare in omnibus irregularitatibus & suspensionib⁹ prouenientibus ex delicto occulto, ea excepta, quæ ex homicidio voluntario oritur, & alijs deductis ad forum contentiosum: item eis licet absoluere quoscunque delinquentes sibi subditos in sua Diœcesi per seipsos, aut Vicarium ad hoc deputatum in omnibus casibus occultis, etiam Sedi Apostolicę reseruatis in foro conscientię gratis, imposita pœnitentia salutari: quinimò & in crimine hæreos, sed hoc tantùm ipsis Episcopis, & non eorum Vicarijs est permissum. Insuper modò licet Episcopis dispensare cum ijs, qui non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo homicidium commiserunt, vt possint

possint ad Ordines promoueri, vbi constat rem ita se habere, & in promotis ministrare.

DE IVDAEIS.

IVdæorum nomine veniunt, qui legem Mosaicam literaliter tenent ac obseruando sequuntur, & dicti sunt à principali tribu, quæ fuit Iudę: prius tamen dicebantur Hebræi ab Heber, cuius sola familia cultum Dei tenuit, cæteris idololatria fœdatis. Christianis in Iure multa prohibentur, in quibus Iudæis communicare non licet. Primò, Iura prohibent Christianis comedere cum Iudæis. secundò, cohabitare illis. tertiò, recipere eos ad cõuiuia quartò, comedere eorum azyma. quintò, vocare eos, aut ab eis recipere medicinas in infirmitatibus. sextò, balneari cum eis. septimò, relinquere illis aliquid in testamento. octauò, nutrire eorum filios, maximè in illorum domo. nonò, eis inseruire in domo. secùs extra domum.

Iudæis in Iure multa prohibentur. primò, habere seruum Christianum. secundò, habere officia publica inter Christianos. tertiò, habere dominiũ super fideles, quartò, procedere in publicum sine habitu, vel signo distincto à Christianis: qĩutò, erigere nouas synagogas: antiquas tamẽ ac ruinosas reficere possunt. sextò, ferre testimoniũ contra Christianum, & hæc prohibitio est etiam circa Saracenos, seu Gentiles: contra facientes autẽ si sunt laici, veniunt excommunicandi, si sunt Clerici,

veniunt deponendi, peccãtq; mortaliter, nisi ignorantia iuris, vel necessitas tales excuset: si verò contra facientes sunt Iudæi, licet ipsi non possint puniri, quo ad pœnam spiritualem, puniuntur tamen quo ad pœnam corporalem.

Christiani contra Iudæos multa, secundùm Iura, facere nequeunt. primò, non debent eos violenter cogere ad fidem Christi suscipiendam: quia credere est voluntatis, licet seruare fidem semel susceptã sit necessitatis. secundò. non debent eos offendere in persona, vel in bonis sine iudicio terrenæ potestatis. tertiò, non debent eos impedire, ne suas consuetudines in festiuitatibus suis obseruent, modò nihil faciant, in opprobrium Christianę *fidei*: nam inde testimonium fidei nostrę ab hostibus habemꝰ quam ob causam ritus Iudæorum ab Ecclesia tolerantur. quartò, non debent ab eis exigi coacta seruitia, quę facere non consueuerunt. quintò, non debet fieri iniuria eorum sepulchris, neque corporibus humatis, neque illorum cœmiterijs. sextò, in sabbathis suis non debent trahi ad iudicium. septimò, non debẽt spoliari suis bonis iniustè acquisitis, nec debita successione si conuertantur ad fidem, ex quo non perdunt agnationem: vnde in tali casu agnati debent succedere in eorum bonis. octauò, non sunt prohibendi conuerti ad fidem & Baptismum suscipere, etiam si sint serui Christianorum,

DE IVDICE.

IVdex dicitur ille qui iure potest vnicuique sibi subdito, iustum decernere ac reddere, & communiter ponitur triplex. Ordinarius, qui habet vnì nersitatem causarum ex officio. Arbiter, qui habet iurisdictionem ex voluntate partium, & Delegatus, qui habet iurisdictonem ex commissione Superioris: ratio autem sufficiētię huius diuisionis est, quia nullus potest iudicare, nisi sibi subiectum, vel ordinariè, ecce primum genus iudicum; vel propria spontè, ecce secundum genus iudicum; vel ex commissione Superioris, ecce tertium genus iudicum. Verùm in Iure à iudicis officio aliqui repelluntur, scilicet: surdus, mutus, furiosus perpetuò, impubes, fœmina, seruus, excōmunicatus, consanguineus rei, iuimicus actoris, vel alia causa suspectꝰ & imperitꝰ.

Iudex ordinarius sicut & delegatus, duplex est, secularis & ecclesiasticus. Iudex secularis in Clerico nullam habet iurisdictionem, neque in criminalibus, neque in ciuilibus: Vnde Clericus respondendo coram iudice seculari, si causa est ciuilis, eo casu cadit à sua causa, si est criminalis, amittit suum locum seu dignitatem, & iudex laicus, qui iudicat de Clerico, peccat mortaliter, & secundùm Iura, debet priuari officio iudicandi, sententiaque inde sequens est nulla: fallit tamen hęc doctrina præcipuè in tribus casibus. primò, in causa reconuentionis ciuilis: nam si Clericus conuenit laicum coram

iudice seculari, & ille re conuenerit Clericũ ciuiliter, feraturque sententia contra Clericum tenet, qa in tali casu factus est suus iudex per re conuentionẽ secùs si laicus reconuenerit Clericum criminaliter quia sic laicus Clericum coram iudice seculari, neque conuenire, neque reconuenire potest. secundò fallit quando Clericus est traditus curiæ seculari. tertiò, quando interuenit episcopalis authoritas, in his enim casibus iudex secularis licitè potest Clericum iudicare in causa merè temporali.

Iudex secularis ordinarius tuta conscientia sportulas, seu munera, nec petere, nec recipere potest, vbi sufficientem prouisionem habet, iudex autem secularis delegatus petit & recipit sportulas, puta duos aureos in principio, & duos in fine, quandò causa excedit centum aureos, secùs nihil habebit, excipiuntur tamen comestibilia & potabilia ex mera liberalitate oblata finito iudicio, Iudex ecclesiasticus, siue ordinarius, siue delegatus sportulas neque petere, neque recipere potest, vbi habent sufficiẽtes redditus, vel beneficium. possunt tamẽ petere à partibus litigantibus, nisi sint pauperes, salarium honestum pro notario, nuncijs, ac alijs inferioribus officialibus, non habentibus deputatos, sufficientesque redditus, dummodò non participent cum eis.

Iudex delegatus, siue sit secularis, siue sit ecclesiasticus, cùm proficiscitur extra domicilium, potest petere & recipere expensas pro victualibus ac vecturis

vecturis equorum, nisi talis esset delegatus ad vniuersitatem causarum, nam eo casu ordinarius prouidebit de suo: Iudex verò ecclesiasticus ordinarius quãdo proficiscitur extra domum, non potest petere, minus recipere expensas, nisi quãdo proficiscitur pro consecratione Ecclesię, & quando visitat prounciam suam: sic tamen vt in petitione ac receptione expensarum computentur expensæ, quas ipsi domi fecissent, quę, vt tales à restitutione excusentur, debent detrahi à tota summa.

DE IVDICIO.

IVdicium diuersimodè sumitur, quandoque pro vsu rationis, quãdoquè pro casu fortuito, quãdoque pro sententia iudicis, quandoque pro pœna, que ex sententia infligitur, & quandoque pro instantia, seu ordinatione causæ discutiendę in iure coram iudice, sicque iudicium acceptum, de quo nunc intendimus, nihil aliud est, quàm quædam definitio seu determinatio eius, quod iustum est secundùm leges, ad quod tres personę necessariò concurrunt, scilicet: actor, reus, & iudex: vnde iudicium ab aliquibus dicitur actus trium personarum verè, vel fictè, quia aliquando fama locum tenet actoris. Iudicium & arbitrium licet quodammodò sint idem: tamen in duobus potissimũ inter se differunt. primò in hoc, quod iudicium est de causa ciuili & criminali: arbitrium verò de ciuili tantùm,

secundò, quòd iudicium necessario: arbitrium autē voluntariè subimus.

Iudicium redditur nullum, tribus modis. primò, ratione iudicis incompetentis, puta vel quia non habet authoritatem supra reum, vel quia est suspectus, vel aliam ob causam in Iure admissam. secundò, ratione personę agentis, puta quia est minor, & agit sine authoritate curatoris, vel quia est excommunicatus: tales enim in iudicio agere non possūt, nisi in causis à Iure expressis, pariter iudicium est nullum, si pupillus vocetur in iudicium, & nullus eum defendat. tertiò, ex parte rei, puta quia nō potest tractari sub tali iudice, vt ius patronatus coram iudice principe inferiore, vel causa matrimonialis coram iudice laico: peruertitur autem iudicium quatuor modis, videlicet. timore, cupiditate, odio, & amore.

Iudicium debet exerceti de die: si tamen iudex de nocte procedat cum lumine candelæ ad litis cōtestationem. vel ad sententię prolationem, tenet: multa enim in Iure prohibentur, quę tamen facta tenent. secundò, iudicium debet fieri sedendo, & in loco suæ iurisdictionis: alibi autem de consensu partium ac iudicis territorij, nec huic doctrinæ obstat, quod legitur Matth. 7. Nolite iudicare, & non iudicabimini: quia ibi Christus non prohibet omne iudicium, ex quo habetur Psalm. 2. Erudimini qui iudicatis terram. Esaiæ 1. Iudicate pupillo, defendite viduam. & Ioan. 7. capitul. Iustum

iudicium

iudicium iudicate: sed prohibet iudicium temerarium, quod est per ∿surpationem, vel quando quis iudicat quantum ad euentum futurum, vel ex incertis, & occultis, de quibus non habemus iudicem, nisi Deum.

DE IVRAMENTO.

IVramentum est affirmatio, ∿vel negatio de aliquo facto, ∿vel fiendo, sacræ rei attestatione firmata, & communiter ponitur duplex: Assertorium, quod fit ad confirmandum aliquod præsens, ∿vel præteritum; & Promissorium, quod fit ad confirmãdum aliquod futurum. Iuramentum assertorium & promissorium in duobus potissimũ inter se differunt primò, quod in iuramento assertorio nõ cadit dispensatio: quia esset contra præceptum Dei, Matth. 5. Reddas Domino iuramenta tua: in iuramento verò ꝓmissorio cadit dispensatio: quia quod nunc est ∿vtile & bonum, successu temporis erit inutile ac nociuum. secundò, quod in iuramento assertorio non attenditur semper honestas facti, super quo iuratur, sed attenditur sola veritas: nam testis iuratus tenetur dicere veritatem super facto adulterij, quod est inhonestum; in iuramento autẽ promissorio semper attenditur honestas facti: ∿vnde si quis iurat de reillicita facienda, tale iuramentum non ligat, & sic iurans mortaliter peccat, & obseruando adhuc grauius peccat.

Iuramentum debitè factum, est actus latriæ, &

iurantem ad eius obseruantiam obligat de iure diuino, vt habetur Matth. 5. Reddas, inquit Christus, Domino iuramenta tua: maior tamen est obligatio voti, quàm sit obligatio iuramenti, vt docet D. Thom 2, 2. quæst. 89. ratio est, quia obligatio voti causatur ex fidelitate: obligatio verò iuramenti causatur ex reuerentia sed grauius peccatū est infidelitas, quàm irreuerentia: quia infidelitas includit irreuerentiam, & non è contrà: ergo obligatio voti est maior, quàm sit obligatio iuramenti.

Iuramétum actus religionis externus, est introductum propter duo, videlicet: ad honorandū Deū & ad controuersias terminandas, vt habetur Hebr. 6, Homines per maiorem se iurant, & omnis cōtrouersię eorum finis, ad confirmationem est iurāmentum: Vnde iuramentum secundùm se est licitum & honestum, Deut. 19. Dominum tuum timebis, & illi soli seruies, iurabisque in nomine eius, & Psalm. 62. Laudabuntur omnes, qui iurant in eum: nam iurans fatetur Deum esse infallibilis veritatis ac omnium notitiam habere: Verùm vt iuramentū non cedat iuranti in malum, debet esse prędictum tribus conditionibus, quæ habentur Ierem. 4. Iurabis, inquit Propheta, viuit Dominus in veritate, iudicio, & iustitia. primò requiritur veritas, hoc est, vt illud, quod iuratur, sit verum. secundò requiritur iudicium discretionis, hoc est quod propter magnam causam iuretur. tertiò, requiritur iustitia, hoc est, vt illud, quod iuratur, sit iustum, licitum &

tum & honestum. quod si aliqua conditio istarum deest, iuramentum eo casu tam iudiciale, quàm extra iudiciale, est illicitum, ac per consequens cedit in malum iurantis & iudicis, qui pro re leui, partibus defert iuramentum.

Nec obstat huic doctrinæ, quod legitur Matth. 5. Non iurate, inquit Christus, neque per cœlum: neque per terrã. & Iacob. 5. Ante omnia, dicit Apostol⁹, fratres mei, nolite iurare; quia in his & in alijs locis non prohibetur iurare simpliciter, vt ex dictis patet, sed prohibetur iurare secundùm quid, nempè per creaturas, ea ratione, ne eis exhibeatur reuerentia, & honor diuinus, ex quo iuramentũ est actꝰ latriæ, qui soli Deo debetur, Exod. 23. Per nomen externorum deorum non iurabis. Item non prohibetur iurare, sed facilitas & consuetudo iurandi, ex qua venitur ad periurium, Eccles. 23. Iurationi nõ assuescat os tuum. Quare iurare per creaturas secundùm se nõ licet, vt docet D. Tho. 2. 2. quæst. 89. & 3. sent. dist. 39. sed benè licet iurare per creaturas in ordine ad Deum, quatenus in eis diuina veritas manifestatur: nam sic vocamus Deum in testimonium veritatis, quæ in creaturis relucet.

Qui indebitè iurat, tribus modis potest peccare mortaliter. primò, quando iurando blasphemat, attribuendo Deo, quod ei non conuenit, vel negando, quod ei conuenit, vel attribuendo creaturæ, quod soli Deo competit. secundò, quando quis iurando nomina, membra Dei & Sanctorum eius

inhonestat

inhonestat tertiò, quando periuratur quocunque modo: quia contra secundum præceptum decalogi: Non assumes nomen Dei tui in vanum.

DE IVRE PATRONATVS.

IVs patronatus est ius honorificum alicui competens in Ecclesia pro eo, quod de cõsensu Episcopi eam construxit, fundauit, vel dotauit: vnde ius patronatus tribus modis acquiritur. primò, quãdo quis fundat Ecclesiam, hoc est, dat fundum ad ędificandum, & eo casu tàm diu durat ius patronatus, quã diu durat fundus. secundò, quãdo quis Ecclesiam ædificat, vel funditùs destructam reparat de consensu Episcopi, & eo casu primus ędificator si fuit requisitus, & recusauit reædificare, perdit ius patronatus, nisi fundum dedisset. tertiò, quãdo quis Ecclesiam dotat, siue ante, siue post consecrationem quod si aliquid magnum Ecclesię aliquis det, non tamen nomine dotis, talis dicetur benefactor illius Ecclesiæ, & non patronus. Quare vnius & eiusdem Ecclesiæ possunt esse tres patroni, vnus ratione fundi, alter ratione ædificij, & tertius ratione dotis.

Patronus Ecclesiæ, intuitu Iuris patronatus, tria sibi acquirit, scilicet: honorem, onus, & vtilitatẽ. Primò acquirit sibi honorem, vt præsentet instituẽdum, & in processionibus primum locum, quòd si Episcopus vel alius Prælatus Rectorem instituat, sine patroni præsentatione, institutio ipso Iure est nulla: fallit tamen, si patronus fuisset negligens in præsentan-

præsentando, quia elapso tẽpore à Iure præscripto, institutio facta ab Episcopo, tenet: nam si patronus est laicus, intra quatuor menses à tempore vacationis; si verò patronus est persona ecclesiastica, vel monasterium. intra sex menses tenetur præsentare secundò fallit, si instituens sit Papa: ipse enim potest Rectorem Ecclesiæ instituere, sine præsentatione patroni. tertiò, fallit in Legato de latere qui potest instituere Rectorẽ Ecclesiæ proprio Sacerdote orbatę, sine præsentatione patroni, vbi patronus est ecclesiasticus, secus si sit laicus. Secundò, patronus Ecclesię intuitu iuris patronatus acquirit sibi onus, quòd sit defensor præcipuus Ecclesiæ, ita vt eam ab omnibus oppressoribus defendat. Tertiò, acquirit sibi hanc vtilitatem, quod si vergat ad inopiã, de bonis ipsius Ecclesiæ debeat alitalias patronus Ecclesiæ nihil potest exigere tuta conscientia in recognitionẽ Iuris patronatus, nisi in fundatione aliquid de consensu Episcopi, sibi reseruasset.

Patronus tenetur præsentare idoneum: vnde qui scienter præsentat indignum, peccat mortaliter, quia infideliter agit in officio sibi cõmisso: Quinimò, si Patronus sit collegium, vel persona Ecclesiastica, pro ea vice priuatur iure præsentandi; secùs si Patronus præsentans sit laicus: quia tales ordinariè circa ecclesiastica non sunt experti. Patronus seipsum præsentare non potest: pater tamẽ potest præsentare filium vel nepotem, si sit idoneus. Quòd si multi sint Patroni, possunt præsentare vnum de

seipsis, &

seipsis,& si in præsentando discordent, eo casu ille debet præfici,qui maioribus iunatur precibus; & à pluribus eligitur,vel durante discordia Patronorũ, Episcopus prouidebit,ne interea Ecclesia aliquam iacturam in temporalibus, minùs in spiritualibus patiatur. Itẽ quando Patroni sunt multi;vel habent hoc ius,vt collegium, vel vt singuli,si primo, vt præsentatio teneat, requiritur maior pars respectu totius collegij,si secundò, sufficit maior pars respectu aliarum partium.

Ius patronatus, secundùm omnes Doctores;trãsit ad hæredes & erit apud quemlibet hæredum insolidùm,etiamsi ex inæqualibus partibus *sint* hæredes,vt inde laici magis inflammentur ad constructionem, dotationemque Ecclesiarum, & licet hoc ius non possit diuidi:tamen vbi sunt plures Patroni,possunt conuenire, vt alternatis vicibus præsentent. Ius patronatus, potest transferri in alium quatuor modis,videlicet:successione, permutatione,donatione,& venditione:nam licet ius patronatus specialiter,absque labe simoniæ vendi nequeat, tamen transit de iure cum vniuersitate, nisi de ipso excipiatur: vnde si ius patronatus ematur cum vniuersitate temporalium, cum qua illud transit, non est simonia.

De Iure Patronatus quę à trid. Synodo decreta sunt leguntur sess. 14.decreto de reform.cap. 12.& sequenti. Item sess. 24. cap. 18,& sess. 25. cap. 9. vbi inter alia hęc vti præcipua, summariè annotare

notare voluimus. primò quod nemo cuiuſuis dignitatis, Eccleſiaſticæ vel ſecularis quacunque ratione, niſi eccleſiam, beneficium aut Capellam de nouo fundauerit & conſtruxerit, ſeu iam erectam de ſuis proprijs & patrimonialibus bonis competenter dotauerit, Ius patronatus impetrare aut obtinere poſſit aut debeat. ſecundo quod non liceat Patrono cuiuſuis priuilegij prætextu aliquem ad beneficia ſui Iuris patronatus, niſi Epiſcopo loci Ordinario ad quem prouiſio, ſeu inſtitutio ipſius beneficij, ceſſante priuilegio iure pertineret quoquo modo præſentare, alias præſentatio ac inſtitutio forſan ſecutę, nullæ ſint & eſſe intelligantur. tertio quod Epiſcopus ſtatim habita notitia vacationis Eccleſiæ ſi opus fuerit idoneum in ea Vicarium, cum congrua eius arbitrio fructum portionis aſſignatione conſtituere debeat, qui onera ipſius Eccleſię ſuſtineat, donec ei de Rectore prouideatur. Porro Epiſcopus, & qui Ius patronatus habet, intra decem dies, vel aliud tempus ab Epiſcopo præſcribendum, idoneos aliquot Clericos ad regendam Eccleſiam coram deputandis examinatoribus nominet. quartò quod preſumentes titulum Iurispatronatus ex fundatione vel dotatione, id authentico documento & alijs iure requiſitis oſtendere teneantur, nec immemorabilis temporis probatio aliter eis ſuffragetur, quam ſi præter reliqua, ad eam neceſſaria, preſentationes etiam conti-

nuatę,

nuate, non minori saltē quàm quimquaginta amorum spatio, quæ omnes effectum sortitę sint, authēticis scripturis probentur: nam vt verbis præfatæ sanctæ trid. Synodi vtar; Sicuti legitima patronatuum Iura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare æquum non est; sic etiā vt hoc colere beneficia ecclesiastica in seruitutem, quòd à multis impudenter fit, redigantur, non est permittendum.

DE IVSTIFICATIONE.

IVstificatio est quædam transmutatio de statu iniustitiæ ad statum iustitiæ, ad quam quatuor necessariò concurrunt, scilicet; remissio peccatorū, infusio gratiæ, motus liberi arbitrij in Deū, & motus liberi arbitrij contra peccatum, & quamius hęc quatuor sint simul tempore, tamen ordine naturæ in iustificatione impij, primum est infusio gratiæ, secundum est motus liberi arbitrij in Deum, tertiū est motus liberi arbitrij contra peccatum, quartum verò & vltimum, est remissio peccatorum, ad quam tota ista transmutatio ordinatur, sicut ad finem.

Peccatum & damnatio nostra habuit originem ad Adamo; iustificatio autem nostra originem habet à Christo, iuxta illud, Rom. 5. Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ; Verùm in sacris literis iustificatio

tio nostra multis attribuitur. Primò, Deo, vt habetur Rom. 3. Deus inquit Apostolus, est qui iustificat impium, secundò attribuitur Christi passioni, Apocal. 1. Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. tertio attribuitur diuinæ gratiæ, Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius. quartò attribuitur fidei, Rom. 3. Arbitramur hominem iustificari per fidem. quintò, attribuitur spei, Rom. 8. Spe salui facti sumus sextò, attribuitur charitati, ad Galat. 5. In Christo Iesu neque circumcisio, neque præputium aliquid valet, sed fides, quæ per charitatem operatur. septimò, attribuitur pœnitentiæ, Ezech. 18. In quacunque hora ingemuerit peccator, omniū iniquitatum eius non recordabor. octauò, attribuitur Sacramentis nouæ Legis, Marc. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. & Ioan. 6. Qui māducat hunc panem, viuet in æternū. nonò attribuitur ministris, Ioan. 20 Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. decimò, iustificatio nostra attribuitur bonis operibus. Rom. 3. Non auditores legis, sed factores iustificabuntur, diuersimodè tamen, Deo primò, & principaliter. Gratiæ formaliter. Fidei, spei, charitati, & pœnitentiæ dispositiuè. Sacramentis instrumentaliter. & Sacerdotibus iustificatio nostra attribuitur ministerialiter.

Iustificatio impij est maximum opus Dei, iuxta illud, Psalm. 144. Miserationes eius super omnia opera eius. & D. Augustinus exponens illa verba,

Ioan. 14.

Ioan.14. Maiora horum faciet, inquit, quod maius opus est, vt ex impio iustus fiat, quàm creare cœlũ & terram. Verùm hic sciet Lector, iuxta doctrinã D. Thomæ 2.2.quæst.113. quod aliquod opus potest dici maius altero dupliciter. vno modo ex parte modi agendi, & sic maximũ opus, est opus creationis, in qua ex nihilo fit aliquid: alio modo ex parte eius, quod fit, & sic opus iustificationis impij, est maius opere creationis: quia iustificatio impij, terminatur ad bonum æternum & supernaturale: creatio verò terminatur ad bonum naturæ mutabilis.

DE LEGE.

LEx est quędam ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet promulgata, cuius iuxta doctrinam D. Thom. 1.2. quæst. 90. septem sunt species, scilicet: æterna, naturalis, Mosaica, Euangelica, consuetudo. canonica, et ciuilis: Verum nunc de triplici lege, nempe naturali. canonica, & ciuili, cæteris omissis intendimus. In lege naturæ, quæ omni lege creata est prior, tria cadunt, videlicet: prima principia, vt nulli esse nocendum, secundùm rationem esse viuendum, & huiusmodi. quędam conclusiones principiorum communium, quæ sunt quasi secundaria principia

vt

vt non occides, depositum reddes, & his similia. tertiò, in lege naturæ sunt quædam particulares determinationes, vt iniquum punies hoc vel illo modo. Lex naturalis, quæ est communis omnibus nationibus, quãtum ad sua prima principia, est omninò immutabilis, quantum ad secundaria principia, lex naturalis, licet vt in pluribus sit immutabilis: tamen in paucioribus potest mutari, vt depositum nõ est reddendum, in casu quod esset damnosum, vt si repetatur ad impugnandum patriam, vel ad occidendnm proximum, quantum demùm ad particulares determinationes, ius naturale est mutabile, & per consequens, non est omnibus commune.

Lex humana, quæ diuiditur in canonicam & ciuilem, dicitur iusta, vel iniusta, ex quadruplici genere causarum. primò, ex fine lex dicitur iusta quãdo ordinatur ad bonum commune, quod est finis eius: est autem iniusta, quando est contraria bono communi. secundò, ex causa efficiente lex dicitur iusta, quando statuens non excedit suam potestatem: iniusta verò dicitur, quando fertur super illos, qui nõ sunt statuenti subiecti. tertiò ex causa formali lex est iusta, quando secundùm æqualitatem proportionis, onera imponuntur subditis in ordine ad bonum commune: iniusta autem, quando onera non imponuntur proportionaliter, sed aliqui alleuiantur, & aliqui nimis notabiliter aggrauantur. quartò, ex causa materiali lex dicitur iusta.

quando est de rebus in se licitis & honestis: iniusta verò quando est de illicitis, puta contra ius diuinum, siue naturale.

Lex humana ad hoc, quod habeat vim obligatiuam in se, siue in communi, quatuor requiruntur. primò, quod sit iusta. secundò, quòd sit debitè promulgata, tertiò, quòd elapsum sit tempus, post quod incipit obligare. quartò, quòd per subditos sit susceptа, & approbata saltem à maiori parte, quod si nō recipitur, & princeps tolerat, non receptio excusat: quia toleratio & dissimulatio principis in actu de iure prohibito, inducit dispensationem, secùs quando princeps non receptionem legis, non tolerat: nam eo casu non receptio legis, subditos non excusat. Ad hoc autem, quod lex obliget, aliget in particulari, puta istum, vel alium hominem vltra prędicta quatuor, qnintum desiderarur, nempe quod eius notitiam habuerit, aut eā sua culpa ignorauerit. vnde si subditus non seruet legem quia eam ignorat absque sua culpa, excusatur etiam in conscientia.

Lex humana, siue canonica, siue ciuilis obligat ex sua transgressione ad peccatum mortale, quia scriptum est, Prouerb 8. Per me reges regnant, Roman. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas nisi à Deo, & qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, & sibi dānationem acquirit. Item Hebr. 13. Obedite, inquit Apostolus, prępositis vestris, & subiacete eis: Verū

lex

lex humana non obligat, sicut lex Dei æterna: nam transgressio in præcepto legis diuinæ semper est mortale, quia præcepta Dei sunt iuris naturalis, & secundùm se necessaria ad salutem: transgressio verò in præcepto legis positiuæ, nõ est peccatum mortale, nisi accedat contemptus, vel consuetudo: quia statuta iuris canonici & ciuilis non sunt de his, quę per se sunt de necessitate salutis, exempli gratia, omnis qui committit homicidium authoritate priuata, peccat semper mortaliter: quia non occidere, cadit sub præcepto Dei, non autem omnis, qui ieiunium tali die non obseruat, semper peccat mortaliter: quia ieiunare tali die cadit sub præcepto positiuo, in quo admittitur exceptio.

Personæ ecclesiasticæ non tenentur seruare leges seu statuta laicorum, quando tales leges disponunt specificè super personis ecclesiasticis, & bonis earum: quia eo casu sunt nullæ, vtpote quia conditæ ab eo, qui non habet potestatem: nullus enim princeps secularis habet authoritatem super ecclesias aut ecclesiasticas personas: fallit tamen hæc doctrina in duobus casibus, primò, quandò lex laicalis est priuilegiatiua: quia potest quis etiam non sibi subditum priuilegiare. secundò, quãdo lex est fundata supernaturali ratione: quia tunc ab omnibus seruari debet etiam à Clericis, nõ ratione legis, sed ratione iustitiæ naturalis: quando verò statuta laicorum disponunt generaliter, non faciendo mentionẽ de personis ecclesiasticis, si nõ possunt seruari

absque peccato, neminem ligant: si verò huiusmodi statuta sunt rationabilia, & non repugnantia sacris canonibus, sunt seruanda etiam quo ad personas ecclesiasticas in materia fauorabili, sicut illud, quod existentibus masculis, mulier non succedat, etiam ad Clericos se extendit, secus quando ius ciuile est contrarium iuri canonico, vel præiudicium personis ecclesiasticis affert, tunc leges ciuiles à personis ecclesiasticis nullo modo ¬veniunt seruandæ.

Multa in Iure canonico per contrariam consuetudinem ¬vel per nouas constitutiones sunt abrogata, seu reuocata, inter quæ sunt ista: primò, quod Clerici inchoent ieiunium quadragesimale immediatè post Sexagesimam. secundò, quòd iuramentũ fiat à ieiuno, & quod non exigatur, neque detur in iudicio, in Quadragesima, Aduentu, & Dominicis diebus. tertiò, quod Sacramentum altaris à ieiunis cõficiatur, excepto die cœnæ Domini. quartò, quòd post sumptum Sacramentum seruetur ieiuniũ per aliquod horas. quintò, quòd volentes communicare, contineant se ab actu coniugali per tres vel quatuor dies. sextò, quòd certa tempora ac interualla in susciendis Ordinibus seruentur, puta ad subdiaconatum ¬viginti anni, ad diaconatum viginti quinque, ad sacerdotium triginta. septimò, quòd sexgradus consanguinitatis in Matrimonio contrahendo seruentur. octauò, quòd omnes in Cœna Domini, & ter in anno, Natiuitate, Resurrectione, & in Pentecoste communicent: hęc enim & alia plura per consuetu-

consuetudinem, vel nouis constitutionibus sunt abrogata seu reuocata.

Princeps legibus suis non est subiectus, quãtum ad vim coactiuam, sed benè quantum ad vim directiuam: quia & ipse secundum iudicium Dei est subiectus, propterea vbi lex sua est iusta, debet eam propria voluntate seruare, secùs peccat. Princeps dicitur esse supra legem: quia potest eam mutare, & in ea pro loco ac tempore dispensare: tamen vbi lex est iusta, princeps sine causa rationabili neq; secũ, neq; cum alijs potest absque peccato dispensare.

DE LOCATIONE.

LOcatio est personę vel rei ad vsum facta concessio, mercede in pecunia numeranda conuenta: conductio verò est personæ vel rei ad vsum acceptio, pecuniariæ mercedis interuentu: vnde locator dicitur, qui sub pecuniaria mercede locat rẽ vel personam suam: conductor autem dicitur, qui huiusmodi accipit soluenti pensionem. Quærenti modò quæ res possint locari. Respõdetur, quòd omnes res, quæ sunt venales, locari possunt, nisi sint seruitutes prædiales, puta iter, actus, via, & alia id genus multa: res tamen venales estimatæ periculo cõducentis, quo ad perditionem & deteriorationem locari nequeũt, sed locator rem suo periculo tradit, secùs talis contractus non esset locatio & cõductio, sed potius venditio & emptio, licet conductor teneatur de damno, ꝙ re locata cõtingit sua culpa.

Prælati religiosi locare nequeunt redditus, vel partem eorum, vel iura, vel possessiones monasteriorum, vel aliarum administrationum sibi cõmissarum, nisi necessitas, vel vtilitas conuentus siue loci exposcat, accedenteque consensu conuentus, vel Superioris, si conuentum non habeant, aliter secundùm iura, ipso facto à suis officijs sunt suspensi. Secundò, neque beneficiati ad longum tempus, puta vltra nouem annos, redditus suarum Ecclesiarum absque licentia Superioris locare possunt, quod si beneficiatus ante tempus locationis elapsum moriatur, locatio extinguitur: quia Clericus comparatur vsufructuario, cuius ius est personale, ideò amittitur & extinguitur cum persona vsufructuarij: vnde si conductor soluit pensionem, nõ eam accipiet à successore in eodem beneficio, nisi sit conuersa in vtilitatem Ecclesiæ: quòd si res locata non est ecclesiastica, tunc successor vniuersalis tenetur stare locationi, secùs tamen si successor est particularis in re locata: fallit tamen, quando locator habuit plenã administrationem, vt si maritus locauit prædium dotale, vel tutores bona pupillorum, mortuo marito, & tutoribus, vxor, ac pupilli adhuc tenentur stare locationi, tertiò, neque Sacerdotibus licet locare operas suas pro diuinis officijs dicendis, absque labe simoniæ: licet tamen eis pacisci cũ aliquo, quod maneant in aliqua Ecclesia, vt ibi celebrent, dummodò non habeant intentionem ad diuina, sed ad mansionem, quàm ibi faciunt, vel ad laborem, quẽ sustinent,

sustinent, vel ad damnum, quod patiuntur ratione morę.

Locator potest expellere cõductorem in quatuor casibus. primò, si domus locata necessaria facta sit suę habitationi, puta quia destructa est domus suæ habitationis, vel duxit vxorem, vel similis necessitas occurrit, facta locatione, & aliter prouidere nõ potest, secùs autem si tempore locationis ipse locator aliam domum non habebat. nam eo casu ante finitum tempus locationis conductorem expellere nõ potest. secundò, si domus eget restauratione, quia ruinam minatur, quam tempore locationis nõ minabatur, quo casu, sicut & in prędcedenti fiet remissio pensionis pro rata tẽporis, vel prospicietur cõductori de aliqua domo ęquè idonea. tertiò, si conductor in domo turpiter viuit, puta tenendo meretrices, vel maleficos, vel lenones, & dominus in locatione, conditionem conductoris ignorabat, quo casu non remittitur pensio, vel si conductor manet in domo cum eius lesione, puta alendo porcos in habitationibus humanis, vel incidendo arbores, vel non colendo agros suo tempore, quo casu non solũ recipitur pensio, sed etiam locator aget contra cõductorem ad interesse de damno sibi dato quartò, locator potest expellere conductorem, si non soluit pensionem terminis constitutis, quod si vult soluere audiendus est.

Remissio seu diminutio pensionis propter notabilem sterilitatem est facienda ad arbitrium boni

viri,quando talis ſterilitas euenit præter conſuetudinem,hoc eſt,caſu fortuito. ſine culpa coloni, puta ex grandine, vel alia aeris intemperie, & non poteſt fieri compenſatio cum fertilitate anni præcedentis vel ſequentis immediatè, durante eadē locatione, ſecùs ſi ſterilitas non contingat caſu fortuito.ſed vitio,ſeu debilitate terrę vel incuria coloni:Penſio autem propter fertilitatem,non eſt augēda,ſi hoc ſit,quia fructus valent plus ſolito,ſicut nec fieret minutio, ſi minus valerent, neque ſi ſit propter induſtriam coloni,ne ſua induſtria ſit ſibi dānoſa,neque ſi contingat propter bonitatem rei, q̄a bonitatem dominus locauit meliori pretio, quàm potuit:ſed benè penſio eſt augenda propter fertilitatem prouenientem caſu fortuito,puta ſi quis locauit molendinum,ex quo cōductor annuatim quinquaginta aureos tantùm accipiebat, & hoc anno accepit centum propter alia molendina deſtructa,fiet augmentum pēſionis pro tata, ſicut fit remiſſio ſeu minutio propter ſterilitatem caſu fortuito contingentem:nam contrariorum eadem eſt diſciplina.

DE LVDO.

LVdus ſiue iocus eſt locutio vel operatio ordinata ad delectationem,&,vt docet D.Thomas.4.ſentent.diſtinct. 16.quæſt.4. artic. 2.triplex eſt,turpis,qui operatione diabolica eſt inuentus,ad inducendos homines ad peccatum, vt ludus theatralis,recreatiuus, qui ad recreationem honeſtè ſit; & lauda-

& laudabilis, siue diuinus, qui ex gaudio deuotionis procedit, de quo Dauid 2. Reg. 6. Ludam & vilior fiam coram Domino. Primus à quolibet debet euitari, tertius à quolibet debet assumi, & secundus potest à quolibet sumi, temperatè tamẽ: in ludis enim recreationis tria sunt cauenda: primò, dicta & facta turpia vel nociua. secundo, resolutio grauitatis: nam in ludis, vt docet Tullius in 1. de offic. datur licentia, quę ab honestis actionibus non est aliena. tertiò, in ludis recreatiuis sunt cauẽdę indebitæ circũstantiæ, secundùm personam, tempus, locum, & huiusmodi; Verùm excessus in ludo recreatiuo ratione turpitudinis, ~vel nocumenti in re notabili, est peccatum mortale: ratione ~verò indebitę circumstãtię, est peccatum veniale, nisi in eo ponatur finis.

Ludus humanus multis modis est prohibitus, quandoque ratione materiæ, in qua fit, quia scilicet est turpis, vel nociua notabiliter, & hoc est mortale. quandoque ratione periculi notabilis corporis, seu animæ suę, vel alterius, quod ex tali ludo probabiliter sequi potest, & hoc est mortale. quandoque ratione circumstantię loci, vt quia fit in loco sacro, & si accedit magna irreuerentia, est peccatum mortale, quia scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur. quandoque ratione personę. Clericis enim & religiosis omnis ludus cum armis, ludus histrionalis, saltationes, choreæ in publico maximè, ludus larualis, ludus alearum, taxillorum, & chartarum in Iure prohibentur, ita ~vt contrafacientes,

facientes, lethaliter peccent: ludus tamen latruncu lorum, siue schacorum Clericis non est prohibitus, sed tali ioco possunt se recreare, dummodò ratione eius diuina officia, ad quæ tenentur, non omittant. quandoque ratione scandali, vt si Clericus ludat in publico, et seculares scandalizarentur, potest esse peccatum mortale, quandoque ratione cupiditatis lucri, vt quando quis ludit ex auaritia, & non luderet cessante spe lucri, & potest esse mortale. quãdoque ratione temporis, puta si quis in Parascene ludat: quia tunc non est tempus recreationis, sed potius doloris & potest esse mortale, propter magnitudinem irreuerentię.

In ludo potest esse peccatũ mortale multis modis: primò, quando quis in delectatione ludi ponit vltimum finem, vt quando homo ita vehementer esset affectus ad Ludum, quod esset paratus facere contra precepta Dei vel Ecclesię, de quibus Sap. 15. Aestimauerunt ludum esse vitam nostrã. secundò, quando quis causa ludi vtitur turpibus verbis vel factis in nocumentum proximi notabile. tertiò, ratione loci vel personę, vt si fiat in loco sacro, vel per Clericum quartò, in ludo potest esse peccatum mortale ratione periculi læsionis corporalis, sicut in torneamentis: Verùm ludi humani, vt alearum, chartarum, taxillorum, saltationum, chorearum, & his similes, secundùm se non sunt mali, & per consequens absque peccato fieri possunt, vt si ad honestam recreationem propriam, vel aliorum, per

perso-

personas, quibus non prohibetur, seruatis seruandis, & non omissis his, quæ quilibet Christi fidelis facere tenetur, fiant.

In tribus casibus homo tenetur restituere illi, à quo est lucratus per omnem ludum, siue ingenio tantùm innitatur, vt ludus schacorum; siue fortunæ, vt ludus alearum; siue sit mixtus ingenio & fortuna, vt ludus tabularum cum taxillis primò, quando est lucratus ei, qui rem suam alienare nõ potuit, tales sunt furiosi, prodigi, minores viginti quinque annis, pupilli, mente capti, surdi, cęci, serui, filijfamilias, Clerici quo ad bona ecclesiastica, religiosi, & vxores: his enim, qui lucrantur restituere tenentur. Secundò, quãdo quis lucratur fraude ac dolo; quia hoc vt furtum reputatur, puta si signatis chartis lusit, vel finxit se inscium ludi; tertiò, quando quis traxit illum, cui est lucratus ad ludum vi, aut nimia importunitate, siue in principio ludi, siue in medio; lucrum enim acceptum ex ludo, his prædictis tribus modis tuta conscientia retineri non potest.

DE LVXVRIA.

LVxuria est quædam solutio in voluptates, & quia voluptates venereæ maximè hominẽ soluunt, ideò ex sententD. Thomę 2. 2. quæst. 153. luxuria primò & principaliter est circa voluptates venereas, cuius sex ponũtur species, fornicatio simplex, adulterium, incestus, stuprum, raptus, & vitium

tium contra naturam. Additur etiam ſacrilegiũ, vt cùm quis abutitur perſona ſacra, ſed iſta propriè non eſt ſpecies luxuriæ: quia poteſt reperiri etiam in alio genere, puta furti & homicidij.

Fornicatio ſimplex, eſt coitus ſoluti cum ſoluta, intellige quolibet vinculo, nempè coniugij, conſanguinitatis, affinitatis, ordinis, religionis, & voti, licet largè accepta ſit omnis coitus illicitus. Adulterium, eſt alieni thori violatio, vt quando vir accedit vxorem alterius, vel è contra. Inceſtus, eſt coitus cum perſona ſanguine vel affinitate coniuncta: vnde inceſtuoſi propriè dicuntur, qui conſanguineis ſeu affinibus abutuntur. Stuprum, eſt illicita virginum deflloratio. Raptus, eſt violentia facta mulieri, vel parentibus propter coitum aſſequendum, etiam matrimonialem. Vitium contra naturam, eſt actus venereus repugnans nedum rectæ rationi, ſed etiã ipſi ordini naturali actus venerei, qui humanę ſpeciei cõuenit, & hæc ſpecies luxuriæ tres ſpecies ſpecialiſſimas ſub ſe continet: prima dicitur mollities, quæ eſt, cùm quis ſine coitu ſpontè polluitur. ſecunda dicitur ſodomia, quæ eſt, quando debitus ſexus non ſeruatur, tertia dicitur beſtialis quæ eſt, quãdo coitus fit cum re alterius ſpeciei; omnis ergo actus venereus, excepto coniugali, de ſe eſt peccatũ mortale, vt habetur expreſsè ad Galat. 5. Non ſolùm vbi opus exterius perpetratur, ſed etiam ſi ipſa perpetratio deliberetur, Matt 5. Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus

tus est eam in corde suo.

Fornicatio simplex, secundùm omnes Doctores est peccatum mortale, ex quo hominẽ à regno Dei excludit, 1. Cor. 6. Fornicarij regnum Dei nõ possidebunt. in Clerico autem vltra peccatum mortale, fornicatio inducit depositionem, si monitus non vult corrigi, & iam vigore decreti Concilij. Trid. sess. 25. de reform. cap, 14. Clerici concubinarij post primam admonitionem, si non desistunt, tertia parte suorum reddituum ipso facto sunt priuati; post secundam admonitionem. si non resipiscunt, veniunt ab administratione suorum beneficiorum suspendendi; quòd si adhuc in peccato perseuerẽt, tunc suis beneficijs, officijs, & pensionibus quibuscunque ecclesiasticis, perpetuò priuantur, & inhabiles ad quęcunque officia, beneficia, honores, dignitatesque in posterum redduntur. donec post manifestam vitę emendationem, ab eorum Superioribus, cum ijs ex causa, visum fuerit dispensandum; De adulterio vide suprà suo loco fol. 19. Incestuosi, qui consanguineis Vel affinibus abutuntur, secundùm Ius canonicum, duplicem pœnam incurrunt, vna est, quòd tales priuantur facultate contrahendi Matrimonium, quod si contrahant absque dispensatione, peccant mortaliter: Matrimonium tamen tenet, nisi subsit aliud impedimentum; altera est, quòd tales absque peccato non possunt exigere debitum à propijs vxoribus, quas habuerunt ante incestum commissum: vxori tamen petenti,

tenti, ipsi tenentur reddere debitum, & non è contrà. Stupratores, qui virgines illicitè deflorant, lege diuina iudiciali, vt habetur Exod. 22. tenentur illas ducere in vxores, & dotare; secundum ius canonicum, stuprator, si virginem seduxit, tenetur eã dotare & ducere in vxorem, vel saltem dotare, si pater noluerit eam illi tradere, secùs si sponte virgo acquieuit, & volens, eo casu in foro conscientiæ stuprator non tenetur ad dotem: sed duntaxat hęc pœna canonica incurritur in foro conscientiæ, quãdo virgo mendacijs ac promissionibus fuit deflorata; secundùm ius ciuile, stuprator debet relegari, & dimidia pars bonorum eius publicari, quòd si reus est vilis, debet verberari siue cedi virgis, & si vis accessit, debet capite plecti. Raptores, secundum ius ciuile, capite puniuntur, similiter omnes fautores raptorum, etsi raptor ingenuam rapuit, etiam suã substantiam perdit, secùs si ancillam vel seruam rapuit: nam eo casu punitur quidem capite, non tamen amittit sua bona respectu successorum. secundùm ius canonicum raptores & fautores excõmunicantur & efficiuntur serui raptæ vel patris. Verũ in quatuor casibus raptor excusatur à crimine raptus, & per consequens non incurrit pœnas prędictas: primò, quando præcessit tractatus de nuptijs, & puella pro Matrimonio contrahendo fuit abducta, vt sic liberius posset contrahere. secundò, quãdo quis rapuit propriam sponsam: nam ex desponsatione vir habet aliquod ius in suam sponsam: tertiò,

tiò, quando puella consentit in Matrimonium, etiã contra voluntatem parentum, secùs si consentiat solùm in rapinam. quartò, quando quis rapuit mulierem inhonestam atque impudicam: in his enim casibus non committitur vere raptus, & propterea tales nequeunt puniri vt raptores. Vitium contra naturam, secundùm Ius ciuile, vltimo supplicio punitur; secundùm Ius canonicum, si reus est Clericus, deponitur, & accedente incorrigibilitate, intruditur in aliquo monasterio ad perpetuam pœnitentiam peragendam; si verò reus est laicus excõmunicatur, huius peccati grauitas, habetur Genes. 11. & ad Romanos 1. cap. Qui talia agunt, digni sunt morte,

Sacrilegium prout est species luxuriæ, multis modis committitur. primò, si coitus habetur in loco sacro. secundo, si coitus habetur cum persona Ecclesiastica, vt si mulier cum Clerico, vel laicus cum moniali, & talis secundùm constitutionem Iustiniani Imperatoris, capite plectitur. tertiò, quando quis abutitur persona sibi coniuncta spirituali coniunctione, quæ quidem cognatio spiritualis contrahitur inter aliquas personas in catechismo, in Baptismo & in Confirmatione.

DE MALEFICIO.

MAleficium, de quo nunc intendimus, nil aliud est, quàm nocumentum illatum homini, vel rebus à diabolo ad requisitionem malefici; maleficus autem, vel malefica dicitur, qui nocumentum procurat fieri proximo, siue rebus eius à diabolo, pacto expresso vel tacito interueniente. Ad hoc genus maleficij reducitur omnis diuinatio, incantatio, alligatura, sortilegium, & omnes aliæ artes *diabolicæ*, quæ debent esse alienæ ab omni viro Christiano.

Primò querenti, ad quid se extendat scientia diaboli? Respondetur, quòd damones tripliciter veritatem cognoscunt, scilicet; per naturam, per reuelationem, & per experientiam: ita vt quilibet ipsorũ cognoscat virtutes omnium cœlorum, stellarũ, volucrum, quadrupedum, piscium, arborum, herbarum, metallorum, lapidum, & eleementorum, illisque omnia corpora inferiora, quantum ad motum localem ad nutum obediunt: mouere tamen totam terram, aut vnum aliud elementum nequeunt: quia hoc esset euertere ordinem nãturę, licet possint mouere turrim siue montẽ: quinimò naturaliter tanta celeritate moueri possunt, vt in tempore inperceptibili ab oriente in occidentem, & ab occidente in orientẽ, nullo medio pertransito moueri queant, cum

cum suum moueri sit suum operari, & per consequens possunt aliquod corpus celerrimè deferre, & vt paucis rem totam complectar, dæmones circa corpora inferiora, possunt omnia possibilia per motum localem, aut per applicationem virtutum actiuarum naturalium, vt pluuias, ventos, grandines, & alia id genus, similiter aerem condensare, illum fugare, & in eo apparere in forma viri, aut mulieris, vel bestiæ, ex permissione diuina.

Secundò quærenti, ad quid se extendat potestas diaboli specialiter circa hominem? Respondetur, quod potestas diabolica, Deo permittente, circa hominem ad multa se extendit. primò, demones possunt priuare hominem vsu rationis: quia possunt omnes humores hominis mouere, & reducere ad caput. secundò, possunt immutare hominis voluntatem, non quidem directè mouendo; sed persuadendo, passionesque cõcitando. tertiò, possunt agere in nostra phantasmata applicando suam virtutẽ, & disponẽdo vt homo dubitationes percipiat, quas soluere nesciat, vt accidit in scrupulosis, qui sepè ineptissimè errant & falluntur. quartò, possunt ipsum hominem ad aliquod peccatum efficacissimè inclinare, reducendo ad imaginationem illa phantasmata, quæ habent allicere concupiscentiam vel irascibilem concitare. quintò, possunt inducere infirmitates in corpus humanum, vt patet de Iob. sextò, possunt inferre nocumentum rebus

humanis, vt patet Iob, quem diabolus omnibus bonis suis expoliauit, septimò, dæmones possunt immutare omnes sensus hominis, tàm interiores, quã exteriores, ita vt homo decipiatur apprehendendo rem aliter quàm sit, quod fieri potest multipliciter, primò, per hoc, quòd diabolus ex aere format corpora, & ostendit quę non sunt. secundò, applicando per motum localem quædam actiua naturalia, quæ hoc facere possunt: nam inquit D. Thomas, quòd sit quædam herba, quæ fumigans, facit trabes apparere serpentes. tertiò, reducendo spiritus, qui sunt in homine ad phãtasiam, & eam suo modo immutãdo. vt patet in phreneticis, arreptitijs, & insanijs. quarto, per acrisiam, vel per aorosiam, quę est cęcitas, qua homini quędam cælantur, sicut oculi discipulorum euntium in Emaus tenebantur, ne Iesum agnoscerent.

Tertiò quærenti, qui sint effectus maleficorum virorum, siue maleficarum mulierum, quę expressè vel tacitè pactum habent cum dæmone? Respondetur, quod omnes effectus istorum diabolicorum hominum reducũtur ad quinque, aut sunt diuinationes, aut sunt infirmitates, aut sunt sanationes, aut sunt falsæ apparitiones, aut effęctus mirabiles, & iudicio vulgi impossibiles. Quantum ad diuinationes, ex sententia omnium Theologorum, dæmones possunt scire & docere futura, item cognoscere pręsentia & occulta omnia, nisi à Deo prohibeãtur: exceptis cordium cogitationibus: vnde dæmones

sciunt

sciunt omnia consilia principum, & tractatus hominum, ideò possunt prædicere & docere futura, puta bellum, caritatem annonæ, mortem alicuius, & huiusmodi: quia subitò mouentur & subitò nunciant. Quantum ad infirmitates & sanationes, dæmones ex quo sciunt omnia proficua & nociua, ea quę possunt à longissimis partibus afferre, & locis opportunis applicare, siue visibiliter, siue inuisibiliter, exterius & interius, ideò possunt inducere infirmitates & sanitates corporales. Quantum ad apparitiones, dæmones ex quo possunt per aeris condensationem formam, quam voluerint oculis ostendere, propterea in diuersis figuris apparere possunt, licet sępè ex diuina prouidentia cogantur apparere aliter, quàm velint, puta in figuris bestiarū. Quantum ad effectus mirabiles, tales quandoque faciunt, quod quis euomat acus, clauos, pilos, ossa magna, vel plumas ingenuosissimè consertas, vel fiant subitò tonitrua, grandines, & huiusmodi, vel per illusiones, ita vt videantur ea quæ non sunt, vel per aeris condensationem, siue accrisiam, quod si sint vera, ipsi dæmones huiusmodi inuisibiliter stomacho intulerunt, & inde visibiliter educunt, nec obstat, quod videantur ita magna: quia possunt ea diuidere & integrare saltem apparenter, cum hæc corpora inferiora, partesque eorum ad nutum moueantur ab eis, & inuicem conglutinentur.

Quartò quærenti, quommodò maleficia possint auferri & solui? Respondetur, quòd tribus modis.

primò, diuina virtute immediatè vel mediatè: nam quandoque Deus huiusmodi maleficia à diabolo illata, immediatè soluit; quãdoque verò Deus talem virtutem tribuit Angelis bonis & sanctis viris, qui talia per orationes, ieiuniũ, & adiurationes, destruunt. secundò, virtute naturali angeli mali, si sit natura superior angelo malo authore maleficij; quia angeli mali natura superiores habent authoritatem in inferiores, ita vt possint eos alligare quibusdã corporibus, puta annulis vel ampullis, aut libro, soluere, & à corpore expellere, licet non ab anima: quia tunc regnum satanæ esset diuisum, ergo per consequens possunt remouere actiua naturalia, per quæ inferiores angeli mali agunt maleficia. tertiò, virtute naturali Angeli boni, qui natura est superior angelo malo authore maleficij: quia si potest angelus malus natura superior: ergò & Angelus bonus natura superior, idem virtute sua naturali præstare poterit: homo enim ex se siue proprijs suis viribus naturalibus, non potest soluere maleficium factum à dæmone: quia sic homo est minoris potestatis, quàm sit diabolus, vt testatur Iob in suo lib. ca. 41. Non est potestas super terram, quæ comparetur ei; licet diuina gratia adiutus, homo omnia opera diabolica destruere possit, vt fit per deuotas orationes, ieiunium & adiurationes.

Quintò quærenti, an liceat soluere maleficia per aliquam incantationem, siue obseruantiã? Respondetur, quòd non licet, & qui inducunt aliquem ad

hoc

hoc faciendum, peccant mortaliter, similiter qui ꝓ auferendis, siue soluendis huiusmodi maleficia, ma leficos, seu sagas accedunt & consulunt, nam legitur Leuit. 20, Anima, quę declinauerit ad magos et ario los, ponam faciem meam contra illam, & interficiam illam.

DE MARTYRIO.

MArtyrium idem est quod testificatio Christianæ veritatis, sicut martyr Græcè, Latinę dicitur testis Christi, eò quòd tales in suis corporibus ꝟsque ad mortem testimonium veritatis, seu doctrinę Christi perhibent; ꝟnde ad hoc, vt aliquis Christi martyr propriè dicatur, tria necessariò requiruntur. primò requiritur pœna, non quæcunq; sed quę est mors, vel ex qua sequitur mors. secundò requiritur causa, id est, veritas fidei, vel opus virtutis, ita quòd dicta pœna sustineatur pro cõfessione fidei Christi, aut pro bono opere faciendo, ꝟel peccato vitando. tertiò requiritur ꝟoluntas, ita ꝟt voluntariè dicta pœna sustineatur: vnde innocentes propriè nõ fuerunt martyres, sed ex gratia, quia ipsi voluntariè mortem propter Christũ, non sunt passi, prout docet D. Thom. 2. 2. quæst. 124.

Sustinere martyrium propter Christum, quandoque est de precepto, vbi hoc salus aliorum exigit: nam eo casu homo debet esse paratus profundere vitam, & sustinere omne martyrium, iuxta charitatis ordinem, qui expostulat, vt homo magis

animam proximi, quàm proprium corpus diligat: vnde si Prælatus animaduerteret, quòd ex sua fuga sequeretur dispendium notabile in fide, eo casu tenetur ex præcepto sustinere mortem, sicut fecit B. Thomas Cantuariensis: quandoque sustinere martyrium cadit sub consilio, vt quando solùm opportunitas manifestandi gloriam Dei, ædificandique Ecclesiam adest, & non agitur de salute animarum simpliciter, neq; de dispendio in fide Christi, eo casu martyriũ est supererogationis, & nõ necessitatis.

Martyrium oblatum patienter tolerari debet: tamen quæri non debet; quia occasio agendi iniustè dari non debet, intellige sine necessitate. secùs ex necessitate: sicut licitum est indigenti accipere mutuum ab vsurario, & mulieri pulchræ adire Ecclesiam, sub oculis lasciuorum, quos euitare nõ potest: quia tunc est occasio peccati accepta, & non data, quæ est absque omni culpa.

DE MATRIMONIO.

MAtrimonium est coniunctio legitima viri & mulieris, iudiuiduam vitę consuetudinẽ retinens primò dicitur coniunctio, scilicet animorum, & in consensu, qui est causa Matrimonij, & sine quo Matrimonium non est. Insuper dicitur coniuuctio: quia ex Matrimonio aliqui ordinantur ad vnam generationem ad vnam educationem prolis, & ad vnam vitam domesticam. secundò dicitur legitima, hoc est, legibus non contraria. tertiò, dicitur viri & mulieris, & non

dicitur

dicitur virorum & mulieris, neque viri & mulierum: quia nec vnus vir plures vxores, nec vna mulier plures viros de Iure habere potest, licet in veteri lege, Deo dispensante, ad multiplicandum genus humanum, quandoque vnus plures vxores simul habuerit. quartò, dicitur indiuiduam vitæ consuetudinem retinens, intelligendo de Matrimonio consummato inter fideles, quod nullo modo separari potest: nam Matrimonium infidelium non est omninò firmum, nisi ratificetur per fidem Christi, ideo aliquo casu potest dissolui, sicut docet D. Thomas 4 sent. dist. 39. similiter Matrimonium ratum & non cõsummatum, inter fideles, aliquo casu potest dissolui, puta per ingressum religionis approbatæ secuta professione.

Causa prima efficiens Matrimonij est Deus illud instituens: instrumentalis verò, est consensus; forma sunt verba, siue nutus, vel alia signa exprimẽtia consensum; materia sunt actus exteriores tantũ personarum legitimarum; finis Matrimonij principaliter est proles generanda & educanda, deinde vitatio fornicationis, mutuum obsequium, fides et Sacramentum: vnde ex his patet, Matrimoniũ esse officium naturæ ad generandum, esse remedium contra concupiscentiam, & esse Sacramentum, ex quo vnionem Christi ad Ecclesiam significat. Quare in Matrimonio, sicut in cæteris Sacramentis noue legis, dantur tria, scilicet: Sacramentum, res, res & Sacramentum simul. In Matrimonio Sacramen-

tum tantum, sunt actus exteriores; res & Sacramẽtum simul, est obligatio mutua; res tantùm, est vnio Christi ad Ecclesiam, significata per Matrimoniũ, vt docet D. Paulus ad Ephes. 5.

Matrimonium vt est in officium generãdi prolem, quæ erat necessaria etiam peccato non existẽte, institutum fuit à Deo ante lapsum Adæ, dicente. Genes. 1. Crescite & multiplicamini, vt est in remedium peccati, fuit institutum post peccatum, tẽpore legis naturæ. secũdùm determinationem personarum contrahentium, institutum fuit in lege Moysi. secundùm quod est Sacramentum repræsentans coniunctionem Christi & Ecclesiæ, institutum est in lege euangelica, sicque acceptum Matrimoniũ, est vnum Sacramentũ nouæ legis, vt testatur Apostolus ad Ephes. 5. & definitiones sacrorum Conciliorum, Florentini decret. 5, & Tridentini sess. 24. can. 1.

De ratione atque integritate Matrimonij, sunt quatuor. primò, sunt personæ legitimę, hoc est, quæ legibus matrimonialiter coniungi non prohibentur: nam in Iure aliquæ personę à Matrimonio repelluntur, vt suprà docuimus in titulo de Impedimento, fol. 223. secundò, de ratione Matrimonij, st mutuus consensus, tertiò, est expressio cõsequẽs per verba de præsenti, vel equiualentia signa; quãdoquidem solus consensus interior, non sufficit. quartò, de ratione Matrimonij sunt bona excusantia actum ipsius, ne sit malus, & ponuntur tria, scilicet

cet fides, ne coniunx cùm alia, vel alio miſceatur; proles, ſcilicet, vt amanter ſuſcipiatur, religioſeque educetur; & Sacramentum, ſcilicet, vt Matrimonium non ſeparetur, & hæc tria adeò ſunt ſubſtantialia coniugio, quod conditio contra aliquod eorũ appoſita, vitiat contractum Matrimonij; concubitus, ſeu copula carnalis, non eſt de perfectione & integritate Matrimonij eſſentiali; quia ſine ea Matrimonium tenet, & eſt ¬validum, ſed eſt de perfectione *M*atrimonij accidentali, quia per eam Matrimonium efficitur conſummatum, ſicut puer per deductionem ad quantitatem perfectam, efficitur vir conſummatus, qui tamen puer exiſtens, habebat totam ſuam perfectionem in eſſe primo, quæ reſpicit hominis eſſentiam.

Matrimonium ¬vt teneat, & in foro animę, & in foro exteriori, debet eſſe celebratum in facie Eccleſię, adhibitis etiam ſolennitatibus Iuris. primò, vt mulier ſeu virgo petatur ab his, qui habent curam eius. ſecundò, vt à propinquis ſponſetur, & dotetur. tertiò, vt ſuo tempore à Sacerdote benedicatur. quartò, quòd ãte publicè in Eccleſijs p Preſbyteros fiant proclamationes, ¬vt, ſi qui voluerint opponere, poſſint: vnde Matrimonium clandeſtinũ quod contra Eccleſiæ prohibitionem generalẽ ¬vel ſpecialem, expreſſam vel tacitam fit, ſemper Eccleſia Catholica damnauit atque deteſtata eſt: ita ¬vt de conſuetudine generali ſit caſus Epiſcopo reſeruatus: Verum ante Concilium Tridentinũ Matrimonia

monia clandestina, vbi liber consensus contrahentium accedebat, erant rata & ~vera: sed iam contrahentes clandestinè, non solùm peccant mortaliter, verùm etiam Matrimonium sic contractum, est irritum & nullum, non tantùm in facie Ecclesiæ, sed etiam in foro conscientiæ; quia modò vigore decreti sacri Concilij Trid. sess. 24. de reform. Matrim. c. 1. personæ ad sic contrahendum sunt redditæ inhabiles; sicut duæ personæ sanguine iunctæ, vsque ad quartum gradum sunt inhabiles, ad contrahēdum Matrimonium. quod si contrahant, Matrimonium est nullum, etiam in foro animæ.

Matrimonium contrahere potest *quilibet*, qui est debitæ ætatis, sanę mentis, & lege non prohibitus: ætas autem legitima in Matrimonio contrahēdo, ex sententia omnium Doctorum, in puero est quatuordecim annorum, in fœmina est duodecim annorum completorum, quòd si antè contrahant, erunt sponsalia, sed non Matrimonium, nisi tales essent pubertati proximi, & malitia suppleret ætatem: proximitas enim ætatis ad contrahendū Matrimonium, vt sit validum sola non sufficit, sed requiritur etiam proximitas pubertatis; & malitia, id est, vigor naturalis, siue potentia coeundi. secundò, ad contractum matrimonialem requiritur sanitas mentis, ~vt quis possit consentire: ~vnde furiosi, nisi habeant lucida interualla, & ebrij contrahere nequeunt. tertiò requiritur, quòd tales contrahere legibus non prohibeantur: qui autem à Matrimonio

repellantur

repellantur, dictum est suprà in titulo de Impedimento. Quid si quis habens legitimam ætatem: tamen impotens ad coitum contrahat, vtrum Matrimonium esset ualidum, atque teneret? Respondetur, quòd sic, & eo casu expectanda esset perfecta pubertas in adolescente, quę est in decimooctauo anno, & tunc si esset impotens ad coitum, & mulier instaret propter dissolutionem Matrimonij, dissolutio fieri posset: quia in tali casu præsumeretur impedimentum esse perpetuum:

Matrimonium non solùm inter præsentes sed etiam inter absentes, per procuratores, siue nũcios contrahi potest, sicut legitur fecisse Isaac cum Rebecca: verùm vt aliquis sit idoneus procurator in hac re, debet habere speciale mandatum, in quo persona, cum qua Matrimonium contrahi debeat, exprimatur, nec talis potest alium substituere, nisi ei specialiter sit cõmissum, quod si fuit reuocatus antequàm contraxit, licet ille, vel illa, cum qua contraxerat, hoc ignorauerit; tamen hoc non obstante, Matrimonium posteà contractum, non tenet in foro animæ, etsi constat de dissensu, neque in foro exteriori potest cogi ad consummationem talis Matrimonij. Modus autem contrahendi sponsalia per procuratorem est iste, dicet procurator: Promitto tibi de mandato Domini mei N. & nomine eiusdẽ, quòd ipse te ducet in uxorem, & hoc in animam suam iuro: vice versa dicet puella: Promitto tibi nomine domini tui N. recipienti, & sibi per te,

quod

quod ego ducam ipsum in virum, & hoc iuro. In Matrimonio verò de præsenti contrahendo per procuratorem, sic est dicendum: Dominus meus N. per me accipit te, & consentit in te tanquam in vxorẽ suam; & vice versa dicet puella: Et ego te mediante dominum tuum N. recipio in meum virum, & in eum consentio, tanquam in dominum & maritum. De Impedimentis Matrimonij, & de Diuortio, vide suprà in proprijs locis.

DE MEDICINA.

ARtis medicinę primi authores, vt refert D. Antoninus 3. part. suę Summæ, tit. 7. fuerũt Apollo, & AEsculapius quos secuti sunt Hippocrates, Galenus, Auicenna, & alij antiqui medicinæ artis scriptores, quæ ars de se est licita, honesta, ac homini necessaria in hac vita mortali, Eccles. 38. Honora medicum propter necessitatem, &c. Confirmatur, quia & sancti viri huiuscemodi artem exercuerunt, vt Lucas Euangelista, ad Colos. 4. Salutat vos, inquit Apostolus, Lucas medicus charissimus.

In medico, vt suam artem absque peccato exerceat, quatuor potissimùm requiruntur: primò quòd sit peritus, ita vt communiter à peritis illius facultatis idoneus reputetur; vnde si medicus ex notabili ignorantia procedat, non sequendo traditiones artis, & si sanitas sequatur, peccat mortaliter; quia exponit se operi, vnde potest sequi notabile nocumentum proximo, intellige, si talis assumpsit officium

cium ¬voluntarie, secus si ex necessitate ac bona fide fecit quod potuit, alijs medicis deficientibus. secundò requiritur, quòd sit diligens: vnde medicus etiam peritus notabiliter, negligens in reuidendo libros, inuisendo infirmos, ¬vel in qualitate rerum medicinalium, & huiusmodi, si sequatur magna aggrauatio infirmitatis, peccat mortaliter, quod si sequatur mors, non solùm lethaliter peccat, sed etiá fit irregularis. Dicitur autem medicus diligens, quando sequitur traditiones artis, ¬visitat ęgrotos personaliter, & eis modum ¬viuendi prę|scribit, tertiò requiritur, quò habeat intentionem rectam: ¬vnde medici, qui, vt plus lucrentur, extendunt & protrahunt curam, peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem: idem dic, quando fouent malitias aromatariorum, quibus medici, vt sint tuti in conscientia, non debent fidere, nisi sciant, illos esse viros probos, peritos, & practicos in sua professione. quartò requiritur in medico, quòd ante omnia, iuxta canonicam sanctionem, moneat infirmos de sacramentali Confessione peccatorum Sacerdoti facienda, sita vt ¬vbi infirmo de spirituali salute prouisum fuerit, ad salutem corporalem commodius, atque melius procedatur, contrafacię|tes ¬verò, peccant mortaliter, quia hoc cadit sub p̄|cepto Ecclesiæ: legitur enim in decreto: *Districtè* præcipimus. His accedit, quòd vt medici suam artem absque peccato exerceant. debent accipere salarium moderatum, hoc est, prequalitate curæ, laborum,

laborum, industriæ, pro facultate infirmi, & consuetudine loci.

In conferendis medicinis corporalibus, pariter medicus ne peccet, quędam obseruare debet. primò, ne det medicinas, de quibus illi secundùm artem, non constat. secundò, non debet dare medicinam prægnanti, vt abortiatur: quia hoc est peccatū mortale, maximè si fiat vt peccatum lateat. tertiò, medicus obseruare debet, ne vnquam det medicinam corporalem contra salutem animæ, quia anima corpori semper est prędferenda. vnde peccatum est consulere fornicationem, siue ebrietatem pro salute corporali consequenda, eodemque pede claudicant illi medici, qui sine causa rationabili, ex aliquo humano respectu, vel mentis dissolutione, abstinentias carnium, vel Ecclesiæ ieiunia dissuadēt, secus si id faciunt ex causa rationabili, credita, aut saltem dubitata. quartò, medicus tenetur pauperibus non valentibus soluere, nec per se, nec per alios magis coniunctos, gratis mederi, medicinasque corporales dare: tamen non tenetur eos quærere, sed sufficit, si occurrentibus, aut vocantibus subueniat.

Ars medicinæ aliquibus in Iure prohibetur: primò, Clericis existentibus in sacris, & etiam constitutis in minoribus, si sint sufficienter beneficiati: nam eo casu non licet eis operari in medicina physica, nisi gratis pro miserabilibus personis, vel consanguineis, & vbi nullum est periculum probabile vitę:

le vitæ: Officium autem chirurgi, quod inciſionem vel aduſtionem requirit, omnibus Clericis, tã exiſtentibus in ſacris, quàm in minoribus, ſimpliciter eſt interdictum: vnde Clericus contrahit irregularitatem, vbi eam laicus non contraheret, quia dat operam rei illicitę. Quare medici, phyſici, & chirurgi, ſi nihil de contingentibus omiſerunt, & habent de hoc conſcientiam probabilem, poſſunt promoueri ad ordines. ſecundò, ars medicinæ prohibetur Iudæis erga Chriſtianos; verùm quando accedit neceſſitas, puta quia non poteſt alius haberi, eo caſu ſi Chriſtianus vtatur opera Iudęi medici, excuſatur à peccato. tertiò, ars medicinæ, ſecundùm Iura ciuilia, ſeu imperialia, prohibetur illegitimis, & nõ iuratis; tales enim abſque diſpenſatione ad practicam medicinę admitti non debent.

DE MENDACIO.

MEndacium eſt falſa ſignificatio vocis cum intentione fallendi; vnde ad perfectam rationem mendacij duo requiruntur, ſcilicet, falſitas eius, quòd enunciatur, & intentio fallendi, quod ſi dicatur falſum, & deſit voluntas, adhibitaque ſit diligentia, propriè non eſt mendacium, quia mendacium propriè conſiſtit in voluntate dicendi falsum, non quidem recitatiuè, neque repręſentatiuè, ſed aſſertiuè. In mendacio ergo duo cadunt, materiale, & formale; materiale in mendacio eſt falſa enunciatio; formale verò eſt intentio fallendi. mendacium

cium ratione primi, potest esse sine peccato: ratione autem secundi, semper est peccatum, si non mortale, saltem veniale.

Mendacium communiter ponitur triplex, scilicet, iocosum, officiosum, & pernitiosum, Iocosum est, quod nulli nocet, sed tantùm delectandi gratia dicitur. Officiosum est, quod nulli nocet, & alicui prodest, huius generis fuit mēdacium obstreticum AEgypti. Pernitiosum est, quod cum iniuria & iactura alterius dicitur. Mendacium primo & secūdo modo sumptum, est saltem peccatum veniale: mendacium verò tertio modò acceptum, ex genere suo est peccatum mortale, vt habetur Psal. 5. Perdes omnes, qui loquuntur mēdacium, & Sap. 1. Os, quòd mentitur, occidit animam: licet quandoque possit esse veniale, vel propter imperfectionem actus, vel propter modicitatem nocumēti. Quod omne mendacium etiam officiosum sit peccatum, habetur Eccles. 7. Noli velle mentiri omne mendacium. Quare mendacium per se est prauum & fugiendum, ideò falsum est, quod aliqui asserunt, nēpè, quod quandoque liceat mentiri ob magnā vtilitatem assequendam, vel magnum malum euitandum, iuxta illud Roman. 3. Quidam aiunt, faciamus mala, vt veniant bona, quorum damnatio, inquit Apostolus, iusta est.

Mendaciū potest esse peccatum mortale tripliciter. primò, ratione materiæ, vt si sit circa res diuinas, vel bonum proximi, puta circa fidem, vel mo-

res:

res : quia tunc contrariatur charitati Dei & proximi. secundò, ratione finis intenti, puta si sit in iniuriam Dei, aut in nocumentum notabile proximi, siue quantum ad personam, siue quantum ad bona, siue quantum ad famam. tertiò, mendacium, potest esse peccatū mortale p accidens, hoc est, ratione scandali, vel damni inde probabiliter consequentis, vel ex circumstantia iuramenti, siue iudicij quia mortale est, falsò iurare, & mentiri in iudicio, seruato ordine Iuris.

Celatio veritatis, quando homo non est obligatus, respondere secundùm intentionem alicuius, in quatuor casibus potest esse licita, primò, quando id quod dicitur, est verum in vno sensu, licet nō sit verum in alio, in quo capitur ab audiente, sicut Abraham dixit, vxorem esse sororem, Genes. 12. cuius dictum fuit verum in vno sensu quia erat filia fratris, quę iuxta phrasim veteris legis, soror dicitur; non fuit verum in alio, in quo captum est, quia non erat filia parentum Abrahæ. secundò, quando ad eandem interrogationem possunt dari multæ responsiones, daturque vna, & altera tacetur, sicut fecit Samuel, 1. Reg, 15. qui venit in Bethlehem principaliter ad inungendum Dauid in regem, & secundariò ad sacrificandum : interrogatus tamen, ad quid venisset, respondit de causa secundaria; scilicet, quòd venisset ad sacrificandū, tacēs de principali, nempè quod venisset gratia vngendi Dauid in Regem, tertiò quod locutio est ambigua, habens

duplicem sensum, in vno quorum est vera, & in altero falsa: sicut Tob. 5. Angelus interrogatus, quis, & de quo genere esset, respondit, ex filijs Israel ego sum Azarias Ananiæ magni filius: quę verba sunt vera secundùm interpretationem illorum vocabulorum; falsa verò secundùm sonum illum externũ, similiter Christus Ioan. 8. non negauit se esse Samaritanum, id est, custodem, secũdùm nominis interpretationem. quartò, licet celare veritatem, quãdo quis interrogatur de aliquo, quod dicere non expedit, & eo casu quis potest dicere, se illud nescire, puta vt alteri dicat; sicut legitur Mar. 13. Dominum dixisse se nescire diem iudicij, puta vt alijs ipsum reuelaret; Celatio autem veritatis in tribus casibus potissimùm, est peccatum, & illicita. primò quando scandalum posset ex ipsa oriri, secundò in iudicio vero, ac iusto, tertiò vbicunque quis tenetur confiteri veritatem, de qua interrogatur, & si ad illud tenetur ex præcepto, eo casu celatio illa esset peccatum mortale,

DE METV.

METus est trepidatio mentis causa instantis, vel futuri periculi, & communiter ponitur duplex, scilicet leuis, & iustus. Leuis dicitur, quia cadit in virum leuem, timentem vbi non oportet: Iustus verò dicitur. qui cadit in constantem virum. Metus primi generis nullo modo excusat à peccato; Metus autem secundi generis, non excusat quidem

dem à toto, quia ad peccatum nullus iustus metus cogit, sed solùm à tanto, quia quod metu fit, quantum ad aliquid, non est voluntarium. Verùm clarius dicimus quod metus iustus in his, q̃ sunt mortalia de se, puta quia naturali, vel diuinò iure, sub p̃cepto sunt prohibita, non excusat à mortali, quoniam homo debet potius quęlibet mala sustinere, quàm malo de se consentire, in his verò quæ solo iure humano sunt prohibita, timor iustus, hoc est, cadens in constantem virum, excusat à mortali.

Mala quorum metus est iustus, non possunt esse peccata, quia huiusmodi sunt mala maxima de se, propter quæ non sustinenda, etiam mori debet homo, sed sunt quędam mala corporalia, vt mors, cruciatus, dehonestatio per stuprum, seruitus, & alia his similia, etiam si sint solùm in comminatione, & non illata, quando probabiliter ęstimatur, quod ita erit, intellige siue aliquod malum prædictorum imminear personę propriæ, siue filiorum, siue vxoris, & illi de facili occurri non potest, secùs si ei occurri posset, puta adeundo Superiorem, vel alio modo, nam eo casu metus non esset iustus.

Metus iustus in contractibus, in quibus liber cõsensus non requiritur. non excusat ab obligatione contractus, hoc est, non facit, quod contractus sit nullus, quia coacta voluntas, est voluntas, licet eo casu, si acta sint perfecta causa metus cadentis in cõstantem virum, officio iudicis veniant rescindenda, quod si sint imperfecta, per exceptionem veniunt

rescindenda: in contractibus verò, in quibus liber cõsensus requiritur, metus iustus facit, & contractus ipso iure sit nullus, quia licet coacta voluntas sit voluntas, tamen non est voluntas libera, deficit eo casu qualitas libertatis, quę est substantia contractus.

Octo sunt, quę exigunt liberum consensum, & sine quo ipso iure sunt nulla primò, omnia quæ sũt meritoria, vt Pœnitentia, Confessio, Eleemosyna, & alia id genus, quæ si fiant ex tali metu, meritum excludunt, & perinde est, ac si non forent facta, intellige nisi characterem imprimant, quo casu, adueniente libera voluntate, conualescunt: alia autem non. secundò, Matrimonium. tertiò, dotis promissio vel solutio, quartò, electio Prælati. quintò, authoritas tutorum: sextò, absolutio ab excommunicatione. septimò, testes, vt eorum testimonium valeat. octauò, votum, hęc enim vt teneant, liberum consensum requirunt, & per consequens, si ex metu iusto fiant, ipso facto sunt nulla; metus autem leuis in foro causarum, neque excusat, neque annullat, neque rescindit, neque tollit actum, seu contractum requirentem liberum consensum; sed illo non obstante, tenet atque obligat.

DE MISSA.

MIssa, vox desumpta ex codice Hębræo, Deut. 16, Latinè oblatio spontanea. meritò, his ritus

ritus celebrandi Eucharistiæ Sacramentum, ab Ecclesia Catholica Missa seu Oblatio spōtanea appellatur: nam in ea Christus immolatur, qui se in ara crucis pro peccatis nostris, vt legitur Esa. 53, & Ioan. 10. sponte obtulit, quæ vox in Ecclesia Christi non est noua, sicut aduersarij somniarunt: huius enī vocis meminerunt antiquissimi, ac sanctissimi Patres: Ignatius discipulus D. Ioannis Euangelistę, in sua epistola ad Smirnenses. Martialis Christi discipulus, in sua epistola ad Burdegalēses. Dionysius discipulus D. Pauli, in suo lib. eccles. hierar. cap. 15. & in lib. cœlest. hierarch. cap. 3. Hic ritus celebrandi Eucharistię Sacramentum, qui Missa dicitur, à sacris œcumenicis Concilijs est approbatus, & pro diuino instituto omnibus Christi fidelibus proponitur ac commendatur, vt, alijs omissis breuitatis gratia, est videre in Concilio Laodicensi, celebrato Anno Domini CCCLxiv. can. 5. Agatensi, celebrato Anno Domini CCCC. xxxix. can. 31, & in Trident. sess. 22.

Missa non est adinuentum Papisticum, min⁹ humanum, sicut Neoterici falsò docent, sed est institutum diuinum: Christus enim hunc ritum celebrandi Eucharistię Sacramentum, ab Ecclesia Catholica Missa nuncupatum, in sua vltima Cœna, instituit quando dixit, Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem, nam Dominus noster Iesus Christus circa institutionem venerabilis Sacramenti altaris, tria Apostolis mandauit, ac per conse-

quens eorum successoribus. primò, consecrationem corporis & sanguinis sui, quando dixit, Hoc facite: secundò, comestionem & bibitionem, quãdo dixit; Accipite, & manducate, Accipite, & bibite. tertiò, mandauit illis, memoriam suæ mortis ac passionis habendam, quando dixit, Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis, quæ tria à Christo præcepta accipimus in Missa, Sacerdos enim in celebratione Missæ consecrat, corpus, & sanguinem Christi offert, tertiò, comedit, & bibit, ergo Missa est Christi institutio atque traditio, quam Apostoli obseruarunt, vt habetur Actor. 3. Sacrificantibus illis, Domino, & ieiunantibus, quem locũ etiã Erasmus de hac sancta oblatione interpretatur. Hunc ritum nobis Apostolus Hebr. 3. ad viuũ expressit, Omnis, inquit. Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis, qui cõdolere possit his, qui ignorant & errant, quoniam & ipse circundatus est infirmitate, & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro seipso offerre pro peccatis, ex his ergo patet, quòd Missa non est ex traditione humana, sed diuina.

In Missa duo veniunt consideranda, nempè id, quod est principale, & id, quod est accessoriũ. Principale in missa est ipsum Eucharistię Sacramẽtum: accessorium verò seu secundarium in Missa sunt orationes deputatæ partim ab Apostolis, partim à summis Pontificibus ad maiestatem, solennitatem, ac de-

ac decorem tanti Sacramenti atque diuini ministerij. Quare Missa ratione primi, non potest damnari, quia sic considerata Missa, nil aliud est, quàm cõsecratio, immolatio, comestio, & bibitio corporis et sanguinis Christi, quę omnia facienda Dominus ipse præcepit, nec ratione secundi, hoc est, accessorij, Missa reprobari potest, quia omnes orationes, quæ recitantur in Missa, sunt desumptæ ex sacris literis, veteris & noui Testamenti, sicut cuilibet eas animo Christiano cõsideranti, clarè constabit, vnde superest, vt relictis hæreticis, sacrosanctum Missæ sacrificium, viuam memoriam passionis Christi, Vinculumque vnitatis ac pacis, ambabus vlnis, vt dicitur, amplectamur atque veneremur.

Missa ratione sui accessorij, est repleta mysteriis, & diuiditur in tres partes. prima est ab Introitu vsque ad Canonem, qua Christi aduentus totaq; eius vita vsque ad passionem designatur. secunda est à Canone vsque ad Complendam, qua Christi passio exprimitur & repræsentatur. tertia est à Cõplenda vsque ad Benedictionem Sacerdotis, qua sepultura & resurrectio Christi designatur. Missa triplici lingua est cõposita, Græca, sicut Kyrie eleison, Christe eleison, id est, Domine miserere; Hebraica, sicut Alleluia, id est, laudate Deum, Sabaoth, id est, exercituum, Osanna, id est, salua obsecro, Amen, id est, fiat; alia sunt Latina, quia & titulus crucis, hac triplici lingua constabat.

Ad hunc ritum celebrandi Eucharistię Sacramẽ

tum, qui à sanctis Patribus Missa est appellatus, quę dam sacræ vestes, quas celebrans inducere debet, requiruntur, qnæ uumero sunt sex, scilicet, Amictus Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Casula. Amictus significat operimentum, quo Iudæi velabant faciem Domini, Luc. 22. Alba significat vestem illam, qua Herodes Christo illusit, Lucæ. 23. Cingulum repræsentat flagella, quibus Christus fuit cæsus, Marc. 15. Manipulus designat funē, quo Christus comprehensus à ministris fuit ligatus, Ioan. 18. Stola significat crucem, quam Dominus proprijs humeris portauit, Luc. 23. Casula repręsentat vestē purpuream, qua Christus à militibus fuit indutus, Marc. 15. Quare Missa tum ratione eorum, quę in ipsa fiunt, tum ratione sacratum vestium, quas Sacerdos celebraturus induit, passionem Domini nostri Iesu Christi, ad viuum repręsentat. Obiectiones verò aduersariorum contra hoc diuinum institutum, desumptæ ex quibusdam locis sacræ paginę. ita faciunt ad rem nostram', sicut Psal. Magnificat, ad Matutinas, nam doctrina Catholica procedit de hostia & oblatione incruenta, instantiæ autē hæreticorū procedunt de hostia & oblatione cruēta. secundò, doctrina Ecclesiæ Catholicę procedit de oblatione repræsentatiua, quę fit in altari; obiectiones verò aduersariorum procedunt de oblatione reali facta in ara crucis, propterea apparet, quòd ineptè nos rectucifixores appellent. tertiò, doctrina nostra procedit de oblatione Christi, sub specie aliena,

aliena, nempè panis & vini: argumenta autem hæreticorum procedunt de oblatione Christi in propria specie: ergo ex his patet, obiectiones aduersariorum huic sanæ doctrinæ non obesse.

Tempus celebrandi Missas, secundùm omnes Doctores, est de die, incipiendo ab aurora vsque ad meridiem: vnde qui celebrat post meridiem, vel noctu, peccat mortaliter, vtpotè quia talis contra generalem consuetudinem Ecclesiæ facit: fallit tamen hæc doctrina in quatuor casibus. primò, in nocte Natiuitatis Domini, in qua licet Sacerdoti celebrare vnam Missam tantùm, & qui plures ea nocte celebrat, peccat. secundò, si Episcopus in itinere celebret, vel celebrari faciat' ante diem. tertiò, secundùm aliquos, de licentia Episcopi imminente necessitate, puta quia infirmus moritur, & non habetur Eucharistia. quartò, generaliter, quoties Papa dispensat: die ergo regulariter celebrandum est, ac semel tantùm: quia Missa est repræsentatiua passionis Christi, qui semel passus est, meritò igitur Ecclesia statuit, quòd Sacerdotes semel duntaxat in die Missam celebrent, excepto die Natiuitatis Domini, qua die singulis Sacerdotibus cõcessum est, tres Missas celebrare, ad designandum triplicem natiuitatem Christi, scilicet, æternam, de qua Psalm. 2. & Esaiæ 53. Carnalem, siue temporalem, de qua Matth. 1. & Lucæ 2. Spiritualem, de qua 2. Petr. c. 1. Verùm Sacerdos ante officium matutinarum absolutum, Sacrum facere non debet, secùs

ex

ex sententia omnium Summistarum, peccat mortaliter, intelligo nisi adsit necessitas, cui non posset obuiari, puta quia monasterio siue Ecclesiæ imminet scandalum graue, vel aliquid simile, eo casu Sacerdos celebrans Missam officio matutinali non dicto excusaretur à mortali, secundùm Doctores.

Ad celebrationem Missæ saltē diebus festis omnes curam animarum habentes tenentur, nisi per alium populo satisfaciant: Sacerdotes verò, qui non habent populum, neque ex obedientia tenentur celebrare, vt religiosi, ex sententia doctissimorum virorum, vt refert D. Thomas 4. sent. dist. 13, & 3. part quæst, 82. omittentes celebrationem, non peccant: ipse tamen dicit, quòd Sacerdos non vtens sibi data nobilissima potestate, reus erit negligentiæ, iuxtà illud 1. Pet. cap. 4. Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratię Dei, vnde etsi nulli hominum, inquit, teneatur, nihilominus celebrare debet, vt Deo sacrificium reddat: quia Sacerdotibus præceptum est Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem: ex quo videtur, quòd Sacerdoti non liceat, omninò à celebratione Missę cessare: sed ad illam saltem teneri in summis solennitatibus, vt in die Natiuitatis, Resurrectionis, & Pentecostes, quibus diebus Sacerdos, qui sine ratione nabili causa non celebrat, ex sententia D. Thom. loco citato, non excusatur a mortali: nullus enim gratiam Dei in vacuum recipere debet. Quid si institutio

tutio beneficij habeat, quod Sacerdos quotidie celebrare teneatur? Respondetur, quòd talis institutio, nisi sano modo intelligatur, est illicita, & dãs materiam peccandi: vnde eo casu beneficiatus debet accipere interpretationem huiusmodi institutionis à fundatore, vt scilicet intelligatur, quod debeat & teneatur celebrare, quantò frequentiùs potest, salua conscientia sua, debita reuerentia & deuotione ad Sacramentum; secùs fundatoris intentio fuisset corrupta ac deprauata.

Circa celebrationem Missæ, nouem præcipuè veniunt attendenda & obseruanda. primò, in Missa solenni secundùm Iura, tres ad minus cum celebrante debent adesse, sed nunc per contrariam consuetudinem abrogatum est: In Missis verò priuatis, sufficit vnum habere qui Sacerdoti nomine totius Ecclesiæ Christi respondeat & ministret, & hoc generalis consuetudo Ecclesiæ approbat: mulier tamẽ ab hoc angelico munere in Iure repellitur. secundò, Missa celebrari debet cum debitis vestimentis benedictis. tertiò, cum lumine. quartò, cum calice & patena. quintò, cum altari lapideo. sextò, cum corporali & tribus mappis. secundùm autem D. Antonium, ad minus debent esse duæ: quia duo fuere linteamina, quibus fuit inuolutum corpus Iesu, vt habetur Luc. 24. & Ioan. 20. septimò, cum Missali, hostia, vino, & aqua. octauò, capite discooperto, nisi hoc aliqua rationabili causa fieret, & quando Euãgelium legitur, omnes debent stare, nonò, in celebratione

bratione Missæ nihil debet omitti de his, quæ ordinariè dicuntur: Vnde si Sacerdos omittit aliquid notabile scienter, vel ex magna negligentia, puta Euangelium, Epistolam, Canones, & huiusmodi, peccat mortaliter, secùs si omittit aliquod solũ verbum, quod non est de consecratione. Quod si Sacerdos celebret sine lumine, aqua, vel pane fermentato in Ecclesia Latina, sine altari consecrato, Missali, calice & patena, vel sine manipulo, stola, casula, cingulo, alba, vel amictu, peccat mortaliter: non tamen efficitur irregularis, quia hoc non est expressum in iure.

Omnes Christi fideles ex præcepto Ecclesiæ, nedum diebus Dominicis, sed etiam alijs diebº festis, Missam integram audire tenentur, nisi tales essent excommunicati, interdicti, vel legitimè impediti. Legitima autem impedimenta sunt, vt custodia infirmorum, qui sine periculo notabili relinqui non possunt, Infirmitas, ob quam homo sine periculo exire non valet, Custodia puerorum à quibus sine periculo, qui eorum curam habent, abesse nequeunt. Arduum negotium, quod esset relinquendum propter auditionem Missæ, secus vbi audito Sacro, tractari adhuc posset, Puellæ nubiles, quãdo prohibentur à parentibus, similiter viduæ, quæ per aliquod dies ob mortem mariti, secundùm laudabilem consuetudinem, domi manent, item miserabiles personæ, quæ ob carentiã vestium, salua honestate in conspectu hominum apparere nequeunt.

Sacra-

Sacramentum Eucharistiæ, quod est principale in Missa, in quantum Sacramentum, habet effectū, ad quem est institutum, scilicet spiritualem nutritionem per vnionem Christi ad membra eius, & concomitanter remissionem, non solùm culpæ, sed etiam pœnę secundùm modum deuotionis ac feruoris; quia dicta vnitas fit per charitatem, ex cuius feruore quis consequitur remissionem non tantùm culpę, sed etiam pœnæ: Inquantum verò sacrificiū, Sacramentum Eucharistiæ, habet vim satisfactiuā, & licet secundùm se sit virtutis infinitæ: tamen in Missa, vt docet D. Thomas 3. part. quæst. 79. art. 5. & in 3. distinct. 45. articulo vlt. quæst. vltim ad vlt. argument. operatur finitè & limitatè, seu ad finitum effectum: nam ista virtus infinita sacrificij Missæ, limitatur ad effectum finitum ex dispositione offerentis. Quare & si hæc oblatio sancta ex sui virtute, ac quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna; tamen fit satisfactoria illis, p quibus offertur, & etiam offerentibus secundum quātitatem suæ deuotionis, & licet omnes Missę tàm boni quàm mali Sacerdotis sint ęquales, quo ad Sacramentum; tamen quantum ad effectum Sacramenti, non omnes Missę sunt ęquales: quia sic comparantur atque commensurantur dispositioni offerentis, vel eorum, pro quibus offertur, vel rogantiū, quæ quidem dispositio & deuotio non semper est æqualis. Ex his ergo patet, quòd Missa, dicta pro pluribus, tātùm valeat, ac si pro singulo eorum

sigillatim

sigillatim diceretur; quia Sacramentum Eucharistię ex vi Sacramenti, & in quantum sacrificium, est virtutis infinitæ, ideò valet pro omnibus, secundū dispositionem & deuotionem offerentium, siue eorum, pro quibus offertur: malè tamen facit Sacerdos promittens alicui specialiter, quòd tali die pro eo velit celebrare Missam, deinde celebrat pro tribus; item promittens celebrare in vno loco, vel de Spiritu sancto, & non facit, quia infideliter agit, & non satisfacit: verùm talis secundùm D. Antoninū, excusatur in tribus casibus. primo, propter impossibilitatem celebrandi. secundò, propter consuetudinem, de qua populo constat. tertiò, excusatur, si alijs suffragijs satisfacit. item quia Missa quo ad sacrificium, cùm sit virtutis infinitæ, tantùm valet si dicatur pro omnibus, quantum si pro vno solo diceretur: quilibet enim accipit quod suū est, iuxta, quātitatem suę deuotionis.

DE MONACHO.

MOnachus vox græca, latinè singularis, id est separatus à conuersatione seculari, vtpote soli Deo militans. Conuersi sunt qui se & sua Monasterio obtulerunt mutando habitum, seculares tamen dicuntur, quia ad sacros ordines tales promoueri non solent: Oblati verò sunt qui se & sua Monasterio obtulerunt, habitu non mutato. Monachi nedum possunt promoueri ad sacros Ordines, sed etiam præfici alicui Ecclesię curatæ de licentia sui

Abbatis

Abbatis adiuncto sibi socio, non tamen possunt fieri Canonici alicuius Ecclesię secularis, minus eligi in Prælatum alterius religionis, quod si eligerentur, Electio ipso Iure esset nulla, ac per consequens non ualeret: At in Episcopum Monachus secundũ Iura eligi potest, suscepto que munere Episcopali à Iurisdictione sui Abbatis ex toto eximitur. Item absoluitur ab omnibus illis præceptis Regulæ, quã alias est professus, quæ exercitium Officij Pontificalis impedire quouis modo possunt, sicut sunt ieiunia ordinis, silentium & similia, ad quę dum in Claustro uiueret, tenebatur. Quod si in his aliqua dispensatione opus esset, sedes Apostolica immediatè est consulenda. Nota hic quod Appellatione Monachorum in materia religionis ueniunt etiam alij religiosi.

Monachis in Iure quædam præcipiuntur, & quędam prohibentur. primò ut integrum habitum sui Ordinis & tonsuram monachalem semper palam gestent. secundò ut silentium continuum in Dormitorio, Refectorio & Oratorio, in Claustro verò certis horis seruent. tertiò ut nouitij & professi, sacrisque initiati usque ad sacerdotium exclusiuè singulis mensibus, si non sæpius confiteantur & communicent. quartò ut illorum Capitula de triennio in triennium celebrentur. quintò ut indusijs laneis & nõ ex tela utantur. sextò ut ille qui præest Regulam in Capitulo vulgariter exponat, vel ab alio exponi faciat, septimò, ut aucupationes & uenationes cuitet,

utpote

vtpote sibi interdictas. octauò vt se non subijciant obsequo alicuius Prælati, seu Principis, vel Vniuersitatis vel Communitatis sine licentia sui superioris sicut decernit synodus trid. sess. 25. de reform. cap. 4. nono vt arma intra sæpta Monasterij non teneãt neque habeant · decimò vt carnes extra articulum necessitatis non comedant. Hæc & alia multa Monachis & alijs religiosis iuxta Regulam & sanctiones suorum Ordinum sunt prohibita. Nota quod Monachi qui comedunt carnes in illis Monasterijs in quibus memoria non extat, quod non comederint, impune possunt comedere; quia in tali casu debet præsumi tale quid ex causa legitima fuisse & esse introductum; secus si ex corruptela, tunc nõ excusarentur propter consuetudinem.

Monasterium ex facto Monachi non obligatur nisi in duobus Casibus. primus si illud in vtilitatẽ ipsius Monasterij ꝯversum sit. secundus si administratio ei à Conuentu sit commissa, & tunc Monasterium in tantum obligatur in quantum vtilitas ꝯvel administratio se extendit, & non vltra. Bona ingredientis ordinem illorum Religiosorum qui in cõmuni habent propria, pertinent ad ipsum Monasterium Iure traditionis, seu donationis inter viuos; secundum aliquos ꝯverò Iure successionis. De bonis autem illorum qui ingrediuntur ordinem Capucinorum vel aliorum religiosorum, qui nihil ꝓprij habent, quatuor sunt opiniones, quarum prima est, quod huiusmodi bona habeantur pro derelictis.

tis. secunda quod pertineant, ad illos qui succederẽt ab intestato. tertia quod iudicio & dispositioni Episcopi in cuius diœcesi sunt, subijciãtur. quarta quod acquirantur & eedant Ecclesiæ Romanæ cui subsunt; & inde alantur, & hæc videtur verior & securior opinio.

Acquisita ex industria per Monachum expulsũ vel fugitiuum efficiuntur Monasterij, intelligesi voluit eum recipere, sed recusauit: secus autem si Monasterium noluit eum cupientem redire, recipere, vel non curauit illius reditum, quo casu erunt secundi Monasterij si quod est ingressus, vel Episcopi Diœcesani. Quod si Monachus fortè est trãslatus ad aliud Monasterium ad peragendam ibi pœnitentiam propter delictum commissum, tunc bona illa quæ proprio Monasterio attulerat quo ad vsum fructum erunt secundi Monasterij, & post eius obitum redibunt ad primum: Si verò transijt ad secundum Monasterium licitè, sic quicquid ex industria posteà acquiret erit secũdi Mon. & alia primi.

DE MORTE.

MOrs, secundùm Philosophos, est priuatio vitæ, & communiter à sacris Doctoribus ponitur triplex, corporalis, spiritualis, & gehennalis: sicut etiam triplex est vita, corporalis, gratiæ, & beatitudinis. Mors corporalis duplex est, naturalis qua qs priuatur vita substãtiali, õniq; operatione vitali; & ciuilis, qua quis priuatur aliqua operatione

vitali, puta propria voluntate, aut ciuium & amicorum fruitione, sicut fit per religionem uel relegationem. Mors corporalis adhuc duplex est, violenta & naturalis; mors violenta etiam pro criminibus illata, aufert totã pœnam peccati, vel partem, secundùm quantitatem culpæ, patientiæ & cõtritionis: non autem mors naturalis, quia per naturalia, neque meremur, neque demeremur.

Exponere se morti corporali pro salute animæ proximi certa, est præceptum, alias est consilium, mors corporalis naturaliter est odibilis: tamẽ propter æternam beatitudinem consequendam est appetibilis, sicut legitur de Dauid, Psalm. 119. & de D. Paulo ad Philip. 1. qui optabant dissolui, seu mori corporaliter, vt cum Deo, quo ad spiritum, & animam, quę per se est beatificabilis, perpetuò essent: vnde per se quilibet diligit vitam, mortem verò per accidens, nempè vel propter aliquid acquirendum, vel propter aliquod malum euitandum.

De morte amici dolendum est moderatè, & ordinatè, vt docet Apostolus ad Thessal. 4. Nolumus autem vos, inquit, ignorare, fratres, de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent. & Eccles. 22. Modicùm plora super mortuum: quia nos credimus huiusmodi defectus non esse perpetuos, ad Philipp. 3. Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ; concedit tamen Apostolus,

dolendum

dolendum esse de morte amici, quod est pietatis: nã propter quatuor debemus tristari de mortuis. primò, propter defectum corporis, quod propter animam venit diligendum, Eccles. 41. O mors, quàm amara est memoria homini pacem habenti. secundò, propter discessum ac separationẽ, quæ dolorosa est amicis, 1. Reg. 15. Sic ne separat amara mors? tertiò, quia per mortem fit commemoratio peccati, Rom. 6. Stipẽdia peccati mors. quartò, quia p. mortem amici, fit commemoratio mortis nostræ, Eccles. 7. In illa enim finis cunctorum hominum admonetur, & viuens cogitat quid futurum sit.

In articulo siue periculo mortis, quilibet Sacerdos habet plenitudinem potestatis, & quo ad peccata & quo ad censuras: dicitur autem esse in periculo mortis infirmus, qui quotidiana febri laborat, obsessus ab hostibus volentibus illum occidere, nauigaturus per loca insidiosa, ætate confectus, generaliter verò regula sumitur ex arbitrio boni viri, vt consideratis omnibus circumstantijs, ille dicatur esse in periculo mortis, qui probabiliter iudicatur esse in tali periculo.

DE NEGOTIATIONE.

NEgotiatio, quæ ex ipsa nominis significatione priuationem, seu negationē otii importat, est commutatio siue permutatio ad lucrum ordinata: vnde in specie negotiator dicitur is, qui rem comparat, vt integram & immutatam vendendo, lucretur: in genere autem & in communi negotiator dicitur, qui vacat alicui exercitio, & sicut negotiator, & mercator sæpè apud Doctores pro eodem vsurpātur: ita etiam negotiatio & mercantia, siue mercatura idem significant.

Negotiatio ratione materiæ, circa quam est cōmuniter ponitur triplex. prima est pecuniæ ad pecuniam, quæ proprio nomine dicitur Cambium. secunda est pecuniæ ad rem, quæ dicitur, Emptio; tertia est rei ad rem, quæ dicitur Permutatio: ratione verò finis, in quem ordinatur, ex sententia D. Thomæ 2.2.quæst.77.art.4, negotiatio est duplex, vna quę ordinatur ad necessitatem vitæ, quę propriè non ad mercatores, sed ad œconomos & politicos pertinet, qui habent prouidere familię, aut ciuitati de necessariis cum permutatione rerum ad res, vel rerum ad pecunias: Altera, quę ordinatur ad lucrum consequendum, & ista propriè dicitur negotiatio, prima de se est laudabilis: quia habet honestum

neſtum finem, ex quo neceſſitati vitæ talis negotiatio deſeruit, licet in ea poſſint diuerſa peccata committi, quæ in tali caſu erunt hominum vitia, & non artis in ſe; ſecunda verò ſecundùm ſe, habet quandam turpitudinẽ: quia de ſui ratione deſeruit cupiditati lucri, quę terminum neſcit, ſed tendit in infinitum: poteſt tamen eſſe licita, ſi negotiator ordinet lucrum ad aliquem finem neceſſariũ vel honeſtũ, puta ad ſuſtentationẽ decentẽ ſui & familię, aut ſubuentionẽ pauperum, aut publicã vtilitatem.

Negotiatio, ſiue mercatura ſeptem modis redditur illicita. primò, ex fine, vt quãdo fit propter auaritiam, vel alium malum finẽ. ſecundò, ex perſona, puta ſi ſit Clericus, vel religioſus, quibus in Iure exercere mercaturã prohibetur, iuxta illud. 2. ad Timoth. 2. Nemo militans Deo, inquit Apoſtolus, implicat ſe negotiis ſecularibus, vt ei placeat, cui ſe probauit. tertiò, ex tempore, puta ſi fiat diebus feſtis; quã eſt opus ſeruile, quo Dei ſabbathum violatur; fallit tamen ſecundùm Petr. de Pal. in nundinis ſcitis & toleratis, ſi diuina non omittantur. quartò, ex loco, vt ſi fiat in loco ſacro, ſiue in Eccleſia; quia ſcriptũ eſt Matth. 21. Domus mea, domus orationis vocabitur; excuſantur tamen vendentes candelas in cœmeterio, vel etiam in Eccleſia intentione ſatisfaciendi principaliter honori diuino, ac fidelium deuotioni; ſecundariò autem accipiendi inde aliquod lucrum. quintò, ex modo, puta quia exercetur doloſè, vel cum mendaciis ac periurijs. ſextò,

ex commercio, puta quando illud esset Reipublicę damnosum, sic vt, cùm quis totum granum, aut omnes merces emit, vt coactis alijs à se emere, ¬vendat suo modo, vel quando quęritur lucrum immoderatum, ¬vel quando omnes conueniunt, vt certo pretio vendat, ¬vel vt vnus solus vendat tale quid, nisi pretium esset conueniens, cuius taxatio per rectores ciuitatis fieri debet. septimò, negotiatio redditur illicita ex consortio, puta quando quis habet societatem cum negotiatore, quem scit esse malę cōscientiæ, talis, vt notat D. Antoninus, tenetur soluere societatem, si commodè fieri potest, vel si non potest protestari, quòd de illicitis lucris participare nolit, in his enim casibus mercatura est illicita, & cum peccato

DE NOVITIO.

NOuitius religionis approbatæ, quilibet rationis capax & pubes esse potest, masculus ¬vbi decimumquartum annum compleuerit, fœmina ¬verò vbi duodecimum annum absoluerit, quòd si filius vel filia à parentibus, siue tutoribus ante p̄dictum tempus offeratur, ipsique consentiant, eo casu tales exire nequeunt, priusquàm ad legitimam ætatem veniant, sicut in Matrimonio carnali, ¬vbi autem ad perfectā ætatem peruenerint, pro arbitrio egredi poterunt, quod si non consenserūt oblationi ac susceptioni habitus, in tali casu possunt egredi, quando voluerint. Si impubes propria autho

ritate

ritate religionem increditur, extrahi potest à parẽtibus vel tutoribus vsque ad annũ & diem pubertatis: si verò adolescens siue adolescentula in annis pubertatis seruire Deo in aliqua religione elegerit, eo casu neque parentes, neque tutores prohibere possunt, tamen tales, quandiu sunt nouitij, possunt exire absque aliqua pœna, nisi essent professi tacitè, nouitius autem tribus modis efficitur professus tacitè. primò, quando se ingerit actibus, qui solùm professis de iure vel de consuetudine conueniunt, intellige scienter, & non ex metu. secundò, ex delatione habitus professorum, sciens, quod ex tali delatione de iure vel de consuetudine inducitur professio. tertiò, nouitius efficitur professus tacitè, per delationem habitus religionis a pprobatę vltra annum, intellige vbi non fit distinctio manifesta habitus nouitiorum, & professorum, sicut contingit in ordine Prędicatorum, vbi verò fit distinctio manifesta in forma, vel colore, vel scissura, nũquam per delationem habitus nouitiorum, etiamsi per viginti annos portaretur professio inducitur. Professio tacita facta infra annum probationis, nõ obligat tacitè professum illi religioni præcisè, sed benè obligat illam religionẽ sibi, quia eum expellere non poterit, illa autẽ professio, quę fit per delationem habitus vltra annum, obligat illi religioni in specie, quo ad forum exterius, in foro verò animę, & coram Deo, si talis nullo modo habuit animum obligandi se, non tenetur religioni, & si tales

nempè tacitè professi contrahant Matrimonium, tenet, licet grauiter peccent: nam professio tacita ita se habet ad professionem expressam, sicut se habēt votum simplex, & votum solenne continentiæ, illud impedit, sed non dirimit, istud impedit & dirimit.

Tempus nouitiatus regulariter est ānus à susceptione habitus, & hoc tempus datur in fauorem nouitij & monasterij: nouitij vt experiatur regulā, disciplinam, modum viuendi, & huiusmodi; monasterij vt probent mores, ac vitam illius, vtrum sit pro eis, nec ne. Professio tamen in quacunque religione tàm virorum: quā mulierum, iuxta decretum sacri Concilij Tridentini sess. 25. de regularibus & monialibus, fieri non debet ante decimum-sextum annum expletum, & ad eam nullus admitti debet, nisi per annum post susceptum habitum in probatione steterit, quod si fiat antè, vigore dicti decreti, est nulla, & per consequens, nullam obligationem ad alicuius regulæ, vel religionis, vel ordinis obseruationem, aut ad aliquos quoscunque effectus inducit.

Nouitij non obligantur ad præcepta regulæ, nisi eo modo, quo alij Christiani; debent tamen inducì vt eam seruent, ea nempè ratione, vt eius austeritatem probent, quam facta professione sustinere tenentur: verùm illis aliquid est indulgendum, ne retrocedant, maxime quo ad pœnas, vbi delinquunt: quia nouitij, durante nouitiatu, liberè ad seculum

redire

redire possunt. Nouitius non potest eligi in Prælatũ alicuius religionis, sed benè in Episcopum, neq; potest ordinari, etiam ad primam tonsuram, quod si habuit beneficium, per ingressum religionis, non vacat, ideò alteri infra annum probationis conferri non potest, nisi de eius consensu, sed eo casu per alium deseruiat assignata illi eiusdem beneficij cõgrua portione, & reliqui fructus reseruabuntur, vel in Ecclesiæ vtilitatem exponentur, similiter si est Canonicus per ingressum religionis canonicatus eius durante nouitiatu, non vacat: tamen talis infra annum probationis ad electionem Episcopi, vel alterius vocari non debet, intellige si electio ad eum pertineat iure collegij in communi, secùs esset de patrono, siue de eo, ad quem electio pertinet, non iure collegij, sed iure singulari, nam eo casu nouitius ad electionem vocari deberet.

DE OBEDIENTIA.

OBedientia, vt docet D. Thomas 2. 2. quæst. 104 artic 2. est virtus moralis & pars iustitiæ, licèt diuersimodè cõsiderata sub diuersis virtutibus contineatur; nam obedientia si consideretur in quantum procedit ex reuerentia Superiorum, continetur sub obseruantia; si consideretur quatenus procedit ex reuerentia parentum, continetur sub pietate, si consideretur in quantum, procedit ex

reuerentia

reuerentia Dei, continetur ſub religione, & pertinet ad deuotionē, quę eſt principalis pars religionis: huius ſpeciale obiectum eſt præceptum tacitū, vel expreſſum cuiuſcunque Superioris: voluntas enim Prælati, quocūque modo innoteſcat, eſt quoddam præceptum tacitum: dicitur autem obedientia maior, & minor, ſecundùm quod propria voluntas obedientis magis, vel minùs prompte ac deuotè tendit ad impletionem præcepti ſui Superioris.

Virtutes ſunt in duplici differentia, quædam theologales, vt fides, ſpes, & charitas, omnibus alijs virtutibus longè potiores: quia Deo per ſe inhærent, quædam morales, inter quas, omnium maxima eſt obedientia: homo enim in alijs virtutibus moralibus contemnit bona externa, vel bona corporis propter Deum: virtute verò obedientiæ homo contemnit, vt Deo inhæreat, bona animę, ſcilicet voluntatem propriam, quæ inter bona animæ eſt præcipua, inquantum homo per voluntatē omnibus alijs bonis vtitur: vnde per ſe loquendo inter virtutes morales laudabilior eſt obedientia, quæ propter Deum propriam voluntatem contemnit, quinimò in ſacris literis obedientia prefertur victimis, 1. Reg. 15. Nunquid, inquit Samuel, vult Dominus holocauſta & victimas, & non potius vt obediatur voci eius? melior eſt enim obedientia, quā victimę, & iure, quia per victimas aliena caro, per obedientiam propria voluntas mactatur.

Inobe-

Inobedientia, quę charitati contrariatur, secundùm se est peccatum mortale, 2.2. quæst, 105. art. 1. non solùm illa, quæ est in Deum, sed etiam quę est in Superiores, iuxta illud Hebr. 13. Obedite præpositis vestris, & Rom. 13. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, & damnation sibi acquirit: obedientia tamen, quę respicit Deum, semper est prę ferenda obedientiæ, quę respicit hominem, Act. 5. Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus: homo tenetur obedire Deo quantum ad interiora, & quantum ad exteriora: Superioribus verò solùm quantùm ad exteriora, quod si Prælati multiplicarent tot prę cepta, quod subditi ea implere non possent, eo casu excusarẽtur: quia ad impossibile nemo tenetur, & licet omnis inobedientia sit peccatum, vbi quod præcipitur est iustum, honestum & possibile, tamen vna potest esse grauior altera dupliciter, vno modo ex parte prę cipientis, & sic grauius est, esse inobedientem Deo, quàm homini: alio modo ex parte præceptorũ, & sic inobedientia circa præceptum de meliori bono est grauior, vnde qui est inobediens prę cepto de dilectione Dei, grauius peccat, quàm qui est inobediens præcepto de dilectione proximi.

DE ORATIONE.

ORatio actus religionis, quo reuerentia Deo exhibetur, est eleuatio mentis in Deum, cum quadam decentium petitione, & communiter à sactis Doctoribus ponitur duplex, vocalis & mentalis

lis. De vocali. Psalm. 5. & Matth. 6. De mentali, Psalm. 26. & 1. Corrint. 15. potior tamen ac principalior est mentalis; iuxta illud Matth. 15. Hic populus labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me, sine causa autem colunt me. Quòd oratio sit Deo grata, hominique salutaris cõtra Pelagium ac eius sequaces, multis modis comprobari potest. primò, quia Christus docuit orare. Matth. 6 secundò, quia Dominus præcepit orare, Luc. 11. tertiò, quia ipsemet orauit, Luc. 22. quartò, quia Apostolus omnes ad orandũ hortatur, 1. ad Timoth. 2. quintò, quia Apostoli in ea se exercuerunt, vt habetur 1. ad Thessal. cap. 1. Orare non conuenit diuinis personis · quia oratio fit ad Superiorem, quem personæ diuinæ non habent, licet filius orauerit secundùm humanitatem, qua est Patre, imò seipso minor, & nunc etiam oret pro nobis, iuxta illud Rom. 8. Christus Iesus; qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis, tamen non dicimus, Christe ora pro nobis, sed Miserere nobis, quia supponit suppositum æternum: conuenit verò orare Sanctis & Angelis beatis in patria, non pro se, quia omnia succedunt eis ad votum, sed pro nobis. secundò, orare cõuenit peccatoribus, quos orantes ex bono desiderio naturę, Deus nõ quasi ex iustitia, sed ex pura misericordia exaudit, quatuor cõditionib⁹ obseruatis. primò, vt petãt pro se. secũdò q; petãt necessaria ad salutẽ. tertiò, piè & humiliter. quartò perseuerãter.

Orare

Orare aliquem contingit dupliciter, scilicet sicut exauditorem, seu impletorem nostrę orationis, & sicut impetratorem, siue intercessorem. primo modo solum Deum oramus, quia omnes preces nostræ ordinari debent ad gratiam & gloriam consequendam, quę à solo Deo datur, Psal. 83. Gratiam & gloriam, inquit Propheta, dabit Dominus. secundò modo oramus Sanctos, quam distinctionem diuersitatemque, modus orandi Ecclesię ostendit, nã à sanctissima Trinitate petimus, vt misereatur, ab alijs autem postulamus, vt orent pro nobis. Sancti existentes in patria licet naturaliter ignorent ea, quæ in hoc sæculo fiunt, maximè cogitationes cordis, tamẽ in verbo & in intuitu diuinæ essentiæ manifestatur eis id, quod eos decet cognoscere de his, quę circa nos aguntur, etiam quantum ad interiores motus cordis, huiusmodi maximè sunt petitiones nostræ ad eos directæ, voce vel corde, quas Deo manifestante cognoscunt. Quare oratio nostra tanquam deprecatoribus & intercessoribus porrigenda est ad Sanctos, & ad Angelos beatos, tanquam datori, largitori, ac impletori, oratio nostra ad solum Deum est dirigenda, orandum autem nobis est pro peccatoribus, qui sunt in via, pro excommunicatis, pro infidelibus, & pro existentibus in purgatorio, pro damnatis verò non est orandum.

Orandum nobis est pro obtinendis spiritualibus ac temporalibus; pro temporalibus. Prouerb. 20. & Matth. 6. Panem nostrum quotidianum da nobis;

nobis; pro ſpiritualibus, ibdem, Adueniat regnum tuum. Verùm vt rectè Deum & Sanctos eius oremus, primò & principaliter ſpiritualia poſtulare debemus, ſecundariò temporalia ipſa, iuxta illud Matthæi 6. Quærite primum regnum Dei & iuſtitiam eius, et hęc omnia adijcientur vobis. Vt autem oratio noſtra exaudiatur, quatuor cõditionibus debet eſſe prædita, primò, ſi ſit publica ſeu communis debet eſſe vocalis: quia talis fit in perſona totius populi fidelis, cui debet innoteſcere, vt inde ad deuotionem cum orantibus populus excitetur, ſi verò ſit priuata, ſeu ſingularis, non eſt quidem neceſſarium quòd ſit vocalis, tamen vox illi adiungitur, vt orans ſeipſum ad deuotionem excitet. ſecundò, vt intentionem ſuam cuſtodiat, ne vagetur. tertiò, vt debitum reddatur ſeruiendo Deo, nedum mente, ſed etiam corpore. ſecundò, requiritur attentio, vt oratio ſit meritoria & impetratiua, 1. Corinth. 14. Orabo ſpiritu, orabo & mente. Triplex autem eſt attentio. quę orationi vocali adhiberi poteſt vna ad verba, quibus petimus: altera ad ſenſum verborũ, id eſt, ad petitionem ipſam, & tertia ad finem orationis, id eſt, ad gratiam & gloriam conſequendam modò quæcunque harum adſit, oratio attenta dici poteſt. tertiò, debet eſſe diuturna & continua, non quidem ſecundùm ſe; quia oportet nos etiam in alijs operibus occupare, ſed ſecundùm deſiderium charitatis. quod actu, vel virtute in nobis debet eſſe continuum; quoniam virtus huius deſiderij

manet

manet in omnibus, quę ex charitate facimus. quartò, requiritur, quod sit de re honesta, hoc est, de his, quæ faciunt ad æternam salutem consequendam, oratio enim nostra, si has quatuor conditiones habuerit, semper audietur, Matth. 21, Quæcunque petieritis in oratione, credentes, accipietis.

Oratio non tantùm mentalis, sed etiam vocalis cadit sub precepto diuino; nam ex Christi doctrina, Matth. 6. debemus dicere, Pater noster, qui es in cœlis, &c. Hanc orationem omnibus alijs præferendam, omnes Christiani scire, & orare tenentur, quæ in se septem petitiones continet. in prima petimus, quod nomen Dei ab omnibus, vt sanctum, habeatur. in secunda postulamus, ad gloriam regni Dei peruenire. in tertia petimus, vt ita ei ab hominibus obediatur in terra, sicut ab Angelis in cœlo. quartò, postulamus necessaria in hac vita, nobis tribui. in quinta petimus veniam & remissionem peccatorum. in sexta postulamus à Deo; ne permittat nos tentationibus carnis, mundi, ac dęmonis succumbere, & superari. in septima petimus protectionem diuinam aduersus omnia mala præsentis & futurę vitæ; scriptum est enim Psal. 26. Deus protector vitę meæ, à quo trepidabo? & Rom. 8. Si Deus pro nobis, qui contra nos?

DE ORDINE.

ORdo Ecclesiasticus de quo hic intędimus est signaculum quòddam in anima diuinitus impressum,

presſum, in quo ſpiritualis poteſtas & officium traditur ordinato. Et communiter ponuntur septē. 4, ſent. diſt: 24. cap. 1, ſcilicet Oſtiariatus. Lectoratus. Exorciſtatus, Accolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Pręsbyteratus. In hoc concordant omnes Theologi: Canoniſtę verò tenent quod ſint nouem ordines eccleſiaſtici: prædictis enim addunt primam tonſuram, & Ordinem Epiſcopalem. In quolibet ordine imprimitur character indelebilis, ideò abſque ſacrilegio, iterari non poſſunt. In Ordine Oſtiarij imprimitur character in traditione clauiū & expreſſione verbi. Lectoris in traditione Codicis lectionum diuinarum. Exorciſtæ in traditione libri exorciſmorum. Accolyti in traditione candelabri & Vrceoli. Subdiaconi in traditione patenæ & calicis vacui. Diaconi in traditione libri Euangeliorum, & ſecundum aliquos in manus Epiſcopi impoſitione. Sacerdotis in traditione Calicis & patenæ cum hoſtia & vino ac verbis, Accipe poteſtatem offerre ſacrificium &c, & in impoſitione manuum Epiſcopi ſuper caput cum illis verbis Accipe ſpiritum ſanctum &c. ſic enim Epiſcopus concorditer agit ſummo Epiſcopo Chriſto, qui prius contulit poteſtatem Apoſtolis conficiendi, quàm abſoluendi: vnde ſunt duę formę partiales ordinis ſacerdotalis, in quarum vna confertur poteſtas cōficiendi Euchariſtiam, in altera poteſtas abſoluendi à peccatis. In ordine Epiſcopali imprimitur character ex impoſitione manuum Epiſcoporū ſuper

caput,

caput, cum illis verbis, Accipe spiritum sanctum, ex c. Episc. iuncta glo. 23. dist. Nec obstat. c. vl. de sa. vnct. non iter: quia loquitur de impositione quæ fit Diacono & Sacerdoti, quæ non est de essentia istorum ordinum: Aliqui tamē dicunt quod imprimatur character in vnctione capitis ex chrismate, & in prima tonsura quando capilli abscinduntur.

In collatione ordinum quædam sunt de necessitate & substātia ordinis vt tactus corporalis instrumēti in cuius traditione imprimitur character, D. Thom, in 4. sent. dist. 24 Gof. & Host. Vnitas ministri, vnde si Episcopus exprimit verba & alio facit actus, vel è contra nihil fit: quia sacramēta sunt vnitatis, q̄ diuidi nō possunt, de cōse. dist. 2. Missa ī maiorib⁹ ordinib⁹ & huiusmodi, Quædā sūt dubia, vt man⁹ impositio Episcopi ī ordine Diac. & præsbyteri. Ieiuniū ordinātis & ordinati, & alia id genus. Quædā verò non sunt de necessitate & substantia ordinis vt genuflexio, tempus, ætas, Episcopus, proprius, Missa in minoribus ordinibus, & his similia. Quare si omissū ī Collatiōe ordinū est de substātia debet iterari. Si dubiū debet suppleri vti notāt. Inn. Host. & Goff. si verò certò cōstat q̄ omissū nō erat de substātia, tūc illud iterari vel suppleri nō est op⁹.

Abbas qui ex Priuilegio habet vsum mitræ & baculi pastoralis, potest cōferre ordines minores suis subditis tantùm, alijs verò non vt habetur in Cōcil. Trid. sess. 23. de reform. cap. 10. Episcopus autē potest cōferre omnes ordines ōnib⁹ de sua diœcesi

oriundis aut qui in ſua diœceſi habent domicilium, vel beneficium, etiã peregrinis de licentia ſuorum Ordinariorum vel Capituli ſede ⁊vacante ⁊vltra annum.

In Iure prohibentur ordinari non habentes debitam ætatem illiterati criminoſi, bigami, ſolenniter pœnitentes, Neophiti hoc eſt noui in fide vel religione, tales nec ad minores ordines promoueri poſſunt. Ratiocinijs obligati, ſerui, corpore vitiati, vxorati, illegitime nati, peregrini & ignoti, infames, ſuſpenſi, interdicti vel excommunicati & hermophroditus qui niſi prꝙualeat ſexus virilis, non ſuſcipit characterem: Epiſcopus enim huiuſmodi ordinando ſecundum D. Thom. peccat mortaliter, niſi in caſibus in quibus poteſt diſpenſari, priuſcũ illis diſpenſetur.

Prima tonſura poteſt dari omni tempore. Quatuor minores ordines iuxta ſacrorum Canonũ diſpoſitionem, extra ordinationem generalem, Dominicis & alijs feſtiuis diebus per annum conferri poſſunt. alij verò ordines, nẽpe maiores & ſacri tãtùm in ſex tẽporibus Anni & manè, ⁊videlicet in Sabbathis Quatuor temporum, Sabbatho ante⁊ Dominicã de Paſſione, & Sabbatho ſancto conferri debent: Ordo verò Epiſcopalis die Dominico hora tertiarum, & ſic vti legitur in canonibus Apoſtolorũ receptis & approbatis in ſexta Synodo generali Conſtant. Epiſc. a duobus aut tribus Epiſcopis ordinetur, præsbyter, Diaconus & reliqui Clerici

ab

ab vno Episcopo ordinentur, Can. 1. & 2.

Circa collationē ordinū quatuor potissimū obseruari debēt, primò quod præcedat examen ita vt cōstet nullum impedimētum ex prędictis esse in ordinando: secundo debet missa celebrari ab eo qui vult ordinare, quod si missa omittatur secūdū Raij. nihil fit, sed totum est iterandum: quia Missa in sacris ordinibus conferendis est de substantia. Quod si vnus dicat missam & alius consecret Ordo tenet vt dicit Hugo de sanct. Vict: licet fieri non debeat: Aliqui tamen limitant & dicunt illud verum esse in minoribus, sed non in sactis: vnde securius est, vt qui ordinat semp celebret, iuxta vniuersalē cōsuetudinē Ecclesiæ, hoc in se continet Pōtificale, & qa vnus debet esse minister sacramenti, sic enim p'ures viderentur esse ministri partiales, cum Missa sit de substantia sacrorum ordinum, secus in minorib⁹. tertiò ordinādi debēt habere indumenta pertinētia ad ordinē quē suscipere volunt, quartò quod ordinās nihil omittat de ordinatis in Pastorali: nā Doctores communiter tenēt quod excepto loco, tēpore, ætate, vnctione, impositione manuū (intellige in ordine diaconatus & p̄sbyteratus) ieiunio, missa in minorib⁹, orationibus quibusdā, quę nō dicūtur in traditione Instrumentorū, & quod sit proprius Episc. omnia alia sint de necessitate, sic q̄ si aliquid omittatur, nihil fiat, totūq; sit reiterādū. ex Theologis autē multi dicūt, si in Collatione Ordinū omitterētur illa in q nibus īprimitur character, tūc totū

esset reiterandum, & ordo sic collatus non teneret, secus si alia omitterētur, eo casu inquiūt omissa solū esset supplēda; at prior opinio est securior.

Ordo Ecclesiasticus de quo hic agitur est verè & propriè sacramētum à Christo Domino nostro institutum, vti testatur sac. Concil. trid. sess. 23. de sacramento Ordinis Can. 3. & licet plures sint Ordines vti suprà dictum est, & vt habetur loco citato can. 2. tamen sunt vnum sacramentum, non vnitate indiuisibilitatis vt punctus, neque vnitate continuitatis vt linea, neque perfectione vnius formæ, vt corpus animatum, sed perfectione vnius finis, omnes enim ordines ad vnum finem, nēpe ad Eucharistiam ordinantur, nā quilibet ordo habet propriū actum in ordine ad sacramentum Eucharistiæ, Ostiarij est dignos admittere, & indignos à sumptione eius repellere. Lectoris est homines instruere ad huiusce modi sumptionem. Exorcistæ est homines disponere ad receptionem Eucharistię. Accolyti est præparare materiam sacri calicis. Subdiaconi est præparare materiā Eucharistię in sacris vasis. Diaconi est sanguinem ex calice ministrare & sacramē tum Eucharistiæ in pixide gestare. Præsbyteri est corpus & sanguinē Christi in altari conficere. Episcopi etiam habent propriū actū in ordine ad sacramētū Eucharistiæ à cæteris distinctum, nēpe creādi præsbyteros, qui hoc ipsum sacramētū Eucharistię conficiunt, proinde Episcopatus est verè & propriè Ordo in Ecclesia Christi à cęteris distinctus, qui

iterari

iterari nō poteſt, D. Auguſt. Epiſt. ad Criſpinum Donatiſtam, & D. Dioni. Areopa. lib. eccle. hierar. ca. 5.

Quilibet ordo prę ſupponit characterem baptiſmi de neceſſitate: characterem verò Confirmationis ſolùm de congruo, ſimiliter character vnius ordinis characterem alterius, proinde recipiēs poſteriorem ordinem, priori omiſſo, non reordinatur in poſteriori, fallit tamē ſecundum omnes Theologos de non ſacerdote conſecrato in Epiſcopum, nam ſi quis non ſacerdos conſecraretur in Epiſcopum, ordinatio eſſet nulla, ac per conſequens talis nō reciperet poteſtatem & characterem Epiſcopalem, ſecus autē ſi eſſet ſacerdos, quocunq; alio ordine deficiēte, eo caſu ordinatio & cōſecratio teneret, & poſſet ōnes ordines cōferre, eo excepto, quē nō haberet.

In ſuſceptione Ordinum eccleſiaſticorum requritur debita ętas, nēpe ad Primā tōſurā & tres priores ordines minores, ętas ſeptē annorum, & ad Acolytatum ætas duodecī annorum deſideratur, ętas verò req̄ſita ad maiores & ſacros ordines ſuſcipiēdos exprimitur in Cōc. trid. ſeſſ. 23. de reform. c. 12. vbi legitur; Nullus in poſterum ad Subdiaconatus ordinē āte vigeſimum ſecundū, ad diaconatus ante vigeſimum tertiū, ad Presbyteratus ante vigeſimū quitū ętatis ſuæ ānū ꝓmoueatur. Regulares quoq; nec ī minori ętate, nec ſine diligēti Epiſc. examine ordinētur, Priuilegijs q̄buſcunq; quo ad hoc pœnit° excluſis: Ad Epiſcopatū verò ętas triginta annorū iuxta Cano. ſanctiones in ꝓmouēdo deſideratur.

DE PAPA.

PApa quasi pater patrum, successor D. Petri, est Vicarius Christi & Dei terris: nam principale caput Ecclesiæ, in quod tendit fides nostra, est Christus, ad Ephes. 1. Ipsum, inquit Apost. loquens de Christo, dedit caput super omnem Ecclesiam. & Coloss. 1. Ipse est caput corporis Ecclesiæ: secundarium verò & ministeriale caput, est Papa, in quod non credimus, sed illi veluti Vicario Christi in terris obedimus; vtpotè quia ei cura vniuersalis Ecclesiæ, diuinitus est demandata, quando à Domino dictum est Petro, Ioan. 21. Pasce agnos meos, pasce oues meas; tunc Christus Petro, & per consequens eius successoribus, omnes credentes in ipsum, subiecit, Quare ex hoc loco rectè à nobis inferri potest, ergo qui non sunt sub cura & obedientia Papæ, tales non sunt oues Christi: sed hœdi Satanæ sunt. Papa debet eligi à duabus partibus Cardinalium, aliter qui gereret se pro Papa, est excommunicatus.

Primatum D. Petri & eius successorum in Ecclesia Christi, ex multis testimonijs atq; prærogatiuis ex sacris literis desumptis, accipimus primo, qa Matth. 16. legitur, quod Christus illi soli nominatim claues regni cœlorum promisit. secundo, quia Dominus alijs Apostolis dedit claues cœli, vt habe-

tur

tur Matthęi 18. Petro verò dedit claues cœlorum, Matth. 16. quæ diuersæ dicendi formulæ, maiorem authoritatē fuisse à Christo collatam Petro, quàm aliis ostendunt. tertiò, quia onus confirmandi in fide reliquos Apostolos soli Petro Christus iniunxit, ac demādauit, Lucæ 22. quartò, quia Dominus curam suarum ouium soli Petro nominatim cōmisit, Ioan. 21. quintò, quia Christus vbi resurrexit, singulariter Petro & primò prę ceteris apparuit, eiusque resurrectio iussu Angeli, soli Petro nominatim annunciata fuit, Marc. vlt. sextò, quia quotiescunq; catalogus Apostolorum texitur, semper Petrus primo loco recensetur, vti legitur Matth. 10. Luc. 6. & Act. 1. Hæc igitur & alia multa testimonia atque prærogatiuę satis pio Christiano, Petri primatum ostendunt. quem Dominus illi, eius glorioſa confessione audita, aliis præsentibus promisit, Matth. 16 quando dixit. Tu es Petrus, & super hanc Petram ędificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eā, & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terrā, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solueris super terrā, erit solutū & in cœlis. Hunc post Resurrectionē Dominus effectualiter illi contulit, quando dixit Ioan. 21, Pasce agnos meos, pasce oues meas, quē primatum vbi Christus cœlos ascendit, Petrus in Ecclesia exercuit, Primò, dirigendo ordinationem Matthiæ in Apostolum, Act. cap. 1. secundò, defendēdo publicè omnes Apostolos, Act 2. tertiò, sanando clau-

dum præsente Ioanne, Act. 3. quartò, pronunciando sententiam mortis in Ananiam & Saphiram, Act. 5. quintò, dum præfuit in Concilio Hierosolymis celebrato, & eius sententiæ omnes consenserunt, Act. 15. & accedit, quòd Christus Petrum vocauit Cœpham, id est, Caput.

Papa summum gradum potestatis in spiritualibus & temporalibus æqualiter Petro Apostolo, habet, ideò iudicem nō habet in terra; à nullo enim potest iudicari, à nullo potest deponi, nisi desinat esse caput, vt in casu hæresis manifestæ, aut sponte se subiiciat, vel Papatui renunciet: sicut legimus de Clemēte, Cyriaco, Marcellino, & Cœlestino, quos Ecclesia canonizauit: licet per Concilium generale possit declarari depositus, vbi à fide deuiasset: quia tunc ipso iure Papa est præcisus ab Ecclesia, est depositus, & desinit esse caput Ecclesię; pro aliis autē criminibus notorijs, excepto crimine hęresis, à mēbris iudicari non potest, quoniam eo casu Papa nō esset caput præcisum, sed languidum, & per consequens non desinit esse caput Ecclesiæ: si tamē suis prauis moribus Ecclesiam Christi destrueret, vel bona Ecclesię alienaret, ditando suos cōsanguineos eo casu ei esset resistendum per honestā rephēsionē, exēplo Pauli, qui restitit Petro in faciem, ad Galat. 2. & orādum esset, vt à Deo corrigeretur: vtrum autem Papa vtendo sua potestate in iudicando ac statuendo errare possit, habes suprà in titulis de Canonizatione, fol. 63. & Concilio, fol. 89.

Pote—

Potestas Papæ in genere, ex quo gerit vices Christi in terris, licet ad omnes se extendat: tamen in specie primò, se extēdit ad illos quæ sunt in purgatorio, mediante thesauro Indulgentiarum. secundò, ad Paganos, si quid faciunt in sua superstitione, quod vergat in irreuerentiam fidei. tertiò, ad Iudæos, vt seruēt Canones, qui eos respiciunt, & licet tales non possit punire pœna spirituali, quia sunt extra Ecclesiam; tamen potest eos punire pœna pecuniaria, vel corporali. quartò, ad hæreticos & schismaticos, eos excommunicando, deponendo, & auferendo bona temporalia, nisi ad gremium sanctę matris Ecclesiæ redeant. quintò, ad Imperatorem, quem habet confirmare, consecrare, & coronare; quinimò & illum ex rationabili causa deponere, sicut Innocentius III. Ottonē, & Innocētius III. Federicum deposuit, à fortiori potestas Papę se extendit ad reges & alios principes Christianos. sextò, ad leges ciuiles, quas potest tollere & abrogare, si vergunt in detrimentum animę, vel sacris Canonibus sint contrariæ. septimò, ad legem naturalem & diuinam, eas declarando, & interpretando. octauò, ad omnes gradus consanguinitatis & affinitatis, prohibitos, vt Matrimonium contrahatur, dispensando in illis, præterquàm in primo gradu consanguinitatis & affinitatis in linea ascendentium, & descendentium, & in primo gradu consanguinitatis & affinitatis in linea transuersali; quia est contra ius diuinum, & naturale, vt filius

ducat

ducat matrem & vxorem patris. item quòd frater ducat sororem, vel frater vxorem sui fratris, licet in lege Mosaica ex Dei dispensatione ad suscitandum semen fratris mortui, & ad multiplicandum genus humanum permissum atque concessum sit, ducere vxorem fratris defuncti, & habere plures vxores: multiplicato autem genere humano, creditur quòd & Iudæi in veteri lege ab huiusmodi abstinuerint.

Summus Romanus Pontifex in suprema militantis Ecclesiæ specula constitutus, iuxta Canonicas sanctiones, præsertim sacri Concil. trid. decreta, ex iniuncto sibi Apostolicæ seruitutis officio, habet animaduertere in Pastores absentes à suis Ecclesijs & diœcesi, legitimo impedimento, seu iustis & rationabilibus causis cessantibus, & accedente illorũ contumacia, suę suprem ę sedis auctoritate, Ecclesijs ipsis de Pastoribus vtilioribus prouidere, sicut in Domino nouerit salubriter expedire, sess. 6. decreto de reform. cap. 1. Item pro suprema potestate, sibi in Ecclesia vniuersa tradita, Romanus Pontifex Causas aliquas Criminum grauiores, suo potest peculiari iudicio reseruare, cuius etiam est, Causas criminales grauiores contra Episcopos cognoscere & terminare, sess. 14. cap. 7. & infra sess. 24. cap. 5. Ad quem pariter processus formatus de promouendis ad Cathedrales Ecclesias est transmittendus, qui plena totius negotij, ac personarum notitia habita, pro gregis Dominici commodo de illis, si idonei

per

per examen, seu per inquisitionem factam reperti fuerint, Ecclesijs poterit vtilius prouidere, ibidem cap. 1. nam Papæ Pont. max. Cura Vniuersalis Ecclesiæ diuinitus est demãdata: propterea ei per omnia tanquam beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario, vera obedientia ab omnibus debetur, ita vt ipso incõsulto nihil nouum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum decerni possit, sicut eadem sacrosancta Synodus sess. 25. de inuocat. & venerat. Sanctorum sentit. & mandat.

DE PECCATO.

PEccatum prima sua diuisione communiter à sacris Doctoribus diuiditur in originale & actuale. de originali, Psal. 50. et Rom. 5. quod nil aliud est, quàm carentia iustitiæ originalis, & deletur per Baptismũ. Actuale pariter duplex, est scilicet mortale & veniale, vt habetur 1. Ioan. cap. 5. Peccatũ mortale est dictum, factum vel concupitum contra legem Dei: peccatum verò veniale est dictum, factum, vel concupitum præter legem Dei. Peccatum originale ab actuali differt in tribus. primò, quòd originale contrahitur voluntate aliena: actuale voluntate propria, secundò, quòd originale omnibus est commune, actuale solùm adultis. tertiò, quòd originale reiterari non potest, actuale verò est reiterabile. Peccatum mortale similiter à veniali in quatuor differt. primò, quòd mortale excludit gratiam gratum facientem: veniale stat cum ipsa gratia. secundò,

ſecundò, quòd mortale non deletur, niſi in hoc ſeculo; veniale etiam in futuro. tertiò, quòd mortale commiſſum poſt Baptiſmum non tollitur, niſi per Sacramentum Pœnitentiæ, vel in re, vel in voto: veniale multis alijs modis ac medijs, vt per aſperſionẽ aquę benedictę, per abſolutionem Sacerdotis factã in Miſſa, & per alia multa. quartò, quòd peccata mortalia genere ſunt ſeptem, ad quæ omnia alia reducuntur, ſcilicet, ſuperbia, auaritia, luxuria, inuidia accedia, ira, & gula; venialia ſunt infinita.

Omnia peccata contra precepta diuinę, naturalis, vel humanæ legis, ſecundùm omnes Doctores, regulariter ſunt mortalia, fallit tamen hæc doctrina ex ſententia D. Thomæ, 2. 2. quæſt. 35. & 59. in quatuor caſibus. primò, ex imperfectione actº, qui ex primo motu ſenſualitatis erumpit, & nõ pertingit vſque ad conſenſum rationis. ſecundò, ex imperfectione obiecti, vt ſi fiat contra iuſtitiam in aliquo minimo. tertiò, ex interuentu diſpenſationis factæ per Superiorem. quartò, ex interuentu cauſæ rationabilis excuſantis, quo ad præcepta humana.

Cauſa peccati communiter duplex ponitur, interior & exterior; cauſa peccati interior triplex eſt ſcilicet, voluntas, intellectus, & appetitus ſenſitiuus, iſta enim ſunt principia humanorum actuum, principalis tamen, immediata & ſufficiens cauſa peccati, eſt voluntas; cauſa verò exterior peccati eſt homo, dæmon, & ſenſibilia externa, inquãtum mouent rationem, voluntatẽ, & appetitum ſenſitiuum

ad

ad aliquid faciendum, quod ex genere suo peccatum est, non quidem necessitando, sed disponendo inclinando, & persuadendo, nam causa sufficiens, & complens peccatum, est sola voluntas nostra, Oseę 13. Exterditio tua Israel; Deus autem mali culpę nullo modo est causa effectiuè, Prouerb. 14. Odio est Deo impius, & impietas eius, sed benè permissiuè; mali verò pœnę, Deus dicitur causa etiam effectiuè, Amos 3. Non est malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus.

Peccati mortalis à sacris Theologis, triplex ponitur effectus, videlicet; diminutio boni naturalis, priuatio gratiæ, & reatus pœnæ æternę. primus effectus lethalis criminis est diminutio boni naturalis, Luc. 10. Homo incidit in latrones, qui dispoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt, semiuiuo relicto. secundus effectus est priuatio gratiæ, Esa. 59. Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum. tertius effectus peccati mortalis, est reatus æternæ pœnę, Matth. 25. Ibunt ij in supplicium æternum. Peccatum mortale triplici ratione pœna æterna, & infinita extensiuè punitur. primò, ex parte obiecti: quia offenditur Deus, qui est virtutis infinitæ. secundò, ex parte voluntatis peccantis: quia qui peccat propter delectationem, quam inde habet, semp vellet adhærere peccato, nisi p accidēs retraheretur timore pœnę, iuxta illud D. Greg. 24. Moral iniqui, inqt, vellēt sine fine viuere, vt posset sine fine peccare. tertiò, ex parte peccantis: quia

per-

per peccatum mortale homo priuatur gratia Dei, quæ est principium remissionis culpæ: vnde decedens in peccato mortali, non est susceptiuus gratiæ, quia in eo semper manet culpa, ergo & pœna: meritò igitur lethale crimẽ, has ob causas pœna æterna punitur;

Decem communiter secundum Doctores, excusant hominem à peccato mortali. primò Alienatio mentis, exemplo Loth, quando voluit filias suas prostituere vt liberaret quos hospitio susceperat, vnde insania, furor, & his similia quandoque excusant à peccato. secundò coactio absoluta, quia peccatum non est peccatum, nisi sit voluntarium. tertiò ignorantia inuincibilis. quartò consuetudo, quę tollit legem humanam contrariã, Superiore sciente & tolerante. quinto necessitas, quæ vti dicitur non habet legem. sextò iocatio seu ludus, dummodo non sit noxius. septimò diligentia debita, si fuerit adhibita. octauò indeliberatio mentis. nonò obedientia, intellige quando præcepta non sunt contra legem maioris. decimò pietas siue Zelus, exemplo Mathathiæ, qui accensus furore secundum iudicium legis, interficiens trucidauit eum super arã, qui in omnium oculis sacrificauit Idolis, 1. mac. cap. 2.

DE POENA.

POEna in genere duplex est, damni & sensus, siue priuatiua & positiua. Pœna damni propriè est, qua pro culpa aufertur perfectio, & infertur

tur priuatio, cuiusmodi est carentia diuinæ visionis, qua damnati & pueri decedentes sine Baptismo, perpetuò puniuntur, pœna verò sensus propriè est, qua aufertur perfectio, & infertur priuatio afflictiua appetitus semper, vt subtractio peculii, verbera, ignis, & huiusmodi. Pœna sensus secundum se, in genere triplex est, spiritualis, corporalis. & pecuniaria, spiritualis, vt increpatio, excommunicatio, interdictum, suspensio, & alia id genus. corporalis, vt ieiunium, peregrinatio, exilium, & his similia. pecuniaria, quæ quandoque infertur pro iniuria illata, personæ, vel loco, quandoque pro satisfactione illati damni, & quandoque ad punitionem criminis quod in nullius vertitur iniuriam, nisi Dei, vt propter peccatum blasphemiæ saltē per modum eleemosynæ, secundùm verò causas, pœna sensus ponitur triplex. prima est à iure canonico, vel ciuili. secunda est à consuetudine, & tertia est ab homine, quę triplex est iudicialis, arbitraria & conuentionalis.

Pœna, secundùm propriam rationem pœnæ, nō infertur à Deo sine culpa: quatenus verò habet rationem medicinæ, quia scilicet est sanatiua peccati præteriti, præseruatiua respectu futuri, & promotiua in aliud bonum; quandoque infertur sine culpa, non quidem in bonis spiritualibus, sed in bonis tēporalibus: in iudicio autem humano, nullus potest puniri pœna sensus, puta vt occidatur, aut mutiletur, vel flagelletur sine sua culpa, licet pœna damni

aliquis

aliquis sine sua culpa, non tamen sine causa punia-
tur, & hoc tripliciter, primò, propter ineptitudinẽ ad
aliquod bonum assequendum: sicut propter leprã,
bigamiam, & iudicium sanguinis, homo repellitur
à sacris Ordinibus. secundò, quia bonum, in quo
talis damnificatur, non est proprium, sed commu-
ne: sicut propter interfectionem Antistitis tota ci-
uitas punitur pœna damni, inquantum priuatur ti-
tulo ciuitatis, & populus cum Clero, vt careãt Epi-
scopo. tertiò, quia bonum vnius dependet ex bono
alterius: sicut in crimine læsę maiestatis, filius hę-
reditate priuatur, pro peccato parentis.

Pœna spiritualis, quæ propriè respicit animam,
& æterna, vnus non punitur peccato alterius, iuxta
illud ad Gal. 6. Vnusquisque portabit onus suum:
pœna tamen temporali vnus punitur peccato al-
terius, etiam in iudicio diuino, Genes. 20. Ego sum
Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios
in tertiam & quartam generationem. & Matth. 23.
Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, & hoc
triplici ratione. primò, quia vnus temporaliter &
corporaliter est res alterius, vt filius secundùm cor-
pus est aliquid patris, & seruus est aliquid domini:
propterea filius, & seruus quandoque in pœnã pa-
tris & domini puniuntur. secundò per modum me-
riti, vt cùm Deus permittit malum Prælatũ ac ty-
rannum, non solum super malis, sed etiam bonis re-
gnare. tertiò, ad commendandam vnitatem socie-
tatis humanę, vt inde omnis solicitus sit ad detesta-
tionem

tionem peccati, cùm ſcilicet pœna ℣nius redundat in omnes, quaſi omnes ſint vnum corpus, tamen ſemel punitus pro aliquo crimine, non debet alia pœna affligi, quia ſcriptum eſt, Deus non iudicabit bis in idipſum, intellige in eodem genere iudicij, etiam ſi minor pœna fuerit iniuncta, maior nõ debet imponi, ſecùs autem ſi iudicia ſunt diuerſa, puta eccleſiaſticum & ſeculare, tunc aliquis pro eodem crimine, videlicet, blasphemiæ, adulterij, in vtroque foro puniri poteſt pœnis diuerſorum generum.

DE POENITENTIA.

POEnitentia eſt conuerſio hominis ad Deum, ſiue dolor & diſplicentia de peccato cõmiſſo, & cõmuniter ponitur duplex, interior & exterior, ſiue ℣na, quæ eſt ℣irtus, & altera, quæ eſt Sacramentum. Pœnitentia quæ eſt virtus, eſt præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere, Pœnitentia verò, quæ eſt Sacramentum, eſt dolor de peccatis proprijs, cum proposito ſubijciẽdi ſe clauibus Eccleſiæ per confeſſionem & ſatisfactionem, ſub ſpe venię conſequendę, vnde ad ℣erã Pœnitentiam quatuor neceſſariò requiruntur. primò, dolor de peccatis propter Deum. ſecundò, propoſitum non peccandi de cætero. tertiò, pœna ℣oluntaria, Luc. 3. Facite fructum dignum Pœnitentiæ, quartò, ſpes venię cõſequẽdę, nã verè pœnitens nõ debet dubitare, quando Sacerdos dicit, Abſoluo

te à peccatis tuis, de absolutione & remissione peccatorum, sed firmiter credere, se absolutum esse, sicut Dauid, quãdo dictum est ei à Propheta, 2. Reg. cap. 12. Transtulit Dominus peccatum tuum. & Maria Magdalena, cùm audiuit, Luc. 7. Remittuntur tibi peccata tua.

Pœnitentia, de qua nunc intendimus, est Sacramentum nouæ legis, tum quia confert remissionẽ peccatorum, vt habetur Lucæ 24. tum quia in ipsa illa tria cadunt, quæ & in cæteris Sacramentis, nẽpè Sacramentum, res, res & Sacramentum simul. in Pœnitentia, Sacramẽtum sunt actus exterius exerciti, tàm per pœnitentem, quàm per absoluentem, res tantùm, est remissio peccati; res & Sacramentum simul est dolor interior peccatoris. Accedit huic definitio Concilij Florentini decreto, 5. & Triden. sess. 14. item doctrina sanctorum patrum, Ioannis Chrysostomi in suo lib. de lapsis, epist. 5. ad Theodorum lapsum, Ambrosij in suo lib. de Pœnit. August. ī suo lib. de vera & falsa Pœnit. c. 5. Pœnitẽtia ergo est Sacramentũ, quod iterari potest, Matth. 18.

Materia Sacramenti Pœnitentiæ remota, sunt peccata, iuxta illud Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata. Verùm cùm peccatum actuale sit duplex, mortale scilicet & veniale, vtrumque sub materia Sacramenti Pœnitentię cadit: diuersimodè tamen, veniale ad benè esse, mortale de necessitate, & eius circumstantiæ aggrauãtes in infinitum, hoc est, mutantes speciem peccati: Materia verò propinqua,

Sacramenti

Sacramenti Pœnitentiæ, sunt actus Pœnitentis, quibus conteritur, confitetur, & satisfacit: ex his enim, & Sacerdotis absolutione, Sacramentum Pœnitentiæ perficitur atque integratur.

Forma Sacramēti Pœnitētiæ essentialis est ista; Ego absoluo te à peccatis tuis, vt habetur in Concil. Trident. sess. 14. de Pœnit. capite 3. quæ quidē forma elicitur ex illo. Matth. 16. quodcunque solueris super terram, solutum erit & in cœlis. Circa absolutionem sacramentalem quædam requiruntur ad ornatum, & de congruentia, primò, vt Misereatur tui: Absolutionem, &c. secundò, inuocatio sanctissimæ Trinitatis, quæ in Baptismo, vt legitur Matth. vlt. est de necessitate Sacramēti. Tertiò, manus impositio, quæ in Confirmatione & Ordine, vt habetur, Act. 8. & 1. ad Tim. 4. est de integritate Sacramenti; nam Dominus quādo dixit Petro: Quodcunque solueris, &c. nullam mētionem fecit de inuocatione sanctissimæ Trinitatis, sicut in Baptismo neque de manuum impositione, sicut in Cōfirmatione & Ordine; quædam verò requiruntur ad formam absolutionis vti de necessitate, & integritate ipsius Sacramenti, & sunt hęc verba: Absoluo te à peccatis tuis. dictio illa, Ego, ex vi verbi habetur, propterea non est de essentia formę Sacramenti Pœnitentiæ; Verùm omittens absque rationabili causa precedentia, & sequentia prędictam formā, peccat mortaliter.

Partes integrales Sacramenti Pœnitentiæ sunt

tres, Contritio, Confessio, & Satisfactio: nam tribus modis Deus à nobis offenditur, scilicet, corde, ore, & opere; Contritio tamen primum locum sibi vendicat, vtpote saluti humanæ magis necessaria; Contritio enim absque Cõfessione & Satisfactione in re, aliquo casu potest sufficere ad salutem consequendam: Confessio verò & Satisfactio sine Cõtritione in re, nequaquam. Contritio est dolor animi de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cętero, Quare duo ad perfectam Contritionem requiruntur, odium vitę malè actæ, & propositum in posterum non peccandi. Contritio est dolor de peccato cõmisso propria voluntate, est de peccato nedum mortali, sed etiam veniali; est de pręteritis, & non de futuris: est de proprijs. & non de alienis. Contritio non habet locum in cœlo, neque in inferno, neque in purgatorio, sed solũ in hoc seculo; quia Contritio est dolor de peccato gratia informatus, & meritorius: defectu primi, non est in cœlo; quia ibi nullus est dolor, Apoc. 21. defectu secundi, non est in inferno; quia ibi licet sit dolor, nõ tamen est gratia informatus, Iob. cap, 7. Qui descẽdet ad inferos, non ascendet. defectu tertij, Contritio non est in purgatorio: quia ibi existentes, licet habeant dolorem de peccatis gratia informatum, tamen non est meritorius, Ioan. 9. Venit nox, quando nemo potest operari, De Confessione vide suprà suo loco, fol. 92. pariter de satisfactione infrà.

Sacramenti Pœnitentiæ duplex est effectus, vn⁹

est

est collatio gratiæ, qui omnibus Sacramentis noue legis est communis, Matth. 4. Pœnitentiam agite, & appropinquabit regnum cœlorum, alter est remissio peccatorum, Lucę 24. Oportet prædicare pœnitentiam in remissionem peccatorũ. Remissio peccati originalis, est effectus præcipuus Baptismi; remissio peccati mortalis obliti, est effectus Eucharistiæ: remissio peccati ⁊venialis, est effectus extremæ Vnctionis; remissio peccati mortalis commissi post Baptismum, de quo homo cõscientiam habet, est effectus Sacramenti Pœnitentiæ, cuius minister est solus Sacerdos legitimè ordinatus: Christus enim hanc potestatem dimittendi peccata contulit Apostolis post resurrectionem, quos antè Sacerdotes creauerat, quãdo dixit, Ioã. 20. Accipite Spiritum sanctũ, quorũ remiseritis peccata, remittũtur eis, & quorũ retinueritis, retenta sunt. Vide, si placet, circa hanc materiam meum Enchiridion.

DE POSTVLATIONE.

POstulatio, secundùm quod est ⁊vnus ex modis prouidendi Ecclesiæ vacanti, de qua nunc intendimus, est alicuius personæ concors & certa Capituli petitio, ad prouidendum Ecclesię. & communiter duplex ponitur, vna scilicet non solennis, per cuius admissionem non acquiritur postulato ita prælaturæ, sed habilitas vt eligi possit, sicut si Canonici postulent ab Abbate, ⁊vt eis concedat monachum eligendum in Episcopũ, altera verò solennis,

per cuius admissionem acquiritur postulatio ius prælaturę,

Vt postulatio solennis sit canonica, quinque desiderantur. primò, vt fiat ab his, qui postulare possunt. secundò, vt porrigatur illi, à quo admitti potest. tertiò, vt fiat de eo, qui promoueri possit ab illo qui eam admittere debet. quartò, quòd sit concors, id est, ab omnibus, vel à duabus partibus, etsi aliqui teneant, quòd maior pars Capituli sufficiat. quintò, quòd seruetur forma, videlicet vt procedatur per formam scrutinij, & cum alijs requisitis. In Prælatum seu Superiorem, secundùm Iura, crimino sus, puta periurus per sententiam, non in communi sermone, homicida & inobediens contumaciter, epilepticus, mutilatus, & alij corpore vitiati, bigamus, irregularis, excommunicatus, non professus in Prælatum regularem, nisi necessitate instante, postulari nequeunt.

Admissio postulationis, si quis postulatur ī Episcopum, ordinatiè ad Papā pertinet, si ad inferiores dignitates, vel Ecclesias postulatur, eo casu admissio postulationis spectat ad immediatum Superiorem, modò duo concurrant, vnum est, quòd talis dispensare valeat super defectu postulati in ordine ad huiusce modi dignitatem, siue Ecclesiam: vnde si quis viginti annorum postuletur ad dignitatem sine cura, Episcopus postulationem admittere potest, si verò cum cura, spectat ad Papam; similiter si Canonici postulent in Archidiaconum aliquē habentem

bentem vigintiocto annos, quia super isto defectu Episcopus dispensare nequit, alterum est, quod ille, ad quem confirmatio spectat, sit Episcopus, quia inferiores Prelati dispensare nequeunt, nisi in casib⁹ eis specificè permissis, effectus autem postulationis solennis est, quod illa admissa, postulatus consequitur ius, ac si fuisset electus & confirmatus, ita vt opus non sit alia confirmatione vel electione, effectus verò postulationis non solennis, est, quod postulatus eligi possit, vel electus confirmari, nullum tamen inde consequitur ius.

Postulatio si concorditer non est facta, saltem à duabus partibus Capituli, seu Collegij, per eã nullum ius acquiritur postulato, vel alteri, & illam Superior sine cuiusquam præiudicio reiicere potest, neque per hoc alicui iniuriam facit, quod si postulatio vnanimiter fit, vel saltem à duabus partibus Capituli, propter necessitatem, seu vtilitatẽ Ecclesiæ, reiici non potest sine iniuria postulantium, & Ecclesiæ, ad quam facta est, & per eam acquiritur ius postulantibus, non tamen postulato, nisi fuerit Superiori præsentata.

Postulantes à postulatione resilire nequeunt, postquàm Superiori, qui eam admittere potest, præsentata fuerit: ante verò præsentationem, etiam post publicationem scrutinij, variare possunt, etiam inuito postulato, ac reuocare nuncium, antequã præsentet, secùs in electione; vetùm postulantes, sciẽter indignum, ipso facto potestate eligẽdi & postu-

landi, etiam si illam habeant ex iure communi, siue ex priuilegio, sunt priuati,

Aliqui sunt, qui eligi nequeunt, postulari tamen minimè prohibentur: exempli gratia, constat quòd minor triginta annis, non potest eligi in Episcopū, neque illegitimè natus ad aliquam prælaturam: postulari tamen possunt. Episcopus, & electus, ex quo proprię Ecclesiæ sunt alligati, ideo ad aliā Ecclesiam non eligendi, sed postulandi erunt: at non idem iuris est in Abbatibus, & cęteris Prælatis, infra episcopalem dignitatem constitutis: isti licet pro priæ Ecclesię videantur alligati: nihilominus tamen eligi possunt, sed in tali casu proprium monasterium non deserunt, nisi licentia legitimè impetrata.

Si vnus sit postulatus, & alius electus, in confirmatione concedenda, semper prefertur electus æquè idoneus, nisi postulantium numerus sit eligentium duplo maior: quia in tali casu postulatio esset admittenda, & electioni præferenda: verùm si postulantes scienter indignum postulassent, tunc electio venit confirmanda, & postulatio reiicienda.

Postulatus, sicut & electus infra tres mēses post consensum prestitum, vel notitiam habitam, cessante iusto impedimēto, tenetur cōfirmationem à Superiore petere: secùs iure, quod ei per postulationē acquisitum est priuatur, ita vt postulantes ad aliam postulationem seu electionem liberè procedere possint. Postulato sicut & electo interdicitur admi-

nistratio

nistratio Ecclesiæ, neque ei obediendum est, nisi literis Confirmationis ostensis. Quod si talis ante confirmationem se negotijs Ecclesię ingesserit, eo casu omni iure, quod ei per postulationem acquisitum est priuatur.

DE PRAELATO.

PRelatus sic dictus: quia alijs est ante latus, siue positus, & dicitur tripliciter, scilicet cõmuniter, propriè, & propriissimè. primò, cõmuniter dicitur Prelatus, quilibet Clericus curam animarum habens, vt Parochi. secundò, propriè nomine Prelati veniunt habentes prærogatiuam maiorem; sine tamen iurisdictione, vt Decanus, Archipresbyter, & huiusmodi. tertiò, proprijssimè dicuntur Prælati, habentes iurisdictionem in personas ecclesiasticas in foro exteriori; vnde ad hoc, quòd aliquis tertio modo dicatur Prelatus, quatuor requiruntur. primò, quòd talis eligatur à Capitulo, siue Colegio & Confirmationem à Superiori obtineat. secundò, quòd vniuersitas, seu collegium, quod illum eligit, sit Clericorum, vel religiosorum, secùs iurisdictionem in personas ecclesiasticas dare non potest. tertiò, quòd electus sit Clericus: nam in laico iurisdictio spiritualis non cadit. quartò requiritur, quòd habeat iurisdictionem ordinariam in foro contentioso excommunicandi, &c.

Prælatus sicut dignitate, ita iustitia, sanctitate & innocentia alios præcedere debet: vnde in Prælato,

lato, vt officio suo, in quod Deus illum posuit, satisfaciat, sex potissimum desiderantur. primò, ab improborum commercijs abstinere debet: malorum enim consortia bonos corrumpunt, Psal. 17. Cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris. secundò, debet orationi & prædicationi præcipuè insistere. Malach. 2. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius, item Act. 6. Non est æquum, nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensæ. tertiò, debet esse hospitalis, atque liberalis, non quidem erga histriones, adulatores, & lenones: sed erga Christi pauperes, Heb. 13. Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatē nolite obliuisci. quartò, debet esse iustus & sanctus, ad Tit. cap. 1. Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem. quintò, debet esse alienus à negotijs secularibus, 2. ad Timoth. 2. Nemo militans Deo, implicet se negotiis secularibus, vt ei placeat, cui se probauit. sextò, debet esse pudicus & castus, 2. Cor. 6. Exhibeamus, inquit Apostolus, nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, vigiliis, iciuniis, & castitate.

DE PRAESCRIPTIONE.

PRæscriptio est acquisitio dominij per continuā possessionem temporis à lege definiti: vnde ad præscriptionem, secundùm iura canonica, quatuor requiruntur, primò, possessio rei præscribendę con

continua sine interruptione vsque ad finē præscriptionis, secundò, requiritur bona fides præscribentis, ita vt possidens rem præscribendam, credat reuera esse suam, licet de facto erret. tertiò, requiritur titulus iustus, videlicet vt neque ius commune, neque præscriptio sit contra possessorem, vel vt allegetur præscriptio tanti temporis, cuius contrarij non sit memoria. quartò requiritur, quòd res sit præscriptibilis: nam quædam sunt, quę nullo tempore præscribuntur, vt decimæ, primitiæ, oblationes, & spiritualia iura: hæc enim nullo iure à laicis præscribi vel possideri possunt, item res publicæ, vt viæ, plateę, pontes, & his similia, reseruata Principi in signum subiectionis, vt tributum.

Præscriptio duplex est, vna, quæ dicitur longi temporis, & altera, quæ dicitur longissimi temporis: in præscriptione primi generis requiritur tēpus decem annorum, aut viginti, in præscriptione verò secundi generis, requiritur spacium triginta vel quadraginta annorum: verùm contra Ecclesiā nullus præscribit, nisi spatio quadraginta annorum, imò contra Ecclesiam Romanam, nisi spatio centum annorum. Vt autem hęc doctrina Lectori clarior reddatur, quibusdam diuisionibus procedetur: nam aut sumus in actionibus personalibus, & sic vt præscriptio currat, requiritur spatium triginta annorum; aut sumus in rebus corporalibus immobilibus, & sic requiritur spacium decem annorū cōtinuè inter præsentes, & viginti inter absētes;

aut

aut sumus in corporalibus, sicut sunt iura, & sic requiritur vsus decem annorum inter præsentes, ¬viginti inter absentes: aut sumus in debitis, legatis, siue stipulationibus, & sic requiritur spacium triginta annorum: aut sumus in obligationibus, & exceptionibus, & sic requiritur ad prescriptionem spatiũ decem vel viginti annorum: aut sumus in rebus mobilibus, & sic requiritur spatium trium annorũ, intellige semper suppositа bona fide possessoris: quia qui est in mala fide, nullo tempore prescribit, sed semper iniquus possessor erit.

Tempora, siue casus, in quibus præscriptio non currit. etsi non interrumpatur, sunt decem. primò, tempore hostilitatis, belli, siue pestis, quando ius nõ redditur, ¬vel accedente omni alia causa impediẽte, ne quis rem suam petat. secundò, quando est defectus Prelati, puta q̃ Ecc. caret Prælato, vel est captiuus vel est dilapidator, & malè alienans, eo casu præscriptio nõ currit. tertiò, quãdo quis de iure ipe ditur agere, sicut filius familias, vxor ¬viuente marito, pupillus durante ętate pupillari; nam prescriptio non currit, nisi contra maiorem triginta annis. quartò, quando est schisma, quò ad Ecclesiam Romanam. quintò, tempore conditionis: quia res sub conditione non præscribitur, cùm in tali casu nulla currat mora. sextò, tempore feriarum repentinarum, quæ præcaueri nequeunt. septimò, quando quis abest reipublicæ causa. octauò, tempore prodigalitatis. nonò, tempore iacentis hereditatis, si

tis, si non stat per hæredem, qui eam capiat, sed impeditur aliquo modo. decimò, præscriptio nō currit quantumcunque tempus defluxerit, quando quis indebitè soluit.

Præscriptio in genere duobus modis interrumpitur, scilicet naturaliter, vt quando deficit vnum de substantialibus ipsius præscriptionis, & ciuiliter quod contingit multis modis. primò, per libellum Principi oblatum. secundò, per litis contestationem coram suo iudice. tertiò, quando quis aliqua iusta causa impeditus, rē suam petere non potest. quartò, per secundam cautionem factam à debitore. quintò. per citationem factam colono de parendo iuri coram iudice super re, quā possidet nomine alieno: in conscientia tamen præscriptio interrumpitur, & fit inualida, quoties quis reuera scienter est in mala fide, licet ab alijs ignoretur.

DE PRIVILEGIO.

PRiuilegium quasi priuata lex, est indultū alicui datum à Principe contra ius commune. & regulariter tres ponuntur species priuilegiorū, quoddam dicitur reale. quoddam corporale purè, & quoddam personale. Reale, quod conceditur personæ, Ecclesiæ, dignitati, ciuitati, vel alicui loco. Corporale purè, quòd vniuersitati, vel collegio, & non singularibus personis conceditur. Personale duplex ponitur, scilicet personale merè, & alicui, vel aliquibus personis expressis proprijs nominibus concedi-

conceditur, vt priuilegium vſus Pallij; & perſonale communiter, quod perſonis conceditur, non expreſſis proprijs nominibus, vt priuilegium minorum viginti annis; priuilegia autem dare poſſunt, qui legem facere valent, vt Papa, Imperator, Epiſcopus, &c;

Circa priuilegiorum interpretationem, ne error contingat, quaſdam concluſiones pono, quarũ prima eſt iſta. Interpretatio priuilegiorum regulariter fit ſtrictiſſimè. Secunda concluſio. Vbi priuilegium tollit legem priuatam, & nõ communem, debet latè interpretari. tertia concluſio, Priuilegium nõ debet adeò ſtrictè iterpretari, vt nihil operetur. quarta concluſio, Priuilegium, quod ſapit ſolùm beneficium, latiſſimè interpretatur. quinta concluſio, Verba priuilegij Papę ſunt interpretanda ſecundũ Canones, non ſecundùm leges, ſexta cõcluſio, Priuilegium conceſſum generaliter, non includit caſum contra rem publicam, quod ſi includeret, non valeret; ſeptima concluſio; Priuilegia veniunt interpretanda ſecundum qualitatem perſonæ. octaua concluſio, Priuilegium conceſſum patri ratione dignitatis innatę, tranſit in filios, vt priuilegium nobilitatis. nona concluſio, Priuilegium cõceſſum patri vel marito ratione officij, ſiue profeſſionis, tranſit in filios legitimos, & ad vxorem viuente patre, & viuente marito. decima concluſio, Priuilegium conceſſum patri vel marito reſpectu neceſſitatis, non tranſit in filios, neque in vxorem, etiam

patre

patre vel marito viuente.

Priuilegium euacuatur, & fit inualidum decem modis. primò. si illud fuerit subreptitiè, hoc est, per falsa narrata concessum. secundò, si sit contra constitutionem, vel consuetudinem, vel sententiam, & de ea non fiat mentio. tertiò, si priuilegiatus faciat contra id, quod in priuilegio exprimitur concessum. quartò, euacuatur priuilegium cessante ei⁹ causa. quintò, cùm incipit esse alicui iniquum, siue in dispendium eius, cui est concessum. sextò, per sequens priuilegium faciens expressam mentionem de priori, secùs non tollit illud. septimò, per concedentis reuocationem. octauò, per propriam & expressam renunciationem, intelligè quantum ad ius tangens nunciantem tantùm, secùs si alium tangit. nonò, per legitimam præscriptionem. decimò, euacuatur priuilegiũ per abusum, id est, per non vsum, vel per contrarium vsum.

DE PROFESSIONE.

PRofessio Religionis approbatæ, seu regularis vitæ, de qua nunc intendimus, est duplex, tacita scilicet & expressa. Ad cuius euidẽtiam quatuor ponuntur conclusiones. Quarum prima est ista: Professio tacita incurritur per delationem habitus Religionis approbatę vltra annum, vbi is Nouitijs & professis communis & indistinctus est, sicut in ordine fratrum Prædicatorum, vel per susceptionẽ habitus professorum, vbi his distinctus habetur.

Secunda

Secunda conclusio est ista; Professio tacita non obligat professum, tacitè illi Religioni præcisè, cui° habitum per annum continuum gestauit, sed potius è contrà Religionem illi obligat, ita vt eum expellere non possit, nisi ex causa legitima. Tertia conclusio est ista: Professio tacita, quæ per delationem habitus religionis approbatæ, vltra annum incurritur, obligat professum tacitè ad religionem in specie, quo ad forum exterius, secùs in foro animę & corã Deo, si talis nullo modo per huiusmodi habitus delationem habuit animum obligandi se. Quarta conclusio est ista: Professus professione tacita, si Matrimonium contrahat, tenet, licet grauiter peccet; nam professio tacita ita se habet ad professionem expressam, sicut votum simplex castitatis, ad votum solenne; sed votum simplex castitatis impedit quidem Matrimonium contrahendum, tamen contractum non dirimit; ergo à simili professio tacita in religione approbata.

Professio expressa in quacunque religione approbata, tàm virorum quàm mulierum, ante decimum sextum annum expletum fieri non debet, & ad eam, iuxta sacri Concilij Trident. decretũ, sess. 25. de Regul. & Monial. cap. 15 nullus, qui minori tempore, quàm per annum, post susceptum habitum, in probatione steterit, admitti debet. Quod si fiat ante, vigore dicti decreti, est nulla, nullamque inducit obligationem ad alicuius Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obseruationẽ, aut ad alios quoscunque

cunque effectus, neque vlla renunciatio aut obligatio anteà facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscunque causæ pię valet: sed vt teneat, fieri debet cum licentia Episcopi, siue eius Vicarij, intra duos menses proximos ante professionē, quæ tamen effectum suum non sortietur, nisi secuta professione. Quinimò si beneficiatus religionē approbatam ingrediatur, beneficium ante professionem non vacabit, nisi accedat illius consensus.

Religiosus, qui regularem ordinem ante nō fuerit expressè professus, in Abbatem, vel ad aliam regularium Prælaturam eligi non potest; quanquam talis ad episcopalem dignitatem in secularibus, vel regularibus Ecclesijs eligi minimè prohibeatur: Professio autem expressa vt sit valida, quinque de necessitate concurrere debent. primò, quòd professus compleuerit decimumsextum annum. secundò, quòd professio fiat in manibus Superioris, qui potest religioni incorporare, vel alterius de eius licētia seu nomine. tertiò, quòd fiat in religione approbata. quartò, quòd accedat consensus Capituli pro maiori parte, quem Prælatus requirere debet. quintò, quòd fiat de tribus votis, Obedientiæ scilicet, Castitatis, & Paupertatis, quę sunt de substantia, vt docet D. Thomas, regularis ordinis & status monachalis: Vnde si quis in professione exprimat, quòd non intendat se de aliquo vno voto, puta continentię obligare, licet de alijs talis non esset professus: quia huiusmodi intētio repugnat essētiæ

Religionis, nec est opus, quòd profitens Religionẽ approbatam tria vota voce exprimat, sed sufficit, vt promittat seruare seruanda, iuxta instituta & regulam Religionis, quam profitetur: quia obligatio ad tria vota, est de essentia Religionis, vnde profitendo quis Religionem, obligat se ad tria vota.

Professio expressa in Religione approbata, obligat ad horas canonicas persoluendas: Nam ex eo, q; Monasterium professis expresse tenetur quò ad victum, amictum, aliaque omnia necessaria, dici potest, quòd beneficium simplex habeant, & per consequens illos ad horas canonicas, pensum seruitutis Clericorum, sicut piè Basilius Magnus in suo libro de Institutione vitę religiosorum, cap. 2. docet, teneri. Item impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit contractum de facto, illa non obstante, vtpotè quia votum continentiæ, quæ est de essentia religionis & status Monachalis includit: Vnde si religiosus professus professione expressa in Religione approbata, quamuis sacris nondũ esset initiatus, Matrimonium contrahere tentaret, grauissimè peccaret, & Matrimonium sic contractum, non teneret; secùs si esset professus tantùm professione tacita, eo casu Matrimonium teneret quidem, sed sic contrahens grauiter peccaret.

Votum Religionis summa libertate gaudet, propterea sancta Synodus Tridentina loco suprà citato, cap. 17. & 18. statuit, quòd puella, quæ voluerit habitum regularem suscipere, maior duodecim annis

nis sit,& quod ei profiteri non liceat,nisi prius fuerit cognita eius pia ac libera voluntas,ita vt non sit coacta,aut seducta,& sciat quid agat. Vnde cogentes aliquam ℣irginem ℣el viduam,aut aliam quãcunque mulierem ad susciendum habitum Religionis, ℣el ad emittendam professionem quocunque modo,consilio,auxilio,fauore, cõsensu,vel authoritate interposita, p̃dicta sancta Synodus anathemati subiicit,similiter eos,qui sanctam Virginũ ℣el aliarum mulierum ℣oluntatem accipiendi,vel ℣oti emittendi quoquo modo sine iusta causa impedierint.Et ℣t omnis friuola excusatio & prætensio tollatur,sessione citata,cap. 19. Synodus Tridẽtina decernit,quod,quicunque regularis prętenderit vim siue metum, aut aliam causam , propter quã putet se non obligari religioni, seu ordini regulari, quem est professus , audiri non debeat , nisi intra quinquennium tantùm à die professionis causas prætensas deduxerit coram Superiore suo & ordinario.Quod si antea habitum sponte dimiserit,siue discesserit,talis,vigore dicti decreti non venit audiendus,neque admittendus ad allegandum quãcunque causam , sed cogendus vt redeat ad *Monasterium*,& tanquam apostata est puniendus.

DE PVRGATIONE Canonica.

PVrgatio est demonstratio innocentiæ super obiecto crimine,cuius duę sunt species. Vulga-

ris scilicet, & Canonica. Vulgaris purgatio est, quã vulgus inuenit, vel sequitur, vt cùm quis cadẽtis ferri, vel singularis certaminis subit iudicium, quæ prohibetur sub pœna peccati mortalis: quia sic est tentare Deum. Et licet sacra historia prodat quosdam in testimonium suæ innocentiæ singulare certamẽ iniuisse; tamen nunquam vt id pro lege teneatur, diuina sanxit authoritas. Canonica verò purgatio, quę à sacris Canonibus comprobatur, & de qua nunc intendimus est, quando quis de crimine infamatus, iurat coram legitimo iudice, se non esse tali crimine seu macula inquinatum cum iuramento testium compurgantium, qui eundem à crimine immunem, & verum credere illum iurasse, iureiurando affirmant: Erunt autem compurgatores tot, quod enormitas criminis requirit, bonę famæ vt verisimile sit, eos amore, vel odio, vel obtentu pecunię: non periurare, & qui mores & vitam eius, quem purgare intendunt, perspectam habeant.

Deficiẽtes in canonica purgatione, perinde puniendi sunt, ac si de crimine, de quo diffamati fuerint, legitimè conuicti vel confessi fuissent, nisi aliud æquitas iudicantis statuendum duxerit: At sup notorio, nulli indicenda erit purgatio, sed tantùm sententia condemnationis promulgari debet, cum patrati sceleris euidentia, neque accusatoris clamore indigeat. Quare vbi crimen est notorium vel apparet accusator, non debet reus ad purgationem recipi, etiam si se offerat ad illam præstandam.

Suspicio

Suſpicio temeraria repellitur in iure; Suſpicio verisimilis ſufficit ad inducendam dictam purgationem, quando tamē quis ſit infamatus, aut ſemicōuictus, aut accuſat⁹, ſecus nō, quia ſic iudicibus & prelatis aperiretur via ad vindictam; Violenta autem ſuſpicio ſufficit ad ſententiam; Verùm quando iudex ex preſumptione procedit, debet multū tēperare ſententiam; maximè quando agitur ad condemnationem, qua in re probationes debent eſſe luce meridiana clariores.

Si quis crimen aliquod commiſit, propter quod iudex iuſtè inquirit, & procedit contra eum, non propterea ſequitur, vt notat Caietan. 2.2. queſt. 69. art. 1. & 2. quòd iudex de aliis criminibus, etiam ſi ſint ſibi occulta, poſſit licitè inquirere, nā de occultis non habemus iudicem, niſi Deum, Pſal. 18. Ab occultis meis munda me Domine, Ideò caueāt iudices, maximè eccleſiaſtici ab huiuſmodi inquiſitione, quia peccant ipſi precipiendo, & ſubditi in tali caſu non tenentur eis obedire, vtpote quia tales volunt ſcire, quæ tamen humanitus ſciri nequeunt.

DE PVRGATORIO.

PVrgatorium eſt locus medius inter cœlum & infernum, in quo poſt mortem ſuffragia viuorum fidelium defunctis proſunt, & in quo quędam culpæ relaxantur, nā cùm anima noſtra ſit immortalis, Sap. 3. Matth. 10. & Apoc. 6. neceſſariò fatendum

dum est, post mortē corporalem dari quædam loca seu receptacula, ad quæ animę ipsę recipiantur, & communiter à sacris Doctoribus ponūtur quatuor, scilicet cœlum, infernus, limbus puerorum, & purgatorium, ratio autem huius assertionis est, quia ãa quatuor modis decedit à corp. vel sine ōni reatu culpæ & pœnæ, & tūc receptaculū eius est cœlū, vel decedit cum actuali & mortali culpa, & tunc locus eius est infernus. Vel decedit cum originali culpa, & tunc eius receptaculum est limbus puerorum, vel decedit cum culpa veniali, siue reatu pœnæ peccati actualis remissi, & tūc locus eius est purgatorium, D. Thomas 4. sent. distinct. 31.

Quod hic locus, quem Ecclesia Catholica purgatorium vocat, detur, sacrę literæ testantur, Iob 19. Miseremini mei, miseremini mei, saltē vos amici mei, quia manus Domini tetigit me 2. Mach. 12. Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur, Matth. 5. In carcerem mitteris, non egredieris, donec reddas nouissimum quadrantem. Rursus, cap. 12. Quicunque dixerit verbum in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro, 1. Corinth. 3. Vniusquisque opus manifestum erit, & quale sit, ignis probabit, si cuius arserit opus, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, quasi per ignem. itē Apocal. 5. Omnem creaturam, quæ in cœlo est, & super terram, & subtus terram, omnes audiui dicentes, Benedictio sedenti in throno, & agno, benedictio, &

ctio,& honor,& gloria in ſecula ſeculorum. Ex his enim,& alijs locis ſacræ ſcripturæ patet, poſt hanc vitam dari aliquem locum, in quo quę dã culpę relaxantur,& ſuffragia viuorum illic exiſtẽtibus proſunt, & iſte locus eſt Purgatorinm. Accedunt teſtimonia ſanctorum Patrũ, Cypriani, lib. ſuo 4. epiſt. 2. ad Antonianum. Hieronymi epiſt. 14. Auguſt. libr. confeſſ. 9. cap. 13. & lib. 20. de ciuit. Dei, cap. 9. item definitiones Conciliorum, Florentini, celebrati ſub Eugenio IIII. & Trident. ſeſſ. 25. decreto de Purgatorio.

Ad Purgatorium tria genera animarum deducuntnr. primò, quę tantùm habent reatum pœnæ alicuius peccati mortalis remiſſi. ſecundò, quę ſolũ culpam venialem habent. tertiò, quæ decedunt cum culpa veniali, & reatu pœnę peccatorum mortalium remiſſorum, vnde in purgatorio remittitur culpa venialis. & ōnis reatus pœnę, veniali ac mortali peccato remiſſo, debitę. In purgatorio duplex eſt pœna, vna damni, inquantnm ibi exiſtentes retardantur à diuina viſione, & altera ſenſus, ſecundùm quod ab igne corporali puniuntur: ab his autem pœnis animæ duobus modis liberari poſſunt, vno modo per ſatisfactionem: vbi enim pœnã temporalem, per diuinam iuſtitiam eis indictam ſuſtinuerunt, ad cœlum euolant: alio modo etiam ante tempus determinatum, animæ liberantur à pœnis purgatorij, per ſuffragia viuorum Chriſti fidelium, vt docet D. Gregorius in 4. ſuo Dialog. vi-

delicet oblationibus Sacerdotum, precibus Sanctorum, eleemoſynis amicorum, & ieiuniis bonorum virorum.

DE QVADRAGESIMA.

QVadrageſima vt habetur in c. quadrageſ. de conſe. di. 5. à Chriſto fuit inſtituta, vt Deo decimam annorum reddamus, proinde ſumma obſeruatione atque deuotione à Chriſti fidelibus eſt celebranda, & incipit à feria quarta quæ primã Dominicam quadrageſimæ præcedit vſque ad diem Paſchatis excluſinè: vnde in quadrageſima quotidiè, exceptis Dominicis diebus, de præcepto ieiunandum eſt: propterea quot dies homo omittit, (niſi ſubſit rationabilis cauſa) tot peccata mortalia committit.

Inter alia ieiunia, quadrageſimale ieiunium eſt ſtrictiꝰ & ſolẽnius, in quo & in aliis pEccl. indictis, ſolus Papa diſpenſat, ex cauſa uerò in ieiunijs Epiſcopus poteſt diſpenſare, & huiuſmodi ieiunia in aliud pium opus commutare, & cauſa ſatis ſufficiẽs eſt debilitas perſonæ, ſiue ex defectu naturæ, ſiue exercitio exteriori proueniat, vt in meſſoribus, & alijs artificibus, qui ex diurno & longo labore ita debilitantur, quod ieiuniũ tollerare nõ poſſũt: proterea cũ iſtis & alijs licitè fit cõmutatio, propria tamẽ authoritate nullus ſibi hoc ieiunium cõmutare poteſt. In ieiunijs ad quę quis ſe obligauit ex voto, Epiſcopus poteſt diſpẽſare etiã ſine cauſa exiſtente in vouente, dummodo fiat in melius: In ieiunijs verò

rò impoſitis per pœnitentiam poteſt fieri commutatio per ſuperiorem, vel per parem, ſeu æqualem Confeſſorem. Et nota quod quando cauſa rationabilis eſt manifeſta & aperta, tunc non indiget diſpenſatione, ſecus ſi eſt dubia, quia in tali caſu per Epiſcopum, vel proprium Parochum, vel per proprium Confeſſorem ſiue alium, qui notitiam Iuris habeat, declarari poteſt. Ieiunium factum in peccato mortali, non valet quidem ad vitam æternã; valet tamen ad obedientiam præcepti, ſic enim ſatisfacit præcepto, vt non peccet de nouo, ſiue talis teneatur ieiunare ex mandato Eccleſiæ, ſiue Confeſſoris. Item valet quia diſponit ad Caſtitatem & ad alia bona Quod ſi quis dicat vtrum ieiunium poſſit transferri de vno die in alium: reſpondetur ſecundum Pa. & Inno. quod ſic exiſtente cauſa, ſicut experientia docet: nam ſi feſtum ſit die lunæ, nõ ieiunatur die Dominico, ſed die ſabbatho præcedente. Item ſi vigilia contingit in aliquo feſto ſolenni, tunc propter venerationem feſti authoritate Epiſcopi transferri poteſt ad alium diem.

In ieiunio Quadrageſimæ communiter abſtinẽdum eſt à carnibus ouis & lacticiniis: in aliis verò ieiuniis ab Eccleſia cõſtitutis, carnes ſemper interdicuntur: oua verò & lacticinia ſecundum conſuetudinem Patriæ, quę eſt ſeruanda. Quare autẽ prædicta tempore ieiuniorum ſint interdicta, eſt quia ieiunium ordinatur ad reprimendas concupiſcentias carnis, ideo huiuſmodi interdicit, quæ homi-

ad

ad venerea maximè prouocant, vt sunt carnes, oua, & lacticinia. Quare in quolibet ieiunio interdicitur esus carnium: in Ieiunio autem quadragesimali etiã oua & lacticinia interdicuntur, circa quorum abstinentiam in alijs ieiunijs diuersæ cõsuetudines apud diuersos existunt, quas quisq; obseruare potest secundum morem eorum inter quos conuersatur & habitat.

DE QVAESTORE.

QVæstores siue Quæstuarij dicũtur qui discurrunt pro eleæmosinis colligendis, & tales nõ debent admitti nisi habeant literas Apostolicas vel Diœcesani, intellige quando non pro seipsis sed nomine Hospitalium aut Monasteriorum, seu Ecclesiarum eleæmosinas petunt. Quęstores si habent literas Apostolicas, non debent admitti ad quæstũ faciendum siue eleæmosinas colligendo, nisi prius per Episcopum loci Ordinariũ tales fuerint examinati & admissi, neque possùnt prædicare minus Indulgẽtias populo publicare, sed solùm se dirigere secundum tenorem literarum illis concessarum, secus per Diœcesanum possunt puniri, & iam multis malis & abusibus in hoc genere per sacrum Cõcil. trid. prouisũ fuit sess. 21. cap. 9. sub his verbis.

Cum multa à diuersis antea Concilijs, tam Lateranensi, ac Lugdunensi, quàm Viennensi aduersus prauos eleæmosynarum Quęstorum abusus remedia tunc adhibita, posterioribus tẽporibus redita

dita fuerint inutilia, potiusque eorum malitia ita quotidie magno fidelium omnium scandalo, & q̄rela excrescere deprehendatur, vt de eorum emendatione nulla spes amplius relicta videatur, statuit vt posthac in quibuscunque Christianę religionis locis eorum nomen atque vsus penitus aboleatur, nec ad officium huiusmodi exercendum vllatenus admittantur, non obstantibus priuilegijs, Ecclesijs, Monasterijs, Hospitalibus, pijs locis & quibusuis, cuiuscunque gradus, status & dignitatis personis concessis, aut consuetudinibus etiam immemorabilib⁹. Vide etiam infra sess. vlt. in. decreto de Indulgentijs, vbi eadem sacrosancta trid. Synodus statuit prauos quæstus omnes pro Indulgentijs consequendis, vnde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse, qua in re Episcopi diligenter animaduertere debent, & huiusmodi abusus Ecclesię suæ colligere, eosque in prima Synodo Prouinciali referre vt aliorum quoq; Episcoporum sententiæ cognitę, ad summum Romanum Pontificem deferantur, cuius Authoritate & prudētia, quod Vniuersali Ecclesiæ expediet, statuatur, vt ita sanctarum Indulgentiarum munus piè, sanctè, & incorruptè omnibus fidelibus dispensetur.

DE QVARTA FVNERALIVM.

QVarta quæ funeralium dicitur, alio nomine Canonica portio, est duplex, vna quę debetur Ecclesię Cathedrali, & altera Ecclesię parochiali, &

li & de vtraq; sacrosancta Trid. synod. sess. 25. decreto de reform. cap. 13. ita decernit, vt quibuscunque in locis iam ante annos quadraginta, Quarta quæ funeralium dicitur Cathedrali aut parochiali Ecclesiæ solita esse persolui, ac postea fuerit ex quocunque Priuilegio, aliis Monasteriis, hospitalibus aut quibuscunque locis piis concessa, eadē posthac integro iure & eadem portione, quæ antea solebat Cathedrali seu parochiali Ecclesiæ persoluatur, nō obstantibus concessionibus, gratiis, priuilegiis, etiā Mari magno nuncupatis, aut aliis quibuscunque.

Canonica portio parochialis debetur Ecclesiæ vbi quis audit diuina & pcipit ecclesiastica sacramenta: si verò transtulit domicilium aliò & moritur antequàm nouum domicilium acquisierit, tunc debetur Ecclesię parochiali in qua moritur secundum D. Ant. Vgo. Raii. & alios nonnullos: quia tales tenent quod ibi debeat sepeliri, si sepulturam sibi non elegisset dum adhuc viueret: Innoc. verò dicit & tenet quod deberet sepeliri ī Ecclesia Cathedrali, & per consequens quod illi. & non parochiali Canonica portio deberetur. Quod si habet domicilium in diuersis locis, tunc moriēs, Canonica portio est diuidenda, eodem modo si in vna audit diuina, & in altera recipit sacramenta, & hoc est verū quādo vtraq; est curata & habet Cæmeterium.

Canonica portio parochialis debet dari de omnibus, quæ veniunt ratione funeris, & de omnibus legatis factis Ecclesiæ apud quam elegit sepulturā:

fallit

fallit tamen hoc in decem casibus, primò quando per consuetudinem vel prescriptionem nihil soluitur. secundò quando legatur ad vsus priuilegiatos. tertiò quando Ecclesiæ donatur donatione inter viuos. quartò quando post electionem sepulturæ in aliquo Monasterio, sanus existens illud intrat, & in eo antequam moriatur, profitetur: quia sic desinit esse parochianus alterius ecclesiæ. quinto quando quis legat Ecclesiæ in qua non elegit sibi sepulturam, nec ibidem sepelitur: vnde secundum cõmunem opinionem, si quis fuit sepultus in Ecclesia parochiali, aliæ Ecclesiæ legatariæ nihil ei soluere deberent: exquo apud eas testator non fuit sepultus. sextò quando de facto sepelitur, vtputa quia Ciuitas vel Ecclesia ibi erat interdicta, nam Quarta debetur Ecclesiæ parochiali ratione iniuriæ sibi factæ, sed tempore interdicti nulla iniuria fit Ecclesiæ parochiali, si alibi sepeliatur, ex quo ibi sepeliri non poterat. septimò fallit quando Ecclesia parochialis erat interdicta ex culpa sua, & non parochiani. Octauò quando testator reuocat electionẽ quam fecit legando, & alibi eligit sepulturam, & sepelitur, quia videtur tenere, quod reuocata electione sepulturæ, reuocetur, & legatum. nonò quando testator licet elegerit, tamen non ibi sepelitur: puta quia moritur nimis procul, & hæredes nolunt ad Ecclesiam electam deferri, quia verba sunt intelligenda cum effectu; ergo cessabit Canonica portio, ex quo ibi non sepelitur.

decimò

decimo quando per Priuilegium Papæ eximitur à solutione vt contingit de religiosis Dominicanis & franciscanis, qui iuxta Priuilegiũ Benedicti undecimi non tenentur exhibere Canonicam portionem de rebus ipsis relictis in communi vel speciali.

Circa autem quantitatem Canonicæ portionis exhibendæ Cathedrali aut parochiali Ecclesiæ, maximè standum est consuetudini locorum, quæ quãtum fieri poterit seruari debet, quod si non constet de consuetudine, tunc dari debet solùm Quarta, & in dubijs ob uarietatem & diuersitatem sententiarũ Doctorum & Summistarum cum aliqui dicant mediam, aliqui tertiam, & aliqui quartam esse dandã, eo casu debet accipi minor quota; quia in dubijs debemus sequi minimum.

DE RAPINA.

RApina est iniusta & violẽta acceptio rei alienæ. Ex genere suo est peccatum mortale & grauius furto: quia per eam non solum infertur dãnum proximo in bonis externis, sed etiam personæ fit iniuria. Nota pro maiori intelligẽtia huius doctrinæ, quod quicunque per violentiam aliquid alteri auffert, si sit priuata persona, non vtens publica potestate, illicitè agit, & rapinam committit, sicut patet de latronibus: secus autem de Principibus & Iudicibus, quibus potestas publica committitur ad hoc quod sint iustitiæ custodes & Executores, ideò

eis

eis licet ſecundum iuſtitiæ tenorem violentia ꝟti, vel contra hoſtes pugnando ꝟel contra ſubditos malefactores puniendo,& quod per talem violentiam auffertur,non habet rationem rapinę,cum nõ ſit contra Iuſtitiam.eodem modo dic de bello ſi eſt iuſtum, tales ad reſtitutionem non tenentur; quod ſi cõtra iuſtitiam aliquis etiam vtens publica poteſtate res alienas abſtulerit,vel in bello quod non eſt iuſtum, tales peccant & tenentur ad reſtitutionem, D.Thomas 22. quæſt.66.art.8.

Raptor ſecundum Canones multipliciter punitur, nempè excommunicatur ab Epiſcopo in cuius Epiſcopatu rapinam committit. Item denegatur ei pœnitentia niſi ablata reſtituat, vel plenam ſecuritatem de reddendo faciat, intellige ſi habeat ꝟnde poſſit reſtituere. Quid ſi differat ſatisfacere vſque ad mortem? reſpondetur quod in tali caſu ſi non poteſt ſatisfacere, petenti non denegabitur pœnitentia neque ꝟiaticum: ſi verò impœnitens decedit tunc ei etiam ſepultura Eccleſiaſtica denegabitur. & preſbyteri contra facientes debent iuxta ſacrorum canonum diſpoſitionem ab officio & beneficio deponi, intellige de manifeſtis & publicis raptoribus, de occultis verò ſecundum Inno. tales rigores ſeruari non debent, idem & alij ſentiunt.

Rapina & raptus inter ſe differunt, quia rapina reſpicit rem & raptus perſonã; Proinde raptus eſt grauius peccatum quàm ſit rapina. Raptor igitur eſt duplex, rerum ſcilicet & perſonarum. Pœna

raptoris

raptoris personarum secundum Ius Ciuile si ingenuam rapuit, capite punitur & eius substantia rapte applicatur; quod si ancillã rapuit, punitur quidem capite, tamen substantiam non perdit, intellige si honestam mulierem seu Virginem rapuit, secus si meretricem: secundum autem Ius Canonicum sanciuit sexta Synodus generalis Constantinop. Can. 92. vt raptores mulierum & consciji, si Clerici deponantur, si laici anathematizentur, & Concil. trid. sess. 24. decreto de reform. matrimonij cap. 6. sic habet contra raptores mulierum seu Virginum: Decernit sancta Synodus, inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris mãserit, nullum posse consistere matrimonium, Quod si rapta à raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in vxorem habeat, & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & fauorem præbentes sint ipso iure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, siue eam vxorem duxerit, siue non duxerit, decenter arbitrio Iudicis dotare.

DE RELIGIONE.

RElegio, de qua nunc intendimus, quadrupliciter ſumitur. primò, pro cultu veri Dei, quò ad fidem, & ſic comprehendit totam Chriſtianitatem. ſecundò pro cultu veri Dei, per fidem, & bona opera, & ſic comprehendit vniuerſitatem bonorum Chriſtianorum. tertiò, pro ſtatu clericali, Deo magis dedito. quartò, Religio ſumitur ſtrictiſſimè, pro illo ſtatu, qui profeſſione trium votorum, ſcilicet obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, ſe Prælati imperio ſubiicit, & ſe totum Deo dedicat. Similiter religioſus ſumitur quatuor modis. primò, pro Chriſtiano. ſecundò, pro Chriſtiano bono. tertiò, pro Clerico. quartò, pro eo, qui eſt profeſſus alicui religioni approbatę: Religiones autem approbatæ ſunt quatuor; prima diui Baſilij, ſecunda diui Benedicti, tertia diui Auguſtini, quarta beati Franciſci, quia quatuor ſunt regulę approbatæ, ſub regula diui Baſilij, quę fuit prima, militant omnes monachi orientalis Eccleſiæ, ſeu Græci. ſub regula diui Benedicti, militant monachi nigri, Ciſtertienſes, Camaldulenſes, Celeſtini, & ordo Mõtis oliueti. Sub regula diui Auguſtini, militant Canonici regulares, ordo Prędicatorum, Eremitani, Seruitę, ordo ſanctæ Brigidę, ordo ſancti Hieronymi, Scopetini, ordo ſancti Ioannis Hieroſolymitani, ordo ſancti Antonij, & ordo Cruciferorum.

rorum. Sub regula beati Franciſci, militant ſolùm Minores.

Circa religionis ingreſſum, vt doctrina clarior reddatur, ponuntur aliquot concluſiones, quarum prima eſt iſta, Religionem approbatam intrare, cuilibet Prælato, citra Epiſcopum, dimiſſa Prælatura, in Iure permittitur: Epiſcopi verò & Superiores, ſine licentia Papæ, ad Religionem tranſire nequeunt. ſecunda concluſio, Qui duxit vxorem per verba de præſenti, & non conſummauit Matrimonium, poteſt Religionem intrare, ſecutaq; profeſſione, alter coniugum manẽs in ſeculo, poteſt cum alio contrahere: qui autem conſummauit, nõ poteſt altero viuente & remanente in ſeculo, Religioné ingredi. tertia concluſio, Puberes inuitis ac prohibentibus parentibus, poſſunt intrare Religionem: impuberes verò, ſi ingrediantur, poſſunt à parentibus vel tutoribus extrahi. quarta concluſio, Puberibus licet ſe voto obligare ad religionis ingreſſum ante verò annos pubertatis, vota filiorum ſunt in poteſtate parentis, qui poteſt acceptare, vel irritare. quinta concluſio; Qui vouit intrare Religionem in genere, ſi non poteſt vnam ingredi, tenetur aliam intrare, quòd ſi talis nullam inueniret, quæ vellet illum recipere, & feciſſet quod in ſe eſt, eo caſu poſſet eſſe in ſeculo, & nubere; qui autẽ vouit Religionem in ſpecie, & in ea abſolutè recipi non poteſt, aliam ingredi non tenetur, ſed eo caſu etiam talis poteſt manere in ſeculo, & nubere: quia

in

in voto Religionis subintelliguntur istæ conditiones, videlicet, si possum, vel si volunt me recipere, quibus non stantibus, & votum non stat. sexta conclusio, Qui habet votum Religionis, si eligatur in Episcopum, prius tenetur Religionem intrare, cui se voto astrinxit. septima conclusio, Qui vouit, non intrare Religionem, non tenetur illud seruare, quia huiusmodi votum est contra bonum consilii, Matth. 19. octaua conclusio, Qui ingrediuntur Religionem approbatã, secundùm Iura, se & sua Deo dedicant, nisi ipsi ãte professionem aliter dispoſuerint, quod nequeunt prestare post expressam, vel tacitam professionem. nona conclusio, Religiosus si ad dignitatem episcopalem assumatur, tenetur nihilominus ad tria vota Religionis, ad habitum deferendum, & ad omnes obseruantias regulares, officium pontificale, non impedientes.

Professio Religionis duplex, tacita & expressa. Professio tacita fit sine voce & scriptura, tribus modis. primò inducitur, quando quis se ingerit actib⁹, qui solùm professis de Iure, vel de consuetudine conueniunt, scienter ac propria voluntate. secundò, ex delatione habitus professorum scienter. tertiò, professio tacita Religionis inducitur ex delatione habitus nouitiorum per annum. Professio verò expressa Religionis fit voce, aut scriptura, & vt teneat, atque obliget, sex necessariò requiruntur. Primò, quòd profitens compleuerit decimum sextum annum. vigore Concilij Tridentini, sess. 25.

cap. 15. de reg. & monial. secundò, quòd fiat ei, qui potest Religioni approbatę incorporare, vel de eius licentia. tertiò, quòd fiat alicui vni Religioni approbatæ. quartò, quòd Prælatus, in cuius manibus professio fit, requirat consilium, vel consensum Capituli, prout regula, seu statutum talis Religionis mãdat. quintò, quòd fiat simpliciter de tribus votis, obedientia, paupertate, & castitate, explicitè, vel implicitè: nam professioni Religionis, hæc tria vota sunt substantialia. sextò, ad professionem expressam religionis, requiritur continuitas anni probationis, cum delatione habitus.

Circa transitum de vna Religione ad aliam nullus religiosus ad laxiorem transire potest, vt habetur in Conc. Trident. sess. 25. cap. 19. de regul. & monialibus: ad strictiorem verò religionem potest esse transitus, duobus concurrentibus, primò, quòd non fiat leuitate; aut temeritate, aut odio Prælati: sed zelo vitæ melioris. secundò, quòd religio, ad quam transitur, non solùm sit strictior de iure, id est, secundùm se, sed etiam de facto, quia scilicet actu seruatur: his enim concurrentibus, transitus de vna religione ad aliam, est licitus: verba autem prędictæ sacrosanctæ Synodi, sunt hæc, Nemo etiam regularis cuiuscunque facultatis vigore transeat ad laxiorem religionem, nec detur licentia cuiquam regulari occultè ferendi habitum suę religionis.

DE

DE RENVNCIATIONE.

RE nunciatio, de qua nunc intendimus, est Iuris proprij spontanea refutatio, quæ tribus modis dicitur illegitima & inualida. primò, ratione personæ renunciantis, puta quia est minor, vel aliàs non potens renunciare. secundò, ratione personæ, in cuius manibus fit renunciatio; vt si non fiat ei, cui debet. tertiò, ratione rei, quæ renunciari non potest: sicut Iuri naturali, agnationis & sanguinis, nemo potest renunciare. Renunciatio regulariter, & in genere facienda est in manibus eius, à quo institutio, vel confirmatio habetur: in specie autem Episcopatus debet renũciari in manibus Papę, vel Legati, etiam si Episcopus non sit consecratus, modò sit electus & confirmatus. idem dic de Abbate, qui immediatè Sedi Apostolicæ est subiectus: inferiorũ verò beneficiorum ac dignitatum renunciatio, in manibus proprij ordinarij fieri debet.

Renunciatio beneficij, vel rei spiritualis debet fieri purè & absolutè: vnde si quis renunciet beneficio, vel resignet aliquid spirituale, aliquo dato, seu promisso, simonia est: quòd si non præcedat datio, sit ue promissio, sed sola intentio, vt scilicet renunciet beneficio hac intentione, vt detur sibi aliquid temporale, secus non renunciaturus, simonia mentalis est, quæ per solam pœnitentiam in foro animæ aboletur, neque ab Ecclesia punitur, verùm si quis renunciat beneficio ea intentione,

vt detur nepoti, vel alteri, nullo pacto intercuiente, labem simoniæ non incurrit. secùs si illud in pactum deducatur.

Quod si quæratur, vtrum quis possit cedere liti, aut renunciare Iuri, quod habet super beneficio, siue re spirituali, aliquo temporali dato absque simonia? dico quod non, si fiat authoritate partium, secùs si fiat authoritate Superioris, per modum compositionis, & pro bono pacis, maximè quando ipse dans est certus se habere ius, quia sic est redimere vexationem.

Causæ, propter quas Episcopus & alij Prælati possunt renunciare & cedere, sunt sex, conscientiæ criminis, debilitas corporis, magnus defectus scientiæ, malitia plebis, graue scandalum, & irregularitas personæ: Hæc enim sunt, propter quæ potest quis petere cessionem. primò, propter conscientiã criminis, non cuiuslibet, sed duntaxat illius, propter quod ipsius officij executio post peractam pœnitẽtiam impeditur. secũdò, debilitas corporis, nõ quælibet, sed solùm illa, legitimam causam renunciandi præstat, per quam quis ad exequendum officium pastorale, redditur impotens. tertiò, propter magnũ defectum scientiæ, nam si scientia in pastore mediocris sit, tolerari potest, quia imperfectionem scientiæ potest supplere, perfectio charitatis & bonitas vitæ. quartò, malitia plebis iustam tribuit causam renunciandi, vt quando plebs tàm duræ cerui cis existit: vt apud ipsam Prælatus amplius proficere

non

non possit, quintò, pro graui scandalo vitando, cùm aliter sedari non potest, nam eo casu licet Episcopo petere cessionem, ne plus temporalem honorem, quam æternam videatur affectare salutem. sextò, propter irregularitatem, quę oritur ex bigamia. Cæterùm ob alias causas renunciationem affectãtes, audiendi non sunt.

DE RESIDENTIA.

RESidentia est proprij officij personalis solutio, in proprio beneficio, seu Ecclesiæ: vnde residentia duo includit, præsentiam, cum cura: nam parùm esset præsentiam exhibere, & proprię Ecclesię, siue beneficij curam negligere. Ad residentiam tenentur omnes habentes beneficium curatum; vel quodcunque aliud, si hoc ei competat ex statuto, vel priuilegio, aut cõsuetudine approbata. quinimò, in Iure omne beneficium residentiam requirit, nisi constet de contrario: verùm non residens rationabili de causa, in conscientia excusatur à peccato, vbi intereà suis impensis prouidet, quòd Ecclesia decẽter, & populus benè regatur, aliàs non est tutus in conscientia. Quare Clericus beneficiatus, salua conscientia, per aliquod tempus non potest se absentare à suo beneficio, seu Ecclesia, nisi duo simul concurrant, scilicet causa rationabilis, & licentia Superioris: qui verò non residet in beneficio, nec implet in eo sua officia: sed potius voluptatibus vacat, talis in rebus ecclesiasticis nihil iuris habet, & per cõse-

quens fructus sic ex suo beneficio perceptos restituere tenetur.

Clericus non residens ex causa legitima probabiliter, tribus publicis edictis venit citandus, & expectatus per sex menses, si non respõdet, minùs cõparet, priuabitur suo beneficio, intellige de Ecclesijs & beneficijs, quæ residentiam exigunt ex statuto, priuilegio, vel consuetudine, Clericus autem si sit absens, non ex causa legitima, si hoc èst certum absque citatione, & expectatione potest priuari suo beneficio, secùs debet citari, & sex mensibus xpectari.

Clericus non residens, ex multis causis suo beneficio priuari non potest, & licitè fructus recipere valet primò, si sit absens pro negotijs Ecclesię, & generaliter ex iusta causa. secundò, si sit in seruitio Papæ, seruiendo & assistendo. vt Capellani, aliique omnes, qui in curia summi Pontificis ex præcepto eius, & non propria voluntate morantur. tertiò, si sit in studio Theologię per quinque annos, & studet, aut docet, secùs de alijs studiis, seu scientijs; tales tamen quotidianas distributiones non recipient, quartò, si sit infirmus, & talis etiã quotidianas distributiones accipit, intellige quando infirmitas est proxima, & immediata causa, quod non interfit diuinis. Vide circa hanc materiam de residentia Concil. Trid. sess. 6. de reform. cap. 1. sess. 23. cap. 1. & 2. sess. 24. cap. 12. & sess. 20. de reform. cap. 3.

DE

DE RESTITVTIONE.

REstitutio est actus iustitiæ commutatiuę, per consequens de necessitate salutis, quia sicut auferre alienum est peccatum mortale, vtpotè contrà præceptum Decalogi, Exo. 20. Non furtum facies, ita retinere alienum. Quatè si res ablata potest restitui, peccatum non remittitur, neque est vera pœnitentia, nisi fiat restitutio, quę tria bona ablata respicit, scilicet animę, corporis, & fortunæ, vnde qui damnũ intulit proximo, quò ad animã, vel corpus, vel bona fortunæ, tenetur, quàm citius poterit, restituere, & restitutio in omni casu ab homine fieri debet, qualis possibilis est, arbitrio boni viri reseruata semper magna necessitate debitoris, hoc est, vsque ad mendicitatem; ad id tamen quod potest, statim tenetur; impotentia enim ad restituendum de facto absoluta, debitorem in conscientia excusat.

Restituere tenetur, quicunque fuit causa iniustę acceptionis, primò, executor iniustæ acceptionis scienter, vti minister vsurarii. secũdò, iubens actionem iniustã, quia talis est principalis causa mouens, ideò tenetur restituere, si ex sua iussione secuta est iniusta acceptio. tertiò, consulens efficaciter, ita vt ex tali consilio moueatur quis ad accipiendũ iniustè rem alienam, & effectualiter sequatur effectus, secus si non sequitur effectus. quarto, cõsentiẽs taliter, quod sine tali cõsensu nõ fuisset secutus effect⁹.

quintò,

quinto, receptor taliũ, quia est causa maleficij, præbendo eis securitatem & custodiam prędæ, ideò restituere tenetur. sextò, mediator, associãdo, vel participando in crimine iniustę acceptionis, debet satisfacere & restituere. septimò, non obstans, id est, non impediens acceptionẽ iniustam, quam potest & debet impedire, sicut iudices & domini temporales, quibus ex officio incũbit tueri iustitiã, & non faciunt: isti enim sunt, qui secuta damnificatione restituere tenentur: quia qui causam dedit dãni, damnum resarcire debet. Quod si effectus nõ sequatur, licet tales ad restitutionem nõ teneantur: tamen nõ excusantur à peccato mortali, vtpotè dando operam ei quod ex genere suo peccatum mortale est.

Restitutio regulariter est facienda spoliatis principalibus, vel eorum hæredibus, si inueniãtur, aliàs pauperibus, quod si facta restitutione in pauperes, & ĩ pias causas appareat dominus rei, vel hæres, debitor eo casu, si debitè inquisiuit, amplius non tenetur: verùm in sex potissimùm casibus restitutio de bonis fortunæ vero domino non est facienda. primò, si res ablata sit in iusto bello. secundò, si illa edicto imperiali, vel ecclesiastico sit interdictatio, si dominus est pupillus, minor, aut furiosus, & eo casu res restituetur tutori, vel curatori. quartò, si verus dominus mortuus sit, & tunc restituetur hæredi legitimo. quintò, si res restituenda accepta sit à Prælato ecclesiastico, & in tali casu restitutio fiet Ecclesiæ, seu monasterio. sextò, quando res

restituenda

restituenda de certa, fit incerta, & tunc expectatur cognitio, & decisio causę.

Quærenti autem, quid agẽdum sit, vbi is cui restituendum esset, ignoratur, aut est mortuus, aut multum distat? Respondeo, quod si talis, cui faciẽda esset restitutio, sit omninò ignotus, eo casu debitor restituet eo modo quo potest, scilicet dando in eleemosynas pro salute illius, siue mortuus sit, siue viuus, intellige præmissa diligenti inquisitione de persona veri domini. si verò est mortuus, restitutio hęredi est faciẽda; demùm si dominus rei multùm distet, & res sit magni valoris, suppositaque cõmoditate debet ei transmitti, vel deponi in aliquo loco tuto, & dominum certiorem facere; secùs autem si res esset omninò exigui momenti, nam eo casu posset dare in elemosynam pro anima veri domini.

DE SACRAMENTO.

SAcramentum nouę legis, de quo intẽdimus, est signum rei sacrę sanctificãtis nos. & consistit in duobus, scilicet in verbis, & in re, iuxta illud diui Augustini: Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum: tria tamen sunt de eius substantia, debita materia, debita forma verborum, & intentio ministri copulantis formam materiæ: bonitas

autem

autem Sacerdotis non est de essentia Sacramenti, non enim refert, à quo conficiatur, siue à bono, siue malo, licet peccent, qui indignè conficiunt, & qui ea ab hæreticis, schismaticis, simoniacis, degradatis, excommunicatis, aut notorijs fornicatoribus scienter recipiunt.

Sacramenta veteris legis numero quodammodò fuerunt infinita; præcipua tamen fuerunt tria, Circumcisio, figura Baptismi; agnus paschalis, figura Eucharistiæ: Vnctio Sacerdotũ, figura Ordinis, quæ fuerunt tãtùm signa gratiæ & iustificationis nostræ, & nõ causa, propterea Apostolus ad Galat. 4. illa infirma & egena appellat: Sacramenta verò nouæ legis ponuntur septem, Baptismus, Cõfirmatio, Eucharistia, Pœnitẽtia, Extrema Vnctio, Ordo, & Matrimonium, quæ conferunt gratiã in genere causæ efficientis, & ex opere operato: quia sunt instrumenta passionis Christi, à quo est omnis nostra sanctificatio. In quolibet Sacramento nouæ legis dantur tria, Sacramentum tantùm, signũ ipsũ exterius sumptum sub sua forma, res tantùm, id est, ipse effectus interior vltimus, puta ipsa gratia collata. res simul & Sacramentum, id est, interior causa gratiæ, vt in Baptismo, Confirmatione, & Ordine character, & in Eucharistia corpus Christi verùm.

Sacramenta nouæ legis saluti humanæ omnia sunt necessaria, vel ratione personę, vel ratione cõmunitatis, vt Ordo & Matrimonium. item omnia sunt necessaria, uel simpliciter, vel secundùm quid.

simpli-

simpliciter omninò ratione personę est Baptismus necessarius: ratione verò cõmunitatis simpliciter & absolutè Ordo est necessarius. Sacramentum Cõfirmationis & Ordinis à solo Episcopo, cui plena administratio Sacramentorum competit, conferri possunt: alia verò præter Baptismum in necessitate, à solo Sacerdote legitimè ordinato, administrari possunt; Verùm inter Sacramenta nouæ legis, quædàm imprimunt characterem in susceipientibus ea, vt Baptismus, Confirmatio & Ordo; in istis enim traditur susceipientibus quædam potestas spiritualis passiua, vt in Baptismo & Confirmatione, recipiendi alia Sacramenta, vel actiua, vt in Ordine, conficiendi Eucharistiam, & alia diuina instituta administrandi; reliqua verò non imprimunt characterem, propterea absque sacrilegio iterari possunt.

Omnia Sacramenta nouæ legis à Christo Domino fuerunt immediatè instituta, Baptismum Christus instituit, quãdo ĩ Iordane à Ioãne Baptismũ susceepit, Matth. 3. tunc tactu suæ mundissimę carnis, vi regeneratiuam contulit aquis. Confirmationem instituit, quando posuit manus super capita puerorum, & Apostolis prohibentibus dixit, Sinite parvulos venire ad me, Matth. 19. vel secundùm aliquos, in die Pentecostes, quando misit spiritum sanctum visibiliter super Apostolos, Actor. 2, Eucharistiam instituit in die cœnæ, quando panem & vinum in suum corpus & sanguinem sua ineffabili potestate conuertit dicens, Accipite & man-

manducate, hoc est corpus meum,& sumpto calice dicens: Accipite,& bibite ex hoc omnes. hic est calix sanguinis mei, Matth. 26. Marc. 14. & Luc. 22. Pœnitentiam Christus instituit, quando ab ea exordium suę saluberrimę prędicationis assumpsit, dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum, Matth. 4. Extremam Vnctionem instituit, quando Apostolos misit vngere, & sanare infirmos, Luc. 10. Ordinem in die Cœnæ, quando Apostolis dixit: Hoc facite in meam commemorationem, Matth. 26. Matrimonium, quatenus Sacramentū, Christus instituit, quādo in vtero Virginis Mariæ voluit naturā humanā diuinæ naturę in vnitatē personæ vnire, Luc. 1. quam vnionē Matrimonium signat, sicut enim in actu matrimoniali vir & vxor sunt duo in vna carne, Genes. 2. sic duæ naturę scilicet humana & diuina, mysterio diuinæ incarnationis sunt in vna persona.

DE SATISFACTIONE.

SAtisfactio actus iustitiæ, est voluntaria recompensatio pro illata iniuria secundùm æqualitatem iustitiæ, cum proposito non committendi nouam iniuriam, & licet homo nequeat Deo satisfacere pro peccato, reddēdo ęquiualens secundū equalitatem quantitatis: tamen potest satisfacere reddēdo sufficiens, secundùm quantitatem proportionis: nam sicut offensa habet quandam infinitatem, ex infinitate diuinę maiestatis, ita satisfactio nostra

prout

prout est gratia informata, quãdam infinitatem, ex infinitate diuinæ misericordię, accipit; Verũ homo non potest satisfacere pro vno peccato, & non pro alio; quia satisfactio offensam tollit, & per cõsequẽs amicitiam restituit; sed omne peccatum mortale impedit amicitiam ad Deum; ergo satisfactio non potest esse pro vno peccato, & non pro alio.

Vnus homo pro alio satisfacere non potest, inquantum satisfactio præseruat, & cauet à culpa futura, quia ieiunium vnius non mortificat corp⁹ alterius, nec ei prodest, vt castè viuat, nisi prouocatiuè, & per accidens, inquantum verò satisfactio recompensat iniuriam præteritam, vnus pro alio nedum homini, sed etiam Deo (modò is, qui offendit sit contritus) satisfacere potest, satisfactio tamen facta in peccato mortali, seu per opera extra charitatem, nõ valet, quoniam satisfactio est amotio offensæ, & amicitię Dei restitutio, quod sine gratia & charitate non fit, vnde, quia homo nescit se habere charitatem, Eccles. 5. propterea de propitiatu peccatorum non debet esse sine metu, tamẽ quòd ad hoc certitudo probabilis coniecturæ sufficit. Quid si satisfactio sacramentalis soluatur, & expleatur in peccato mortali, siue extra charitatem? Respondeo, quod eo casu per eam homo satisfacit quidem Sacerdoti, qui non ligauit peccatorem ad complendã pœnitentiam iniunctam in charitate, tamen nõ satisfacit Deo, qui non acceptat, quod sine charitate exhibetur, propterea talis remanet Deo obligatus

vt

vt prius ,quia licet in ſpecie non teneatur reiterare quod Sacerdos iniunxit,tamẽ tenetur facere æquiualens, hinc Supp.conſulit, vt Sacerdos exiguam pœnitentiam iniungat , veriſimiliter in charitate ſtatim explendam , clarius autem ad quęſitum dico, quòd ſatisfactio duplex , ſacramentalis, quę fit ex iniunctione Sacerdotis, & virtuoſa, prima poteſt fieri etiam in peccato mortali, ſecùs de ſecunda.

Satisfactio tàm ſacramentalis quàm virtuoſa, habet fieri per opera pœnalia , que pręcipua ſunt tria , oratio,eleemoſyna, & ieiunium, Tob. 12, Bona eſt oratio cum ieiunio , & eleemoſyna. horum tamen trium melior eſt eleemoſyna,deinde oratio, vltimò ieiunium . eleemoſyna dicitur melior , quia ipſa alia duo aliquo modo includit,& non è contra, qui enim accipit eleemoſynam,tenetur orare,& ieiunare pro eo,qui dedit. Ad eleemoſynam reducuntur omnia opera miſericordię corporalia. Ad orationem omnia opera miſericordiæ ſpiritualia, & ad ieiunium reducuntur omnia afflictiua, vt vigiliæ, peregrinationes , & alia id genus : flagella autem quę à Deo nobis pro peccatis infliguntur, ſi eis vtimur patienter , rationem ſatisfactionis accipiunt: ſi verò eis per impatientiam diſſentimus, non habent rationem ſatisfactionis, ſed tantùm vindicationis.

DE

DE SCANDALO.

SCandalum vox Græca, Latinè offensio, siue ruina, sicque conuenienter à sacris Doctoribꝰ definitur, scandalum est dictum vel factum minus rectum, id est, secundum se malum, siue habēs speciem mali, præbens alteri occasionem ruinæ. & vt docet D. Thomas 2.2. quæst. 44. artic. 1 duplex est, actiuum scilicet & passiuum. Scandalum actiuum est, quando dictum vel factū alterius, est alicui causa peccādi per se: puta quia intendit per hoc alium ad peccandum inducere, vel quia factum est tale, quod de sui ratione habet, vt sit inductiuum ad peccandum. Scandalum verò passiuum est, quando dictum vel factum vnius, est alteri causa peccādi merè per accidens: puta quando præter intentionem operantis, & operis conditionem, aliquis malè dispositus, ex huiusmodi opere inducitur ad peccandum, & eo casu operans quantum in se est, non dat occasionem ruinę, sed alius eam sumit. Quare scandalum passiuum potest esse sine actiuo: sicut quandoque actiuum est sine passiuo.

Scandalum passiuum semper est peccatum in scandalizato: quoniam talis spiritualiter ruit, Matth. 11. Beatus est, qui non fuerit scādalizatus in me. Item Ioan. 16. Hęc locutus sum vobis, vt non scandalizemini; similiter scandalum actiuum semper est peccatum in scandalizante, Matth. 18. Qui scandalizauerit vnum de pusillis, qui in me cre-

dunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Roman. 14. Ne ponatis, inquit Apostolus, offendiculum fratri, vel scandalum. Verùm scandalum actiuum quandoque est peccatum mortale, vt quando scãdalizans intendit, proximum inducere ad mortale per veniale, vel ad veniale per mortale: quandoque verò est peccatum veniale, vt quando scandalizans intendit, alium inducere ad veniale per veniale. idem dico de scandalo passiuo, est veniale in scandalizato, si procedatur ad veniale, mortale si moueatur ad mortale.

Bona spiritualia, quę sunt de necessitate salutis, propter scandalum, quod inde ab aliquibus iumitur, non sunt dimittenda: quia nullus debet peccare mortaliter, imò nec venialiter, vt peccatum alterius impediat: bona verò spiritualia, quæ nõ sunt de necessitate salutis, si periculum immineat ex infirmitate vel ignorantia, eo casu sunt occultanda, & interdum etiam differenda, quousque reddita ratione, scandalum cesset, qua reddita si scandalum duret, tunc est contemnendum, hoc est, propter illud spiritualia bona non sunt dimittenda. Matth. 15 Vbi legis, quod cùm Dominus satisfeciſſet Pharisæis, de non lotione manuum, & audiret eos inde esse scandalizatos, dixit suis Apostolis: Sinite illos, quia cæci sunt. Quare bona spiritualia non sunt dimittenda propter scandalum Pharisęorum, quod procedit ex malitia, vt Christus Matth. 15. docet;

propter

propter verò scandalum pusillorum, quod procedit ex infirmitate vel ignorantia, bona spiritualia, quę non sunt de necessitate salutis, veniunt occultãda & ad tempus differenda, similiter pœnarum afflictio, seu punitio, & correctio fraterna.

DE SENTENTIA.

SEntentia est applicatio iuris ad particulare factum, vel est iudicialis diffinitio, quæ controuersijs. finem imponit pronunciatione competentis Iudicis, condemnationem, vel absolutionem cõtinens. & communiter ponitur duplex, interlocutoria, & diffinitiua. Interlocutoria est, quæ fertur quasi loquendo inter partes sine aliqua solennitate, & scriptura, non super principali, sed super incidẽtibus quæstionibus inter principium, & finem causę, quam qui eam tulit, siue sit delegatus, siue sit ordinarius Iudex, potest reuocare, etiam post appellationem: Sententia verò diffinitiua fertur in scriptis, super principali, & lata, non potest aliquid addi, nec minui, nec detrahi, aut reuocari per eũdem Iudicem: fallit tamen hæc doctrina in sex casibus, in quibus ordinarius suam sententiam diffiniti— uam latam retractare potest. primò, si sit nulla, vel annullanda propter errorem facti. secundò, in mulcta, quæ propter inopiam est remittenda. tertiò in fructibus, expensis, & alijs accessoribus. quartò, si aliquis cõdemnatus, absens, veniat adhuc Iudice

pro tribunali ſedente, quintò, ratione publicæ vtilitatis. ſextò, vbicunque vertitur periculum animę, ſtante ſententia diffinitiua lata: in his enim caſibus iudex ordinarius eam retractare poteſt.

Sententia diffinitiua vt ſit canonica & valida, quinque neceſſariò requiruntur. primò, quòd ſit lata ordine ſubſtantiali iuris ſeruato. ſecundò, debet eſſe abſolutoria, vel condemnatoria. tertiò, debet eſſe certa. quartò, debet eſſe abſoluta. quintò, ſuper omnia requiritur, quòd ſit iuſta, ſecus eſt nulla, & in ipſa ferenda, quinque potiſſimùm à iudice obſeruanda veniunt. primò, debet dari ſedendo, non ſtando. ſecundò, præſentibus partibus. vel contumacibus citatis, eam in ſcriptis recitando. tertiò, legente ſiue recitante ſententiam illo, qui eam fert: niſi ſit Epiſcopus, vel alius illuſtris. quartò, in loco publico & honeſto. quintò, debet dari de die, non in tenebris, nec quolibet die, ſed die non feriato, die enim feriato, maximè feſtiuo & ſolenni ſententia non eſt ferenda. Quid ſi duo ſint iudices, & ſententias diuerſas ferant? Reſpondeo, quod ſi proceſſerunt ex iuriſdictione ordinaria, tenet illa, quæ eſt pro reo, non quæ pro actore, intellige in materia odioſa: in cauſa verò fauorabili, puta Matrimonio, dote, ſiue libertate, tenet illa, quæ eſt pro actore, nó quæ eſt pro reo.

Sententia lata cum cognitione cauſæ perpetuò durat, ſecùs ſi eſt lata ſine cognitione cauſæ. A ſententia lata, poſtquàm tranſiuit in rem iudicatã, appellari

pellari non potest, sed executioni venit mandanda: in actionibus enim personalibus sententia lata post quatuor menses à die pronunciationis, executioni mandari debet: in actionibus verò realibus & criminalibus, statim post decem dies concessos ad appellandum, intellige si res sit in præsentia: fallit tamen hæc doctrina in quatuor casibus. primò, quando princeps ex vindicta seuerius fert sententiam, & eo casu differtur eius executio ad minus p triginta dies. secundò, quando sententia lata est in mulierem prægnantem, & eo casu eius executio differtur vsque ad partum. tertiò, quando quis est confessus de crimine, & deinde negat. quartò, quando sententia capitalis lata est in seruum, tunc differtur eius executio vsque ad redditam rationē administrationis.

DE SEPVLTVRA.

SEpultura apud Doctores tripliciter sumitur, quandoque pro iure sepeliendi, siue sepulchri: quādoq; pro ipso officio, quod impeditur corporib⁹ funerandis: quandoque pro loco, in quo aliquis est sepultus, vel sepeliendus, siue sit terra, siue arca lapidea, siue aliud, qui locus authoritate pontificali, tali vsui est deputatus: iuxta quam tertiam acceptionem, nunc de sepultura principaliter intendimus: in qua quidem sepultura quantum ad solennitates, mos cuiuscunq; prouinciæ approbatus seruari debet, & quę ad ornatum sepulturę adhibētur, psunt

viuis, quatenus sunt viuorum solatia, prosunt defũctis, quatenus per huiusmodi homines excitantur ad compatiendum, ac per consequens ad orandum pro illis, ℣el inquantum ex sumptibus sepulturę pauperes fructum capiunt, vel Ecclesia decoratur: ℣nde meritò sepultura Sapient. 4. inter eleemosynas computatur. Ius sepulturæ generaliter competit Ecclesijs parochialibus, & illisquibus à iure, ℣el priuilegio concessum est, ℣t Ecclesijs Predicatorũ & Minorum: ℣erùm in Ecclesia, secundùm iura antiqua, non debent sepeliri nisi Prælati, cęteri autem apud Ecclesiam in cœmiterio, qui locus debet esse consecratus ab Episcopo.

Sepulturę per fideles, nõ nisi in sacris & religiosis locis ideò constituuntur, quia minus ibi spiritibus immundis vexantur, & quia sanctorum illorũ commendantur patrociniis, quorum nomini Ecclesia, in qua corpora conquiescunt, est consecrata. Accedit quod defunctorum proximi ad sacra loca venientes, sepulturamque conspicientes, suorũ recordantur, & pro eis preces fundunt: vnde mortuorũ sepultura & cœmiteria, apud illas Ecclesias & monasteria antiquitùs disposita esse comperiuntur, in quibus religiosorum Conuentus sunt constituti, vbi orationes & Missarum solennia, tàm pro ℣iuis quàm pro defunctis, frequentius celebrantur.

Sepulturam eligere potest omnis fidelis constitutus in legitima ætate, hoc est, qui sit pubes, etiam

fine

sine consensu patris, seu domini, impubes verò, qui non est compos mentis, & religiosus professus, secundùm Iura, sepulturam sibi eligere nequeũt: sed in tali casu pater eligit filio, dominus seruo, & religiosus debet sepeliri in suo monasterio, extra quod si moreretur, & cõmodè ad illud deferri nõ posset, eo casu posset sibi eligere sepulturam pro voluntate. Quod si quis non electa sepultura decedat, talis sepeliẽdus est in Ecclesia, vbi sunt eius maiores, scilicet pater, auus & alii, quod si non constet de sepultura maiorum, eo casu sepelietur in Ecclesia, vbi audiuit diuina, & accepit ecclesiastica Sacramenta: peregrini verò & aduenæ sunt sepeliendi in Ecclesia cathedrali, vel parochiali, vbi moriuntur, si ipsi aliter non disposuerint, neque commodè ad sepulchra suorum maiorum ferri possint, quòd si Ecclesia sepulchri maiorum sit interdicta, eo casu sepelientur in Ecclesia cathedrali vel parochiali. Vxor secundùm Iura, venit sepelienda in sepulchro viri, quod si vna habuit plures, sequetur vltimum: quia vna caro est cum eo.

Sepultura ecclesiastica in Iure, duodecim conditionibus personarum interdicitur. primò, excommunicatis, etiam minori notoriè. secundò, manifestis vsurarijs. tertiò, morientibus in torneamentis, siue duello. quartò raptoribus publicis, qui non satisfaciunt in vita & si possint. quintò, manifestis blasphematoribus Dei & Sanctorum. sextò, iis, qui non communicant semel in anno, nec confitentur,

nisi signa contritionis ostendant, & sit notorium, quod non sint confessi: quia semper bonũ debemus præsumere, vbi de contrario non constat. septimò, morientibus in peccato mortali notoriè. octauò, interdictis nominatim. nonò, iis, quibus ingressus Ecclesiæ est interdictus. decimò, illi, qui Sacerdotem tutorẽ, filijs suis instituit, tamen glossa contrarium tenet. vndecimò, Iudęis, paganis, hæreticis, & eorum fautoribus. duodecimò ijs, qui se occidunt ex desperatione, vel iracundia, secùs si ex furore morbi, siue à casu, verùm etiam illis, qui se occidunt ex desperatione, si ante spiritus emissionem, signa pœnitentię ostendunt. sepultura ecclesiastica, non est deneganda.

DE SIMONIA.

SImonia à Simone mago dicta est, qui potestatem dandi Spiritum sanctum, pecunia comparare voluit, Act 8. sicque à doctoribus definitur, Simonia est studiosa voluntas emendi, aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum, & cõmuniter ponitur duplex, mentalis, quæ sola intentione committitur, & extrinseca, opere accedente. Simonia mentalis, quę sola voluntate, hoc est, intentione deliberata contrahitur, soli iudicio diuino subest, & à solo Deo punitur: Simonia verò extrinseca, quæ intentione emendi, vel vendendi spiritualia opere subsecuto contrahitur, etiam iudicio Ecclesię, quæ non iudicat de occultis, nisi quatenus proce-

dunt

cedunt ad extra, ſubeſt, & ab ea punitur: verùm ad ſimoniam extrinſecam, ꝟt quis eam incurrat tria debent accedere, ſtudioſa ꝟoluntas emendi vel vẽdendi ſpiritualia: conuentio de precio explicita, & executio dando & accipiendo precium per modũ precij: ſecus ſi reuera alia ratione detur, & accipiatur aliquod temporale, pro re ſpirituali.

Spirituale, vt docet D. Thomas 2. 2. queſt. 100. dicitur tripliciter, ſcilicet eſſentialiter, vt gratia, virtutes, & omnia ſupernaturalia dona. cauſaliter, ꝟt Sacramenta. & effectiuè, ꝟt actus ex ſpirituali gratia, ſacroque officio procedentes, vt baptizare, ordinare, diuinum officium celebrare: annexum autem ſpirituali dicitur dupliciter. primò, ſicut ad ſpirituale ordinatum, vt Ius patronatus, quod ordinatur ad preſentandum Clericos ad beneficia, ꝟaſa ſacra, quę ordinantur ad vſum Sacramentorum, & veſtes ſacræ, campanę, & alia id genus, quæ ad diuina officia peragenda ordinantur. ſecundò, ſicut ex ſpiritualibus dependens, vt habere eccleſiaſtica beneficia, ius accipiendi decimas, primitias, oblationes, & habere Ius ſepulturę, quæ non competunt niſi Clericis. His ergo ſtantibus ſpirituale eſſentialiter, ſiue cauſaliter, ſiue effectiuè, ſine ſimonia emi & vendi nequeunt: inquantũ tamen ſpirituale cauſaliter & effectiuè ſunt corporalia, habẽt quandã ſpeciem, quæ vendi & emi poteſt. itẽ annexũ ſpirituali ea parte, qua ſpirituale eſt, non poteſt ꝟendi abſque labe ſimoniæ: ea parte ꝟerò, qua corporale

rale est, vendi & emi potest absq; simonia, vt calices in necessitate, & campanæ, & alia id genus, ratione materiæ, si vendantur, non incurritur simonia.

Simonia committitur quadrupliciter: quandoque solùm ex parte conferentis spirituale, vt quando ipse conferens recipit temporale, ignorante eo, cui confert spirituale; quandoque solùm ex parte recipientis spirituale, vt quando ipse recipiens dat aliquid amico vel consiliario conferentis, eo inscio: quandoque ex parte vtriusque, vt quando recipiens dat aliquid temporale conferenti spirituale: quandoq; ex parte neutrius, vt quando amicus recipientis dat aliquid amico conferentis spirituale, illis ignorantibus, his enim modis simonia externa incurritur, seu committitur.

Simonia quantum ad forum iudiciale, sola voluntate non contrahitur, sed requiritur quod opus subsequatur; quantum verò ad Deum, & conscientiam peccatum simoniæ, sola voluntate emendi, aut vendendi spiritualia, contrahitur, intellige semper de intentione primaria, sine qua non fieret actio, & non de intentione secundaria, sine qua actio fieret, intentio enim secundaria accipiendi vel dandi aliquid pro actu spirituali, secundum omnes, nō est simonia etiam coram DEO, quia eo casu, non datur temporale pro spirituali, vel è contra; quoniam remoto temporali, nihilominus spirituale daretur, siue è contra, clarius tamen dico quod dare, vel accipere aliquid temporale pro spirituali, si

ibi

ibi pro, dicat appretiationem vel commutationem, vel causam principaliter mouentem, est simonia, si verò prepositio illa pro, dicat causam finalem, seu adminiculatiuam, vt si aliquid detur & accipiatur, non vt precium, cessanteque omni pactione, atque conuentione, sed ob reuerentiam sacramentorum, aut ad seruandum piam consuetudinem, vel ad sustentationem ministrorum Christi, non est simonia.

Vt autem præsens materia facilius intelligatur, quædam conclusiones ponuntur, quarum prima est ista, Sacramenta cùm gratiam contineant, licitè vendi, aut emi non possunt, id est, accipere aliqd pro eorũ gratia, simonia est, secùs accipere aliquid pro sacramentis ad sustentationem ministrorum, secundùm ordinationem Ecclesię, vel consuetudinem approbatam, quia tunc quod accipitur, non tanquam precium mercedis, sed tanquam stipendium necessitatis sumitur. secunda conclusio, Pro benedictione nuptiarum aliquid exigere, simonia est, tamen sponte oblatum pro omni officio ecclesiastico exercendo, licitè & absque peccato recipi potest. tertia cõclusio, Pro Baptismo & pro aliis Sacramentis, quę nec ratione materię licitè vendi aut emi possunt, non est danda, neque exigenda pecunia, nisi de Baptismo, quò ad infantem, si prȩter Sacerdotem nullus alius esset, qui sciret, vel posset ipsum infantem baptizare, quia eo casu non esset emere spirituale, sed redimere vexationem, secùs

quò

quò ad adultum, qui ex quò habet Baptiſmum in voto, habetur pro baptizato, & ſaluatur. quarta concluſio: Pro ſacramentalibus vt pro benedictione Abbatum, Abbatiſſarum, velatione virginum, pro benedictione calicum & veſtium, nihil recipere licet, niſi ſponte detur, aliàs eſt ſimonia. quinta concluſio: Pro celebratione Miſſæ, diuinis officijs, ſacrisque concionibus, exigere aliquid non licet: ſacerdos tamen qui non habet ſufficientes ſumptus pro his poteſt aliquid accipere, non tanquam pretium mercedis; ſed tanquam ſtipendium neceſſitatis, imò talis absque ſimonia, operas ſuas poteſt locare, ſiue ad diem, ſiue ad annum; ſacerdos verò, qui habet ſumptus, & ad iſta non tenetur, aut debet facere gratis, aut ceſſare, aliàs videtur facere ex auaritia. ſexta concluſio: Generaliter aliquid accipere pro vſu ſpiritualis poteſtatis, ſeu prælaturæ, vt docet D. Tho. 2. 2. eſt ſimonia, ſecus pro temporali iuriſdictione. ſeptima concluſio. Pro ſepultura eccleſiaſtica, & funeralibus nihil exigi debet, ſed in hoc pię conſuetudines obſeruari debent. octaua concluſio, Si dentur diuerſa cœmiteria, & taxetur pro quanta pecunia, quis ponatur in tali cœmiterio, ſimonia eſt; idem dico ſi crux ſpecialis portetur ad funus pro pecunia. nona cõcluſio; Vaſa ſacra ratione conſecrationis vendi & emi nequeunt abſque ſimonia, hoc eſt, non licet pro conſecratione eorum, aliquid plus exigere; tamen in neceſſitate Eccleſiæ huiuſmodi vẽdi poſ-

ſunt

sunt ex parte eius, quod in eis non est spirituale, scilicet materia auri & argenti, idem teneas de vestibus sacris. decima conclusio. Ius patronatus per se vendi non potest, nec dari in feudum, licet transeat cum omnibus bonis si vendantur, vel dentur in feudum. vndecima conclusio, Si in electione prælati aliquid detur, aut accipiatur, vt talis eligatur, vel non eligatur, simonia est, & electus per pecuniam, tenetur resignare. duodecima conclusio, Pro inuestitura beneficij, seu Ecclesiæ tàm iuris, quã facti, aliquid accipere, simonia est. decimatertia cõclusio, Statutum quod nouiter receptus in canonicum, vel monachum, certum quid soluat, pro receptione, simoniacum est, intellige si tale solutum cedat in vtilitatem priuatam, aut canonicorum, secus si cedat ad fabricam Ecclesiæ, & ad cultum diuinum. decimaquarta conclusio, Generaliter aliquid dare, vel accipere pro beneficijs, seu dignitatibus ecclesiasticis, simonia est.

Simoniacorum pœna in iure vbi constiterit in iudicio, multiplex est, communiter tamen triplex ponitur. prima est suspensio ab executione ordinum, & beneficiorum administratione. secunda est depositio, & infamia. tertia est excommunicatio papalis, quam homo propter peccatum simoniæ incurrit, cuius peccati grauitatem, D. Petrus ostendit, Act. 8. quando Simoni mago, potestatem dandi spiritum sanctum, pecunia comparare volenti, dixit, Pecunia tua tecum sit in perditionem

quoniam

quoniam donum DEI existimasti pecunia possideri: non est tibi pars neque sors in sermone isto, cor enim tuum non est rectum coram DEO, pœnitentiam itaq; age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hęc cogitatio cordis tui.

DE SPOLIO.

SPoliatus dicitur qui possessione bonorum, seu Iurium suorum indebitè priuatur, talis enim si fuerit de super conquestus ab aduersario suo recōueniri non poterit, quia restitutionis petitio in hoc priuilegiata esse noscitur, vt spoliatus ipsam intentans, non cogatur ante restitutionem spoliatoribus respondere, sed ante omnia, & quo ad omnia est restituēdus. Hoc omnes leges tam ecclesiasticæ quàm seculares præcipiunt, nēpè ante omnia cuncta spoliatis reintegranda, & damna resarciēda esse. Quinimò, fructus quoque non tantum à violento possore percepti, sed etiā qui verisimiliter percipi potuissent, restituendi erunt.

In tribus Casibus priuatus à Iudice dicitur spoliatus. primò si non seruauit Iuris ordinem. secundo si Iudex erat incompetens. tertiò etsi competens, tamen circa priuationem, nulliter pronunciauit. Et in his Casibus ante omnia, spoliatus semper plenariè ac integrè venit restituendus, nec admittenda est renunciatio post spolium, neque testes super

spontanea

ſpontanea renunciatione admittendi ſunt ante reſtitutionem. Quare renunciatio facta poſt ſpolium non impedit ſpoliati reſtitutionem, ſecus ſi ante, quia tunc ei perpetuum ſilentium imponitur.

Sũt & Alij Caſus, quibus Iure denegabitur ſpoliatis reſtitutio, exempli gratia, quando agendi per modum exemptionis de alia ſpoliatione opponitur aut quando ipſe ſpoliatus tam ſuper proprietate, quàm ſuper ſpolio, eodem tempore diſceptari conſenſerit. aut ſi aſſertus ſpoliator ſit abſens, non per cõtumaciam vel dolum, quàmquã temporis lapſus immineat, & Actor ſuam poſſeſſionem & deiectionem probare paratus ſit, nihilominus reſtituendus non erit, ſed in tali caſu, Reus prius expectandus et audiendus venit aut ſi Reus excipit ſuper poſſeſſione prætenſa, tunc tam diu ſubſiſtenda erit reſtitutio, donec ſuper tali exceptione cognitũ fuerit, aut quando pro ſpoliatore aſſerto militat Iuris præſumptio, eo caſu ſpoliatus non eſt ante omnia reſtituendus, ſed ipſa reſtitutiò eſt differenda quouſq; appareat eum qui reſtitui poſtulat, puta ad decimas quas poſſediſſe aſſerit, indebitè ſpoliatum. Idem ſentit Lancellotus in ſuis Inſtit. Iuris Canonici.

DE SPONSALIBVS.

SPonſalia ſunt futurarum nuptiarum promiſſio, quæ quocunque modo fiant, nunquam Matrimonium efficiunt, neque ſunt de ſubſtantia, ſeu neceſſitate matrimonij contrahendi, ſed ſolùm de decentia,

decentia, atque congruitate. primò ad fouendam, augendamque amicitiam inter parentes, cognatos, ac affines sponsi & sponsæ. secundò ad detegenda impedimenta, si quæ sunt inter volentes contrahere. tertiò ne alicui fiat iniuria, & secundum Iura, sponsalia contrahi possunt, vtroque contrahentiũ existente in fine primi septennii, vel post, vel parum ante, in celebratione autem Matrimonii, in mare ætas quatuordecim annorum, in fœmina verò ętas duodecim annorum, desideratur. Qui legitima celebrauit sponsalia tenetur, nisi subsit rationabilis causa in iure admissa sub reatu lethalis criminis, procedere ad solennizationem matrimonii in facie Ecclesię seruatis seruandis, & ex eis oritur iustitia publicę honestatis, quæ iam vigore Concil. Trid. sess. 24. de reform matri. cap. 3. impedit & dirimit Matrimonium contractum solùm in primo gradu inter consanguineas sponsę & sponsum, & inter consanguineos sponsi, et sponsam, vbi sponsalia fuerint valida, vbi autem sponsalia quacunque ratione, valida non erunt, sancta Synodus Tridentina, Iustitiæ publicæ honestatis impedimentum, prorsus tollit.

Sponsalia quatuor modis contrahuntur. primò simplici, ac nuda promissione, vt dicendo, Ego accipiam te in meam, & è contrà. secundò per fidei dationem, siue iuramentum. tertiò per annuli subarrationem, seu immissionem. quarto per arrarum donationem, arrę autem dicuntur, annulus, pecunia,

pecunia, & his similia, quę non secuto Matrimonio debent restitui hoc modo, si Matrimonium non fuerit secutum absque alterius culpa, puta propter interuentum mortis, vel religionis ingressum, debet restitui simpliciter; si propter culpam dantis, ipse perdit arras; si verò Matrimonium non fuerit secutum propter culpam recipientis, ipse restituet in duplo, intellige in foro contentioso, & quando recipiens est maior vigesimo quinto anno.

Sponsalia multis modis soluuntur. primò per ingressum religionis approbatæ, etiam ante professionem. secundò, per absentiam alterius sponsi ad biennium, vel triennium, quod tempus Iudex propter periculum incontinentię poterit breuiare. tertiò, per interuentum morbi, puta lepręę, paralysis, vel deformitatis, vt absciso nasi, cæcitas, & alia id genus. quartò, per interuentum cognationis carnalis, vel spiritualis. quintò, per mutuum consensum, seu mutuam absolutionem. sextò, per fornicationem, ita quod ille, qui non est in culpa potest petere solutionem. septimò, per contractum cum alia per verba de præsenti: quia talis contractus est fortior priori, ideò tenet. octauò, quando impubes, qui contraxit sponsalia venit ad annos nubiles, & petit absolutionem à vinculo sponsalium, similiter si ante septennium contraxerunt, sponsalia sunt nulla. nonò per susceptionem sacri ordinis. decimò, per quodcunque

crimen, quo alter redditur infamis. vndecimò, propter fæuitiam sponsi. duodecimò soluuntur sponsalia conditione honesta, vel vtili non existente, vt si parentibus meis placuerit, aut si dederit tantùm pro dote: verùm in prædictis casibus sponsalia legitimè celebrata. non soluuntur ipso Iure, sed requiritur authoritas Iudicis ecclesiastici: quia coram tali Iudice debet probari causa, secùs facientes graviter peccant: fallit tamen hęc doctrina in quatuor casibus. primò, quando alter intrat religionem. secundò, quandò contrahit de facto cum alia per verba de præsenti. tertiò, quando alter fornicatur & sit notorium; in his tribus casibus sponsalia contracta, ipso Iure soluuntur. quartò, in dissoluēdis spōsalibus non requiritur authoritas Iudicis, quando sponsalia sunt secreta: secreta enim iudicio Ecclesiæ non subsunt.

DE SVFFRAGIIS.

COnsuetudo suffragiorum Ecclesię pro mortuis, quæ vt docet D. Greg. lib. 4. Dial. cap. 55. sunt quatuor, oblatio Sacerdotum, intercessio Sanctorum, ieiunium, & eleemosyna amicorum, incepit ab Apostolis, diuus Dionysius in lib. cœlest. hierarch. cap. vlt. Damascenus in quodam suo sermone de suffragijs mortuorum, Augustinus in lib. de cura pro mortuis agenda, & S. Tho. 4. sent. dist. 45. art. 1. isti enim, & alij sanctis. & antiquissimi patres

tres apertissimè docent, suffragia viuorum Christi fidelium prodesse defunctis, non tamen existentib⁹ in inferno, neque in limbo, neque beatis, sed solũ existentibus in purgatorio, etsi superfluunt ei pro quo fiunt, eo casu à DEO indigenti applicantur, & moriens quàm citò disponit aliqua suffragia sibi fieri, præmium suffragiorum, etiam antequam fiãt, plenè consequitur, intellige quãtum ad efficaciam suffragiorum, quæ est ex opere operante principalis agentis, quantum verò ad efficaciam suffragiorum, quæ est ex opere operato, vel ex opere operante exequentis, non consequitur fructum antequam suffragia fiant, vnde qui illa differunt, pios mortuos defraudant.

Opus suffragij quatenus est expiatiuum pœnæ per modum cuiusdam recompensationis, prodest defunctis, pro quibus fit, quatenus autem est meritorium vitæ æternę, quod habet, inquantũ ex charitate procedit, non solùm prodest ei, pro quo fit, sed etiam facienti, iuxta illud Prophetę, Psal. 34. Oratio mea, in sinu meo conuertetur. Quid si suffragia pro defunctis, seu viuis, per malos ministros fiant? Respondeo, quod in suffragijs factis per malos, duo possunt considerari. primò ipsum op⁹ operatum, sicut sacrificium altaris, & quantum ad hoc suffragia facta per malos, prosunt defunctis decedentibus cum charitate, & viuis ea præditis: quia nostra Sacramenta ex seipsis, absque opere operãtis efficaciam habent, quam æqualiter explent, per

quoſcunque fiant. ſecundò in ſuffragijs poteſt attendi ipſum opus operans, & tunc diſtinguendum venit, aut conſideratur opus operans peccatoris, vt eſt eius, & ſic ſuffragia facta per malum, nullo modo ſunt meritoria: aut vt eſt alterius, & hoc cõtingit dupliciter. primò inquantum gerit perſonã totius Eccleſiæ, ſicut Sacerdos dum dicit in Eccleſia exequias mortuorum, vel diuinum officium, vel peragit ſacrum, & ſic ſuffragia facta per malum proſunt, quia ille intelligitur facere, cuius nomine, aut vice fit. ſecundò inquantum agit vt inſtrumentum alterius, quo caſu opus miniſtri eſt magis principalis agentis, ſicut ſi ſeruus in pacto exiſtens faciat opus miſericordiæ ex mandato ſui domini habentis charitatem, ſic etiam ſuffragia facta per malum, proſunt ei, pro quo fiunt: Clarius tamen ad quęſitum reſponderi poteſt, quod ſuffragium alicui defuncto, ſeu viuo exhibitum, eſt duplex, vnum habens efficaciam ex opere operato, id eſt, ex ſe, vt Sacramenta nouæ legis, inter quæ tamen, ſola Euchariſtia poteſt exhiberi defuncto: alterum habens efficaciam ex opere operante tantùm, id eſt, ex diſpoſitione exhibentis, vt eleemoſyna, oratio, & ieiunium. Primum per quẽcunque fiat, ſemper habet efficaciam competentem ei ex ſe, ſicut Baptiſmus eſt bonus, ac verus, etiam exhibitus per malum; Secundùm vero quia habet ſolum efficaciam ex diſpoſitione facientis, nihil valet, niſi fiat per bonum, aut in perſona boni, id eſt Eccleſię, aut

per

per instrumentum boni, id est domini, vel imperantis charitatem habentis.

Suffragium Missæ continet in se duo, orationē, & sacrificium: ex parte sacrificij, Missa de quocunque dicatur, æqualiter prodest defuncto, intellige cæteris paribus, hoc est, accedente eadem dispositione Sacerdotis, & aliorum offerentium: ex parte verò orationum magis prodest illa missa, in qua sunt orationes omnes adhoc determinatæ, puta Missa pro defunctis, magis eis prodest, quàm alia: iste tamen profectus recompensati potest per maiorem deuotionem vel eius qui dicit Missam, vel eius pro quo dicitur, vel per intercessionem Sancti, cuius suffragium imploratur in Missa. Suffragia quę sunt virtutis finitę, vt eleemosyna, oratio, ieiunium, & alia id genus, facta pro multis, non æqualiter valent, sicut si pro singulis fierent; Suffragium vero virtutis infinitæ, vt sacrificium Missæ, factum pro multis æqualiter valet, sicut si pro singulis fieret, quia licet eo casu diuidatur, tamen quilibet capit secundùm proportionem deuotionis & dispositionis suæ, ac si pro solo fieret.

DE SVPERSTITIONE.

SVperstitio, vt docet D. Thom. 2. 2. quæst. 92. est vitium religioni oppositum secundùm excessum, cuius duæ sunt species subalternæ, seu principales, vna qua exhibetur diuinus cultus, ei cui non debetur, ad quam reducitur idololatria, altera qua

cultus Deo verò indebitè exhibetur, de qua nũc p̃cipuè intendimus, Cultus ergo exterior vero Deo exhibitus, quem superstitio propriè respicit, potest esse pernicioſus atque illicitus dupliciter. primò, ex parte rei significatæ, à qua significatio cultus discordat, vt iam vti cærimonijs veteris legis, quibus Christi mysteria figurabantur futura, esset pernicioſus ac indebitus cultus. ſecundò, ex parte colentis, vt ſi quis exhibeat cultum Deo vero, cõtra modum ab Eccleſia inſtitutum, & in Eccleſia conſuetum, verùm diuerſę conſuetudines Eccleſię circa cultum diuinum exteriorem, in nullo veritati prę-iudicant, ideo ſeruandę veniunt, easque prætere illicitum eſt.

Superſtitio quędam dicitur diuinatiua, & quædam obſeruatiua. Diuinatio ſeu ſuperſtitio diuinatiua, eſt vſurpatio prænunciationis futurorum, ad vtrumlibet, vel rarò euenientium, quę ſemper eſt peccatum: quia vſurpat quod eſt Dei, proprium, & ſemper ex opere dæmonum prouenit, ſecùs ſi quis prænunciet, quę ex neceſſitate, vel vt in pluribus eueniunt, huiuſmodi enim humana ratione p certitudinem, vel coniecturam prænoſci poſſunt. Superſtitionis diuinatiuæ multæ ſunt ſpecies diſtinctæ, ſecundùm propria obiecta, prout ſcilicet in diuerſis rebus occultorum cognitio, ex dęmonum operatione conſideratur. prima ſpecies diuinationis dicitur præſtigium, quæ eſt per præſtigioſas apparitiones dęmonum. ſecunda ſomniorum, que Deuter.

18.

18. prohibetur. tertia dicitur necromantia, quę eſt per mortuorum alloquutionem. quarta dicitur pythonomia, quę fit per homines ⁊iuos. quinta dicitur geomantia, quæ fit per figuras, ſeu ſigna apparentia in corpore terreſtri. ſexta dicitur hydromãtia, quę fit in aqua. ſeptima dicitur aerenomantia, ſi in aere. octaua dicitur pyromãtia, quæ fit in igne. nona dicitur aruſpicium, quę fit in viſceribus animalium immolatorum in aris dæmonnm: quæ omnia ſunt illicita & diabolica, per conſequens exercentes ſe in huiuſmodi diuinationibus, ſunt in peccato mortali, ⁊tpote quia talia procedunt ex ſocietate & inuocatione dæmonum, ideo nobis prohibita, Deut. 18. Eſaiæ 28. & 1. Corinth. 10. ſimiliter diuinatio obſeruatiua in ſacris literis, ad Galat. 4. ⁊tã diabolica, damnatur.

Diuinatio ſortium ponitur triplex, diuiſoria, cõſultoria, & diuinatoria, quarum euentus quo ad actus humanos à triplici cauſa expectari poteſt, ſcilicet à cœlo, à fortuna, & à DEO, Primum & ſecundum ſunt mala: tertium verò ſecundum ſe non eſt malum, licet in hoc quatuor modis poſſit incidere peccatum. primò, ſi abſque neceſſitate ad ſortes recurratur: quoniam videtur pertinere ad DEI tentationem. ſecundò, ſi quis eis ⁊tatur in neceſſitate quidem, ſed ſine DEI reuerentia. tertiò, ſi diuina oracula ad terrena negotia, hoc eſt, ad temporalia lucra, & non ad damna ⁊itanda conuertantur. quartò, ſi quis iam ſortibns ⁊tatur in electionibus

siasticis,quę inspiratione spiritus sancti fieri debẽt, secùs autem in temporalibus dignitatibus. Quare Apostoli. Act. 1 sortibus consuluerunt absque peccato: nam ibi fuit necessitas, quia implendus erat numerus Apostolorum, propter pręuaricationem Iudę. secundò,ibi fuit reuerentia:quia precibus ad Deum fusis,sortes miserunt. tertiò, fuit de re spirituali: quia de electione Matthię ad Apostolatum. quartò, fuit licita: quia ante Pentecosten factum est, quo tempore plenitudo Spiritus sancti,nondũ in Ecclesia erat effusa:propterea Apostoli non damnantur,quod in electione sortibus consuluerint.

Superstitiosorum pœna,secundùm leges ciuiles, est,quod huiusmodi diuinatores, & malefici capite plectãtur vel crementur,si ad damnum alterius accedant,& eorum bona publicentur:secundùm verò Canones,tales si peccatum eorum est occultum, imponitur pœnitentia 40. dierum.si notorium Eucharistia eis negatur, & sunt infames, etiam qui ad eos concurrunt. etsi reus est clericus, debet deponi,& in monasterium detrudi:quod si est laicus,debet excommunicari, & huiusmodi omnes, si peccatum eorum est notorium, sunt irregulares, licet cum eis Episcopus dispensare valeat.

DE SVSPENSIONE.

SVspensio est censura Ecclesiastica. qua executio, & vsus beneficiorum, vel officiorum, aut

aut ordinum, ſeu iuriſdictionis ad tempus perſonæ eccleſiaſticæ interdicitur. Suſpenſio differt ab excommunicatione, præcipuè in duobus. primò excommunicatio priuat reum communione fideliũ, & paſſiua participatione Sacramentorum: Suſpẽſio verò neutrum præſtat. ſecundò, excommunicatio impedit Abſolutionem à peccatis: Suſpenſio autem non. Item differt ab interdicto pariter in duobus. primò, interdictum etiam propter alienam culpam incurritur: Suſpenſio verò, ſolùm per propriam culpam. ſecundò, interdictum ſe extendit ad clerum, & ad populum: Suſpenſio autem propriè clericos tantùm reſpicit. Tertiò, differt ab irregularitate in tribus. primò, irregularitas importat priuationem executionis & ſuſceptionis ordinum; Suſpenſio verò importat priuationem executionis ordinum tantùm. ſecundò, irregularitas reſpicit clericos, & laicos: Suſpenſio autem ad clericos ſolùm ſe extendit. tertiò, irregularitas ſexum virilem duntaxat reſpicit: Suſpenſio verò vtrumque ſexum, quia Abbatiſſa & Prioriſſa poſſunt quidem ſuſpendi à ſuis officijs, non tamẽ poſſunt fieri irregulares, cum non ſint capaces ordinum Eccleſiaſticorum.

Suſpenſio ponitur duplex, ſcilicet minor, & maior. Minor, quæ impropriè dicitur ſuſpenſio, duobus modis incurritur. primò, propter quodcunque peccatum mortale, in quo homo exiſtens, ſuſpenſus eſt à participatione Sacramentorum.

ſecundò,

ſecundò, propter participationem cum excommunicatis, in qua minor excommunicatio contrahitur: maior verò, quæ propriè dicitur Suſpenſio, duplex eſt, ſcilicet à iure, & ab homine. Suſpenſio à Iure, in multis caſibus incurritur primò, Epiſcopi, qui ordinant ſolenniter pœnitentem bigamum, illegitimum abſque diſpenſatione, inuitum, aut monachum, ſine licentia ſui ſuperioris, ipſo facto ſunt ſuſpenſi. ſecundò Epiſcopi & maiores concedentes domos ⁊ſurarijs manifeſtis alienigenis ad fœnus exercendũ. tertiò, Epiſcopi, qui contra cõſcientiam, & iuſtitiam omittunt procedere in crimine hæreſis contra aliquem, ⁊bi eſſet procedendum. quartò, clerici concubinarij notorij, intellige notorietate, tàm facti, quam iuris. quintò, clerici eligentes indignum, & confirmantes talem. ſextò, clerici cõſentientes electioni de ſe factæ, per poteſtatis ſecularis abuſum, & tales ſunt ineligibiles: vnde egligentes talem prima vice ſunt ſuſpenſi. ſeptimò, clerici aggrauantes Eccleſias ſibi commiſſas, pro debitis alienis. octauò, Clerici qui ſuſcipiunt, vel offerunt duellum. nonò, non ſeruantes interdictum. decimò, Iudices Eccleſiaſtici ferentes ſententiam excommunicationis, ordine Iuris non ſeruato. ⁊ndecimò, Prælati & Clerici qui ſubmittunt bona, ſeu Iura Eccleſiarum laicis ſine conſenſu capituli, & licentia ſedis Apoſtolicæ. duodecimò, ⁊iſitatores qui exigunt pecuniam vel munera. decimotertiò. Clerici celebrantes in locis interdictis, vel præſentibus

publicè

publicè excõmunicatis, ſiue interdictis, & recipientes eos ad Sacramenta, vel ſepulturam Eccleſiaſticam. decimoquartò, Clerici excommunicati, degradati, & non ſeruantes interdictum. decimoquintò, Clerici, qui recipiunt ad communionem, vel ad oblationem altaris vſurarios manifeſtos. decimoſexto, qui ordinant, & ordinantur ſimoniacè. decimoſeptimò, religioſi, qui accedunt venationes. decimo octauò, habentes beneficium, ſi infra annũ non ſuſcipiunt ordinem, illi annexum, cum prędictis, ipſo facto ſunt ſuſpenſi: Verùm Epiſcopi omnem ſuſpenſionem à Iure, quam Canon alteri non reſeruat, relaxare poſſunt: quinimò iam vigore ſacri Concil. Trident. ſeſſ. 24 de reform, cap. 6, Epiſcopi in omnibus irregularitatibus, ac ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea quę oritur ex homicidio voluntario, & etiam in hac, ſi caſu vel defenſionis gratia commiſſum fuerit homicidium, ſupra ſeſſ. 14. de reformat. cap 7 non ſolùm in minoribus, ſed etiam in maioribus ordinibus, diſpẽſare poſſunt: ſeruatis tamen cõtentis in decreto.

Suſpenſio ab homine vt teneat, debet fieri in ſcriptis, & monitione pręmiſſa, maximè quãdo eſt propter contumaciam, & non propter delictũ principaliter: nullus tamen Epiſcopus, vel ſuperior ſententiam interdicti. ſeu ſuſpenſionibus impoſitam à Iure, vel à Iudice incurrit, niſi de eis fiat ſpecialis, & expreſſa mentio. Suſpenſio ſi imponatur à Iure, vel ab homine, ſic donec ſatisfeceris, vel pœnitueris,

ris, facta ſatisfactione, ſiue pœnitẽtia, ipſo facto relaxatur, ſi verò imponatur ſimpliciter, tunc neceſſaria eſt abſolutio, quæ ſolo verbo, ſub iſta forma fiet; Ego abſoluo te à vinculo ſuſpenſionis, quàm incurriſti propter talem cauſam, & reſtituo te executioni ordinum, vel officiorum tuorum, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Suſpenſio ſi eſt à Iure facta, ab ea Epiſcopus abſoluet, niſi conditor canonis ſibi, vel alteri hoc reſeruauit, ſi autem eſt ab homine facta, tunc abſoluet qui tulit, vel eius ſuperior, tres tamen ponuntur caſus, in quibus ſuſpenſus non poteſt reſtitui à ſuſpenſore, ſed ſolùm à Papa. Primò, Clerici, vel regulares qui exhibuerunt Sacramenta hæreticis, aut eos receperunt ad oblationem, vel ſepulturam Eccleſiaſticam. ſecundò, prælati & ſuperiores, qui beneficia Eccleſiaſtica indignis poſt primam & ſecundã monitionem contulerunt. tertiò, Clerici, qui ob aliquod graue crimen fuerunt degradati; in his enim tribus caſibus, cum ſuſpenſis ſolus Papa diſpenſat.

DE TESTAMENTO.

TEſtamentum eſt voluntatis noſtrę iuſta ſententia, de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri vult, cum hæredis inſtitutione. dicitur iuſta ſententia:

tentia ; quoniam si est iniusta, puta quia vult exhęredare filium sine causa, vel præcipit corpus suum iactari in mare, aut est contra bonos mores, pietatem, seu verecundiam, non tenet. dicitur cum institutione hęredis; quia Testamentum sine hęredis institutione, nullum est. Testamentum communiter ponitur duplex, quoddam dicitur nuncupatiuum, quod potest fieri sine scriptis, alijsque solennitatibus iuris positiui, & tale testamentum tenet, dummodò coram legitimis testibus, ipse testator explicet nomen hæredis, legata, aliasque institutiones, etiam sine præsentia notarij; quoddam verò dicitur Testamentum solenne, & in scriptis, quod quis facere potest, quando non vult aliquem scire suam dispositionem.

In Testamento secundum Iura ciuilia, vt valeat, septem testes legitimi, & rogati requiruntur, fallit tamen hęc doctrina in quatuor casibus. primò, in Testamento cæci, in quo octo testes sunt necessarij. secundò, in Testamento rustici, ruri facto, in quo quinque testes sufficiunt vbi plures inueniri nequeunt. tertiò, in dispositis ad pias causas, in quibus duo testes sufficiunt. quartò, in Testamento facto in præsentia Imperatoris, in quo vnus testis sufficit, Verùm hæc solennitas legis ciuilis circa Testamentum condendum, quo ad septenarium numerum testium, est correcta per Ecclesiam, quæ statuit, quod Testamentum factum

coram

coram duobus testibus, & præsbytero parochiali, aut coram quatuor testibus sine præsentia parochi, etiam ad non pias causas, roboris obtineat firmitatem, nedum in foro animæ, sed etiam in foro iudiciali. In testamento secundum Iura multi nō possunt esse testes. primò, in genere, à Testimonio repellitur quilibet à Iure reprobatus. secundò, mulier non potest esse testis in Testamento, secùs in codicilo. tertiò hermaphroditus, in quo præualent muliebria. quartò, seruus, nisi communi opinione reputa batur liber. quintò omnis qui non est Testamenti capax: sicut spurius, hæreticus, & damnatus de crimine famoso. sextò, is, cui hoc est interdictum per statutum, vel per Iudicem. septimò, in Testamento non admittuntur in testes, ipsi executores Testamentorum, neque legatarij.

Testari quatuordecim genera personarum in Iure prohibentur. primò, furiosus, seu mente captus non habens lucida interualla. secundò, mutus & surdus à natiuitate, secùs à casu. tertiò non valens articulatè loqui: ita vt nomen hęredis, nec exprimere, nec scribere possit. quartò impubes, seruus, et filius familias, nisi de peculio castrensi. quintò prodigus, cui administratio à magistratu est interdicta. sexto damnatus ad mortem, vel ad perpetuum carcerem, ex quo bona eius sunt publicata. septimò, manifesti vsurarij. octauò, publicè excommunicati, & hæretici, quorum omnia bona ipso Iure sunt confiscata. nonò, religiosus, qui tria vota substantialia

tialia religionis profitetur, etiam si fiat Episcopus nisi ex concessione Papę. decimò, reus criminis læsę maiestatis. vndecimò, captiuus apud hostes. duodecimò, obses. decimotertiò, damnatus ob crimen famosum, seu libellum in alterius iniuriam: ex alia verò causa infames, testari non prohibentur. decimoquartò, priuatus vtroque lumine, tamen nunc si talis testetur, tenet, nisi aliud subsit Canonicum impedimentum.

Testamentum ex multis causis irritatur, rumpitur, vel dicitur nullum. primò, si testator non erat habilis ad testandum. secundò, si non instituit hæredem, vel si instituit non capacem. tertiò, si non adsit legitimus numerus testium legitimorum, & rogatorum. quartò, si per secundum reuocetur: vltimum enim Testamentum semper valet, etiamsi de primo nulla fiat mentio: fallit tamen in duobus casibus. primò in Testamento facto inter liberos, secundò, quando testator sibi legem indixit, videlicet si fecero aliud Testamentum, non valeat, nisi de primo fecero mentionem. quintò, Testamentum regulariter est nullum, quando non seruatur solennitas, quò ad eius substantialia, licet in spectantib' ad pias causas Testamētum factum coram duobus testibus legitimis, etiamsi essent mulieres, vel aliàs esset nullum, ualeat, atq; teneat in omni foro, tàm conscientiæ: quàm iudiciali.

Testamenti executores possunt esse plures, & potest esse vnus solus. item possunt esse laici, clerici

separatim,

separatim, vel mixtim, & religiosi, modò nõ abstrahantur à seruitio diuinorum, fratribus tamen minoribus hoc prohibetur. item seruus, surdus, mutus, prodigus, furiosus & pupillus, secundum iura non possunt esse executores Testamentorum. Deputatus executor Testamenti, si acceptauit tacitè, vel expressè, potest compelli per ordinarium diœcesanum, vt officium susceptum exequatur, vel per subtractionem emolumenti relicti à testatore, vel per censuram Ecclesiasticam, vel alia pœna arbitraria; officium tamen executoris Testamenti, non transit in suum hæredem, nisi testator expresserit.

Testamenti eXecutio ad Episcopum deuoluitur, executore non exequente, vbi duplex monitio præcessit, post negligentiam debentis exequi: regulariter tamen executio Testamẽti deuoluitur ad Episcopum, post annum à die mortis, nisi subsit legitimum impedimentum, quo hæredes, seu executores Testamenti, super negligentia executionis, excusari valeant, quorum negligentia circa suffragia; nocet testatori: circa verò restitutionem negligentia executoris, aut hæredis, non nocet testatori, quia non ordinatur ad expiandam pœnam, sicut suffragia, vnde anima defuncti, etiam ante factam restitutionem, vbi illud non stat, nisi ob meram negligentiam executoris Testamenti, seu vltimæ voluntatis defuncti, intrat cœlum. Hæredis negligentia circa executionem Testamenti, quandoque punitur pœna impositа ab ipso testatore, nisi ipse

testator

testator præcepisset turpè, vel inhonestum in Testamento exequi: quandoque punitur à Iure, pœna autem, qua secundum Iura hæres, propter negligentiam executionis Testamenti punitur, est quod in relictis ad non pias causas si intra annum, à die monitionis factæ per iudicem, non impleuerit voluntatem defuncti, priuari potest tota hæreditate: in relictis verò ad pias causas, sufficit lapsus sex mẽsium à publicatione Testamenti, praxis tamen habet contra hæredem negligentem in relictis ad pias causas, vt primò interdicantur omnes redditus, & ex illis satisfiat, si fieri potest, quod si contumacia perseueret, priuabitur tota hæreditate, etiam si sit filius, in relictis verò non ad pias causas, sic pariter procedendum est, sed salua legitima, si hæres sit filius,

DE TESTIBVS.

IN Teste, vt nulla legitima exceptione repelli possit, septem desiderantur, scilicet conditio, sexus, ætas, discretio, fama, fortuna, & fides. primò, dicitur conditio, quia seruus non admittitur in testem pro domino, vel contra dominũ, secundò, dicitur sexus: quia mulier in criminalibus criminaliter, ac in Testamẽtis à testimonio repellitur, tertiò, dicitur ætas, quia in causa ciuili requritur pubertas in teste, in criminalibus verò, ætas viginti annorũ quartò, dicitur discretio: quia furiosus, mente captus,

nisi habeant lucida interualla, non possunt esse testes. quintò dicitur fama: quia infames præcipuè in criminalibus, à Testimonio repelluntur. sextò, dicitur fortuna: quia magis diuiti, quàm pauperi, propter periculũ corruptionis, creditur. septimò, dicitur fides, quia infidelis contra fidelem, non admittitur in testem. Adduntur etiam alij qui exceptionem patiuntur, ne possint esse testes in Iudicio. primò, sunt consanguinei, seu affines. secundò, inimici rei, & amici actoris. tertiò, laicus contra clericum in causa criminali criminaliter. quartò, socius criminis, nisi in crimine læsæ maiestatis, & simonię. quintò, criminosus perseuerans in crimine, qui si se emẽdauerit, potest esse testis in causa ciuili. sextò, obscuri & ignoti, nisi cum tormentis, aut verberibus. septimò, executores negotiorum, qui in ipsa causa fuerunt actores, vel responsales: imò qui fuit procurator, vel aduocatus in priori Iudicio non recipitur in testem in causa appellationis.

In qualibet causa regulariter vnus testis non sufficit: quia vox vnius, vox nullius, sed duo ad minus sunt necessarij, licet vnus testis, faciat præsumptionem, & quandoque probationem, sicut Papa, & cardinalis in dictis, seu factis coram eo. idem vnus testis potest facere probationem in his, in quibus non fit alteri præiudicium, puta an Ecclesia sit consecrata, an aliquis sit baptizatus, an ægrotus petierit confessarium, & huiusmodi, vel vbi agitur ad peccatum impediẽdum, puta ne matrimonium

contrahatur

contrahatur inter certas personas, vnus testis post impedire. In Testamentis requiruntur septem Testes, in purgatione Canonica, numerus Testiũ trahitur arbitrio boni Iudicis, secundùm quod infamia, vel crimen sunt magis, aut minus grauia. Ad condemnationem Cardinalis Episcopi, requiruntur Lxxii. Testes ad condemnationem Presbyteri Cardinalis, Liiii. Diac. Cardinalis, xxiiii: contra verò alios quoscunque, ad condemnationẽ Testimonium duorum sufficit, qui debent concordare in omnibus circumstantijs contentis, in hoc versu. Res, persona, locus, gradus, hęc sint consona tempus, secùs sunt singulares, & per consequens nõ probant, quod si Testes sint numero, atque dignitate pares, eo casu sententia datur pro reo, nisi in matrimonio, in causa libertatis, in Testamento & pro dote.

Testis requisitus authoritate superioris ad testificandum: tenetur ferre Testimonium, solùm, in his quæ exiguntur ab eo, seruato ordine Iuris, & eo casu, non testificando, peccaret mortaliter, vtpote agens contra obedientiam, & charitatem, non iuuando proximum, vel commune bonum cùm debet, Quinimò etiam non requisitus ad euitandum iniustum damnum, tenetur facere quod in se est, denunciando veritatem ei, qui potest prodesse, quæ doctrina etiam in sacerdotibus, & religiosis habet locum, præterquam in causa, in qua non licet, eis ferre testimonium, vt in causa sanguinis. Fal-

sum testimonium quoniam habet deformitatem periurij, violationis iustitiæ, & mendacij, ideò ex genere suo est peccatum mortale, contra præceptũ Decalogi octauum in ordine, & secundum Iura Testis falsus, qui iuratus & examinatus deponit falsum, punitur pœna talionis, nec eum excusat metus authoritatis, sed talis in conscientia tenetur de toto damno scienter, vel ex ignorantia indebita, proximo illato; vnde Testis legitimè requisitus ad testificandum, vt propriè conscientiæ satisfaciat, debet dubium sub dubio, & certum sub certitudine proferre.

DE TVTELA.

TVtela est potestas à Iure data, & permissa in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem suam, sponte se tueri nequit: vnde tutor dicitur, qui pupillum, vel pupillam, morte patris, vel emancipatione Iuris factum, vel factam tuetur: Curator verò dicitur, qui datus legitimè, res adolescentis administrat: vnde tutor & curator in tribus potissimùm differunt. primò, tutor principaliter datur personæ, & secundariò rebus, siue patrimonio: curator verò primariò datur rebus, & secundariò personæ. secundò, Tutor datur impuberi: curator autem datur adulto, scilicet furioso, prodigo, surdo, muto, & huiusmodi, qui rebus suis præesse nequeunt. tertiò, Tutor datur quandoque à Iudice, quandoque à testatore, & etiam inuito datur, sicùs

cùs in curatore.

Tutela est triplex. prima dicitur testamentaria, vt quando pater dat filio tutorem in Testamento; secunda dicitur legitima, quę defertur à Lege, quãdo nullus tutor datus est filio à patre per Testamentum, quam tutelam, ille qui primo loco deberet ab intestato huic succedere, tenetur accipere. tertia dicitur datiua, quę scilicet à Iudice datur, quando nullus tutor est datus in Testamento, & nullus extat consanguineus, idoneus ad Tutelam, & huiusmodi Tutela durat vsque ad decimumquartum annum completum pupilli, & duodecimum pupillæ, & inde incipit cura, quę durat vsque ad 25. annum pupillorum completum, similiter & Tutor triplex, est scilicet testamentarius, legitimus, & datiuus.

In Iure à Tutoris officio aliqui repelluntur, vt pupillus, furiosus, laborans perpetuò morbo, & mulier nisi speciali beneficio Iudicis fuerit suffulta, verùm mater potest esse tutrix suorum filiorũ, & præfertur legitimis, seu datiuis Tutoribus, si duo ab ea obseruentur. primò, vt continenter viuat. secundò, vt renunciet secundis nuptiis, vnde mater perdit Tutelam filii, si incontinenter viuat, aut ad secundas nuptias transeat.

Clerici, minus Monachi, non possunt cogi ad recipiendum aliquam Tutelam, & hoc est eorũ priuilegium, nempe, vt possint alicui succedere ab intestato, tamen Tutelam recipere non teneantur. Clerici si volunt, possunt legitimam recipere, non

autem testamentariam, neque datiuam: Episcopus verò & Monachus nec legitimam recipere possunt, nisi agatur de miserabilibus personis, quarum Tutelam religiosi, Clerici & Episcopi recipere tenentur, intellige cum ista moderatione, Episcopus non per seipsum, sed per archipresbiterum, vel Archidiaconum, religiosi verò de licentia, & consensu suorum Prælatorum, Tutelam miserabilium personarum, recipere possunt.

Ad officium Tutorum, tria potissimùm pertinent. primò, vt pupillos à criminibus intactos conseruent. secundò, vt res eorum ab iniuria præseruent: nam dicti sunt Tutores, quasi tuitores. tertiò, vt ex eorum bonis fructus possibiles, deductis expensis, & periculis diligenter percipiant, & in vtilitatem ipsorum pupillorum conuertant, secùs Tutor tenetur de negligentia, & de damno. Insuper Tutores tenentur facere inuentarium de rebus pupilli in præsentia publicarum personarum, vel saltem vnius notarij, (præsentia enim Iudicis in confectione inuentarij, non est necessaria) statim vbi Tutelam susceperunt, nisi causa iustissima, puta vel infirmitas, vel quia non adsunt bona, impediantur.

DE VENATIONE.

VEnatio est exercitium ordinatum ad captionem animalium terrestrium. aucupium ad captionem auium,& piscatio piscium,quæ omnia, vt inquit D. Thom. secundum se, & à natura sunt licita, etiam festiuis diebus, eo modo, quo & aliæ recreationes si causa recreationis fiant, secùs si causa lucri fiant, vel diuina omittantur.

Venatio clamorosa Clericis interdicitur: ponere autem laqueum, vel rete, sine strepitu & clamore illis etiam licet. Quinimo Prælati & alij Ecclesiastici causa necessitatis, puta si in hoc habent reditus,& recreationis, cum retibus,laqueis & canibus secundum Panor. venari possunt aliquando, dummodò inde munia sua non negligant, tempore autem prohibito dominis volentibus venari,serui nõ tenentur obedire,metus tamen quandoq; illos excusat,vt si dominus soleat non obtemperantes mãdatis suis tyrannicè tractare.

Venatores cõculcãtes agros,vineas,& segetes,& quorũ canes occidunt pauperũ animalia,puta gallinas, tenentur ad restitutionem ad çstimationem bonorum virorum, secùs mortaliter peccant, nisi damnum sit adeò modicum,quod pro certo habeatur,illos quibus damnum est illatum, non curare.

Domini qui propter lepores & alia animalia syluestria capta, pœnam mortis aut mutilationis infligunt, & hoc faciunt liuore vindictæ, vel amore huiusmodi animalium, aut venandi, peccant mortaliter, si verò ob loci consuetudinem, vel ratione statuti id fiat, vix tales adhuc à mortali excusantur; nam pro vno actu venandi tantam pœnam infligere, seueritatem, ne dicam iniustitiam sapit. Concilium Trident. sess. 24. de reform. cap. 12. de Clericis maximè Canonicis Ecclesiarum Cathedraliam ita in hac materia decernit & præcipit, Vestitu decenti tàm in Ecclesia quàm extrà assiduè vtantur, ab illicitis venationibus, aucupiis, choreis, tabernis, lusibusque abstineant, atq; ea morum integritate polleant, vt meritò Ecclesiæ Senatus dici possint.

DE VICARIO.

VIcarius Ecclesiasticus, de quo nunc intendimus, duplex est, scilicet perpetuus, & temporalis. Vicarius perpetuus Ecclesiæ parochialis, qui habet curam animarum, authoritate Episcopi est institutus, certam percipit portionem, & non potest per rectorem Ecclesiæ remoueri, ac si Ecclesiam sibi intitulatam haberet, licet sit amouibilis ex iusta causa per Episcopum, patrono, seu rectore Ecclesiæ super hoc admonito: nam sicut in constitutione vicarij perpetui secundum Iura consensus rectoris

ctoris, & patroni Ecclesiæ requiritur: ita etiam in eiusdem reuocatione, cum agatur de præiudicio vtriusque: verum in hoc casu tales sunt vocandi, & citandi, non vt cum Episcopo iudicent, sed vt defendant vicarium, seu sua Iura si velint: quod si admoniti non comparent, aut ius suum non defendunt, tunc videntur consentire: vicarium tamen temporalem, solus Episcopus dare potest, quinimò ex causa etiam perpetuum inuito rectore, & patrono potest instituere, & ius vnius Ecclesiæ dare alteri. Vicarius perpetuus habet curam animarum indistinctè, propterea debet agere, 25. annum, ac promoueri ad sacerdotium intra annum, aliàs, ipso facto est priuatus, neque duas vicarias habere potest, etsi perceptio prouentuum spectet ad vicarium, & certa portio assignetur rectori Ecclesiæ, tunc cura animarum, & vendicatio fructuum in foro contentioso pertinent, ad ipsum Vicarium: si vetò perceptio prouentuum spectet ad principalem, certa portione relicta Vicario, eo casu cura animarum in foro animæ, incumbit quidem Vicario, sed in foro contentioso cura animarum, & vendicatio fructuum, pertinet ad ipsum rectorem Ecclesiæ.

Vicarij temporales etiam sunt in duplici differentia, quidam dicuntur vicarij simpliciter, seu generales, id est ad omnia loca, & negotia cõsueta: quidam verò dicuntur vicarij secundum quid, hoc est, quo ad aliquem locum, & quo ad aliquem actum determinatum, quorum authoritatem ex com-

missio-

missione mensuramus, & tales sunt vicarij, vel Papæ, vel Episcopi, seu aliorum prælatorum, aut rectorum Ecclesiarum parochialium. Vicarius Papę eo absente in vrbe, habet plenam iurisdictionem, quo ad causarum cognitionem: vltra autem vrbem, eius iurisdictio non extenditur, neque potest in vrbe conferre beneficia spectantia ad collationem Papę, seu inferiorum. item non potest ordinare, nec literas commendatitias, seu dimissorias ad ordines recipiendos, aut conferendos dare, nisi specialiter ei concessum sit. Vicarius Episcopi duplex est, generalis, & foraneus, sic dictus, quia foris in diœcesi constituitur. Vicarius generalis Episcopi, habet iurisdictionem ordinariam, & facit idem consistorium, atque tribunal cum Episcopo: Vicarius verò foraneus, non habet iurisdictionem ordinariam, sed delegatam, & non facit idem tribunal cum Episcopo, qui potest constituere sibi Vicarium, ampliare, restringere eius potestatem, imò & amouere sine consensu sui capituli: mortuo autem, vel excommunicato Episcopo, iurisdictio Vicarij cessat, cum vnum sit tribunal Episcopi, & sui Vicarij.

Prælati, habentes curam animarum, & beneficiati licet regulariter teneantur residere in propriis Ecclesijs, seu beneficijs: tamen in octo casibus possunt residere per Vicarium. primò, ratione iustæ occupationis: sicut excusatur Episcopus, qui degit in curia Romana, ex præcepto Papæ, pro

maiori

maiori seruitio Ecclesię Dei. secundò, ratione statuti, vel consuetudinis, quam superiores sciunt, & tolerant: tertiò, ratione priuilegij, siue dispensationis. quartò, ratione diuersorum rituum, & linguarum existentium sub eodem Episcopo. quintò, ratione defectus, seu debilitatis superuenientis. sextò, ratione necessarię professionis, puta quia est cruce signatus. septimò, ratione profectionis vtilis ac honestę: vt causa studiorum, deuotæ peregrinationis, & similium cum licentia Prælati. octauò, quando quis habet præbendam in Ecclesia cathedrali, cui annexa est parochia: tunc in annexa seruiet per Vicarium. Additur quod vltra prædictos casus, Vicarius potest etiam dari ratione religionis, siue diuini cultus augmentandi, maximè quando Ecclesia redditibus abundat.

DE VNCTIONE EXTREMA.

VNctio vt docet Pet. de pal. in 4. sent. dist. 43. est triplex. vna, quæ nec Sacramentum, nec Sacramentalis est, vt Vnctio regum: talis enim non est Sacramentum, quia per se gratiam non causat, non est sacramentalis: quia non ordinatur ad aliquod Sacramentum perficiendum, vel suscipiendū. Secunda, quę est sacramentalis, & non Sacramentum, vt vnctio catechumenorum, & vnctio baptizati in vertice; nam huiusmodi vnctiones per se non causant gratiam, sed illa ordinatur ad Sacramentum Baptismi suscipiendum, ista ad perfi-

ciendum.

çiendum. tertia, quæ est Sacramentum per se, & est duplex scilicet chrismatis in fronte per Episcopum, & olei sancti per Sacerdotem in extremis, de qua nunc intendimus. Quod vnctio extrema sit Sacramentum nouæ legis patet, quia per ipsam, vt habetur Iacobi 5. condonantur peccata. Accedunt definitiones Conciliorum, Florentini celebrati sub Eugenio IIII. decret. 5. & Trid. sess. 14 de extr. vnct. cap. 1. item testimonia sanctorum patrum. Chrysosto. lib. 3. de sacerdotio, Cyrilli lib. 2. in Leuit. August. lib. 2. de visitatione infirmorum. Hoc Sacramentum, Christus instituit, Luc. 10. quando misit discipulos curare infirmos. Hoc Apostoli sunt vsi, Mar. 6. & D. Iacobus, vt habetur in sua Epist. capit. 5. fuit eius promulgator.

Materia huius Sacramenti, secundum omnes Doctores, est oleum oliuarum consecratum ab Episcopo, vti accipitur ex promulgatione D. Iacobi 5. & ex vsu Apostolorum, Mar. 6. Quare si vnctio extrema in alio oleo, quàm oliuarum administretur, vel ipsum misceatur, ita quod propter mixturam species eius mutetur, non tenet: secus si misceatur, aut componatur ex diuersis, salua eius specie: quia compositum ex diuersis assumit naturam simplicis digniorís, & magis dignum trahit ad se minus dignum; forma autem Sacramenti extremę vnctionis est deprecatiua, iuxta illud Iacobi 5. Oratio fidei sanabit infirmum, & est ista: Per istam

sanctam

ſanctam vnctionem, & ſuam pijſſimam miſericordiam', indulgeat tibi Deus quicquid deliquiſti per viſum, per auditum odoratum, guſtum, tactum, greſſum; repetendo tamen ſemper, Per iſtam ſanctam Vnctionem, &c. quam formam ex vſu Eccleſiæ, & ex verbis D. Iacobi accipimus; inquit in ſua Epiſt. cap. 5. Infirmatur quis in vobis inducat prẽs byteros Eccleſię, & orent ſuper eũ, vngentes eũ oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, etſi in peccatis ſit, remittentur ei; ex quibus verbis habemus materiam, formam, cauſam principalem, miniſtrum, & effectum huius Sacramenti'. materiam ibi, vnguentes eum oleo; formam ibi, orent ſuper eum; miniſtrum ibi, inducat præsbyteros; cauſam principalem ibi, in nomine Domini. effectum ibi, etſi in peccatis ſit, remittentur ei:

Effectus huius Sacramenti' principalis, vt docet D. Tho. 4. ſent. eſt remiſſio peccati venialis, & mortalis, quo ad culpam, niſi ponatur obex, & roboratio ſpiritus contra debilitatem relictam ex peccato actuali, vel originali, quem effectum Iacobi 5. accipimus, ſecundarius verò effectus vnctionis extremæ, eſt ſanatio corporis, ſecundũ quod expedit principali fini, id eſt, ſanationi Spiritus, quem effectum, Mar. 6. habemus, & licet in adminiſtratione huius Sacramenti plures vnctiones fiant, tamen in vltima vnctione, quę eſt formalis reſpectu priorum,

gratia

gratia & effectus Sacramenti confertur. Minister extremæ Vnctionis, vt habetur Iacobi 5. est proprius Sacerdos, vel alius de eius licentia, verũ proprius Sacerdos non est de necessitate Sacramenti, sed solùm de necessitate præcepti, propterea si ab alio Sacerdote conferatur, tenet, sed ipse peccat, & pœnam Canonis incurrit, conferri autem debet Sacramentum extremę Vnctionis adultis, infirmis in periculo mortis, ex ipsa infirmitate, vel senectute constitutis duntaxat, ijs ergo quibus mors imminet, non ex defectu naturæ, sed euentu fortunæ, hoc Sacramentum extremæ Vnctionis administrari non debet, vt nauigantibus, euntibus ad bellum, siue ad mortem condemnatis.

Sacramentum extremę Vnctionis septem partibus corporis exhiberi debet, debent enim inungi instrumenta seu organa quinque sensuum, scilicet oculi, aures, nares, labia, & manus, propter vim cognoscitiuam, cùm omnis nostra cognitio ortum habeat à sensu; item iniungi debent pedes, propter vim motiuam, & renes propter vim appetitiuam; in carentibus autem prędictis membris, vnguntur loca propiora, nam sicut vis cognoscitiua, appetitiua, & motiua sunt in nobis principia agendi, ita & peccandi, propterea dictę partes corporis, & non aliæ vnguntur, verùm vnctio locorum quinq; sensuum secundùm omnes, est de necessitate Sacramenti, vnctio verò pedum ac renum, non sunt de necessitate Sacramenti, ideò aliqui ab eis abstinent,

maximè

maximè ab vnctione rerum cum mulieribus, propter quandam decentiam.

DE VOTO.

VOtum à voluntate tanquam à primo mouente rationem ad vouendum, dictum est, sicque à sacris doctoribus definiri solet. Votum est deliberata, spontanea, discreta & possibilis promissio, Deo facta ab existente in libertate de bono consilij vel præcepti, cum intentione obseruandi; vnde ad votum quinque necessariò requiruntur: primò, materia, quæ est bonum consilii vel præcepti, licet propria eius materia sit bonum consilii. secundò, requiritur discretio cum deliberatione. tertiò, libertas intrinseca & extrinseca, id est, mentis & corporis. quartò, requiritur possibilitas. quintò, intentio obseruandi & obligandi se. defectu primi, votum factum de re turpi, seu illicita, non tenet, quinimò sic vouens peccat. defectu secundi, votum factum ex primo motu absque præmeditatione, non obligat. defectu tertij, votum factum ab his, qui sunt in potestate aliena, vt filius, seruus, vxor, & religiosus, est nullum, nisi de licentia maioris fuerit emissum. defectu quarti, possibilitate non existente, obligatio voti tollitur, neque tenetur vouens per alium illud implere, nisi in voto expressisset. defectu quinti, votum factum fictè & simulatè, non tenet cũ desit intentio, licet sic vouens peccet, & talis in foro contentioso potest cogi ad implendum votũ, quia

fraus

fraus & dolus nulli debent patrocinari.

Votum in genere communiter duplex ponitur, scilicet simplex,& solenne, què æqualiter obligant quò ad Deum, non tamen quò ad Ecclesiam, quæ non iudicat de occultis,nisi quatenus procedunt ad extra. Votum simplex est spontanea promissio, Deo facta de bono consilij seu præcepti,absque solennitate exterius exhibita, & persona publica acceptante, Votum vltrò solenne,est spontanea promissio Deo facta publicè, de bono consilii aut præcepti,solennitate exterius exhibita, coram persona publica præcipiente & acceptante,solennizatur autem votum tripliciter, videlicet per susceptionem Baptismi, per susceptionem Ordinis sacri, & per professionem religionis approbatę; Verùm in specie præcipua vota sunt tria,obedientiæ,paupertatis, & castitatis, quæ in sacris literis fundamentum suum habent: votum obedientiæ, Matth. 16.Si quis vult venire post me (inquit Christus) abneget semetipsum,tollat crucem suam,& sequatur me. votum paupertatis,Matt.19 Si vis perfectus esse,vade, & vende omnia,quæ habes,& da pauperibus,& sequere me. votum castitatis ibidem, Sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum Dei.

Votum debitè factum,obligat vouentem ad eius obseruantiam duplici iure,naturali scilicet & diuino. Iure naturę, quia non stare promissis est vitium contra virtutem veritatis & fidelitatis, itę quia natura singulis dictat, Quæcunque vultis vt faciat vobis

vobis homines, facite & vos illis. Iure diuino, Num. 30. Si quis votum Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne, quod promisit, implebit. Deuter. 23. Cũ votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere. Eccles. 5. Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei, infidelis & stulta promissio. Psal. 75. Vouete, & reddite Domino, & rursus Psal. 95: Redde altissimo vota tua. Quare vouere est voluntatis, reddere autem est necessitatis, verùm ob hanc rationem homo non debet se alienare, vel subtrahere ab hoc actu religionis externo, sed potius circa illum, & in illo se exercere, quoniam opus factum ex voto, est magis meritorium, opere facto absque voto, triplici ratione. primò, quia opus bonum factum ex voto, est actus virtutis & latriæ, opus verò bonum factum sine voto, est actus virtutis tantùm. secundò, quia homo per op⁹ factum ex voto, se subijcit Deo quantum ad actum, & quantum ad potestatem, sed per opus factũ absque voto, se subijcit Deo solùm, quantum ad actum. tertiò, quia homo per opus factum ex voto, implet præceptum & consilium, per opus verò factum absque voto, consilium tantùm implet, ergo ex his rationibus patet, quòd opus factum ex voto, sit magis meritorium, quàm sit opus factum sine voto.

Circa irritationem votorum, vt præsens doctrina facilius intelligatur, quędam conclusiones,

ponuntur, quarum prima est ista, Pater vota filiorum & filiarum irritare potest, tutor vota pupillorum, curator vota minorum, vir vota vxoris, dominus vota serui, & Prælatus vota subditi: intellige tamen quò ad vota, quæ nominati sine cõsensu prædictorum emittere nequeunt. Secunda conclusio, Omne votum impuberis personale & reale, pater siue tutor irritare possunt. Tertia conclusio, Votum reale, id est, factum de rebus dandis, minoris annorum viginti quinque, pater siue curator irritare possunt: quia in votis talium subintelligitur conditio, si placuerit meis superioribus, qua non existente, obligatio voti tollitur. Quarta conclusio, Votum puberis religionis approbatę, pater siue curator irritare nequeunt: sed ipsis inuitis, potest illâ ingredi, & profiteri. Quinta conclusio, Obligatio voti semel legitimè extincta, non reuiuiscit, vnde mortuo irritante, vel eius potestate expirante impubes, vxor, filius seruus, siue subditus, non tenetur implere, nisi deinde tali voto consentiat, seu iterum voueat. Sexta conclusio, Prædicti tenentur omnia sua vota complere, expirante potestate superioris, si non fuerunt legitimè irritata, Septima conclusio, Superiores irritando prędictorum vota, non peccãt quia vtuntur iure suo, nisi malitiosè irritent, quo tamen casu subditi eis obedire debent, quia inferior non habet iudicare de intentione superioris præcipientis, aut de eius præcepto, in quibus potest præcipere.

Circa

Circa dispensationem votorũ pariter, vt res clarior appareat, quædam conclusiones ponuntur. Prima est, In votis dispensari potest, inquantùm in aliquo casu, illud quod cadit sub voto, est simpliciter malum, vel inutile, vel impedimentum maioris boni, quod est contra id, quod cadit sub voto. Secunda conclusio, Quicunque potest in voto dispẽsare, potest etiam illud commutare, licet hęc duo inter se differant, quia dispensatio tollit votum ex toto, id est, quò ad materiam, & quò ad vinculum, commutatio verò tollit votum, tantùm ex parte, id est, quò ad materiam, & non quò ad vinculum. Tertia conclusio, Papa licet non possit tollere vel mutare ius diuinum, aut uaturale, tamen vtriusque declaratio, determinatio, & decisio pertinet ad ius positiuum, ac per consequens ad Papam. Quarta conclusio, Papa potest ex causa rationabili dispensare in omni voto, etiam continentiæ. Quinta conclusio, Solus Papa dispensat in votis perpetuis, scilicet, continentiæ & religionis. Sexta conclusio, Solus Papa dispensat in quatuor votis, sibi secundùm morem curiæ reseruatis, nempè continentiæ, peregrinationis terræ sanctæ, Apostolorũ Petri & Pauli, & in voto peregrinationis sancti Iacobi in Compostella, in alijs verò votis, Episcopi & Superiores, puta Archiepiscopi & Patriarchæ dispẽsare possũt. Septima conclusio, Papa, secundùm omnes, potest dispensare in voto continentiæ solennizato susceptione Sacri Ordinis, in voto autem continentię

solẽnizato ,pfessione religionis approbatæ,secundũ aliquos, inter quos est D. Thomas 2. 2. quęst. 88. art.11.dispensare non potest,licet maior pars Doctorum oppositum teneat,D. tamen Thomas innititur illis ⁊verbis, quę habentur Leuit.cap. ⁊vltimo,⁊vbi legitur: Animal quod immolari potest Domino,si quis vouerit, sanctificatum erit, & mutari non poterit. Octaua conclusio: Summus Pœnitentiarius potest dispensare in voto religionis, commutando vnam Religionem in aliam. Nona conclusio: Episcopus potest dispensare in voto temporali & simplici continentiæ,seu Religionis.Decima conclusio: Omnia ⁊vota authoritate Iuris, etiam sine dispensatione commutantur in votum Religionis, quia tanquam perfectum alia includit;item quia est melius,& Deo acceptius. Vndecima conclusio,In dispensatione & commutatione votorum,regulariter requiritur authoritas Superioris, vnde nullus propria authoritate votum suum in melius commutare potest,nisi commutetur in votum religionis approbatæ.Duodecima,conclusio, Si quis ⁊vouit intrare Religionem,vel adire terram sanctam, non potest alium supponere loco sui,sine licentia Papæ. Decimatertia conclusio,Dispensatio votorum vt teneat, salua,ac tuta conscientia dispensantis ac vouentis, duo requirit, authoritatem in dispensante, & causam legitimam in vouente. Decimaquarta conclusio,Causæ legitimæ & rationabiles dispensandi, vel commutandi vota,sunt tres, scilicet si id,quod

cadit

cadit sub voto, sit malum, vel inutile, vel maioris boni impeditiuum.

DE VSVRA.

VSura, secundùm etymologiam vocabili, dicitur quasi æris vsus, & à *D.* Thoma 2.2. quæst. 78, art. 1. sic diffinitur: Vsura est lucrum ex mutuo, pacto, vel intentione principali, id est, sine qua actio non fieret, proueniens. & communiter à sacris Doctoribus ponitur duplex, scilicet mentalis, & extrinseca, seu formalis. Vsura mentalis est lucrum ex mutuo speratum: Vsura verò formalis, & extrinseca, est lucrum ex mutuo, pacto interueniente inter dantem & accipientem, utraque in sacris literis prohibetur, & ex genere suo peccatum mortale est. mētalis Luc. 6. Mutuum date, nihil inde sperantes: externa Leuit. 25. Si attenuatus fuerit frater tuus, non accipies ab eo usuram, Deuter. 23. Fratri tuo absque vsura, id quod indiget, accomodabis, ut benedicat tibi Dominus in omni tempore tuo. Itē Psal. 14. Quis habitabit in Tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui pecuniam suam non dedit ad usuram. Verùm in tribus casibus aliquid ex mutuo; ultra sortem absque peccato accipi potest. primò, ratione damni emergentis. secundò, ratione lucri cessantis, tertiò, ratione gratitudinis, nam homo ita tenetur iuuare proximum suum, ut tamen se indemnem seruet: pro-

pterea in prioribus duobus casibus, ex mutuo aliquid recipi potest. item homo ex eo quod mutuo dedit, non est factus deterioris conditionis, quàm esset ante mutuum datum, ideò sicut anteà gratitudinis atque beneuolentiæ ergò, poterat aliquid accipere, ita pòst.

Vt hęc materia de vsuris satis obscura, vtilis tamen, melius, atque facilius intelligatur, reducetur ad octo breues & principales conclusiònes, quarũ prima est ista, Vbicunque concurrunt hæc tria: mutuum, lucrum principaliter intentum, & pactũ, est vsura extrinseca, Secunda conclusio, Vbi sunt mutuum, & lucrum principaliter intentum, pactũ verò cessat, est vsura mentalis. Tertia conclusio, Vbi non est mutuum expressum, neque tacitum, vel deficit intentio lucri, & pactum simul, nullo modo est vsura. Quarta conclusio, Spes lucri ex mutuo secundaria, id est, qua mutuans sperat quidem lucrum, tamen etiam si illud non speraret, nihilominus mutuaret ex debito charitatis, siue amicitiæ, nõ est vsura. Quinta conclusio, Spes lucri ex mutuo principalis, id est, qua mutuans sperat lucrum, & si non speraret, non mutuaret, facit vsuram. Sexta conclusio, Si quis mutuet cum spe, vel pacto, quod aliquid detur pauperibus, vel patri suo indigenti, siue pro redimendo captiuo, est vsura. Septima conclusio, Ex mutuo aliquam commoditatem, consolationem, vel obsequium, quod pecunia æstimari potest, seu obligationem ciuilem inducit, sperare ex

intentione

intentione principali, vel pacto, est ℣sura. Octaua conclusio, Qui mutuat centum florenos, quinquaginta in numeris, & quinquaginta in debitis, quę difficilè exigi possunt, aut in rebus, quæ cum difficultate distrahantur, puta panno, corio, & huiusmodi, recepturo centum in numeratis, & inde debitor ratione mutui grauetur, vsura est.

Vsura quandoque est in cambiis, propterea & circa hanc materiam, quæ subtilitate, atque astutia mercatorum nostri temporis, est difficilis & intricata, quasdam conclusiones pariter pono, quarũ prima est; Negotiatio naturalis & necessaria, scilicet rerum ad res, vel ad pecunias propter necessitatem ℣itæ, de se est laudabilis. Secunda conclusio: Negotiatio denariorum ad denarios, siue ad res, non ad necessitatem ℣itæ, sed ad lucrum consequendum, secundùm se habet quandam turpitudinem: licet ex bono fine, honestari possit. Tertia conclusio: Pecunia materialiter accepta, puta vt est aurum, argentum, vel æs, potest locari & vendi absq; peccato, & vsura. Quarta conclusio: Pecunia formaliter sumpta vt pecunia, id est, inquantùm moneta est, non potest locari, neque vendi absque peccato & ℣sura: quia sic non habet ℣sum à proprietate distinctum. Quinta conclusio: Homo potest vti pecunia tripliciter. primò, ℣t mensura venalium, & est principalis vsus ipsius, quo casu non est ℣enalis. secundò, vt pecunia permutando eam cum alia pecunia, prout fit in Cambiis, quo casu est venalis

per accidens, id est, gratia materiæ. tertiò, homò potest vti pecunia vt re quadam, quo casu est venalis per se, ratione atgenti & ponderis. Sexta conclusio, Numisma materialiter potest vendi vel emi precio maiori, aut minori, quam sit illud, quod habet ex statuto Principis, propter eius qualitatem, puta quia est ex auro, quod est melius ad deaurandum, vel quia moneta est commodior ad portandum, absque peccato, & sine vsura. Septima conclusio, Pecunia materialiter ratione distantiæ localis, potest vendi & emi maiori & minori pretio, quàm sit legale, sine peccato & vsura, quia res considerata sub tali distãtia, minus valet quàm præsens. Octaua conclusio, Tria sunt genera Cambiorum, ad quæ omnia reducuntur. primum dicitur ad minutum, secundum per literas. tertium dicitur siccũ. Nona conclusio, Cambium ad minutum, contractus permutationis monetę, vt quando datur vna moneta pro alia dissimili in substantia, puta argentea pro ærea, vel in quantitate, vt attonsa pro completa, aut in qualitate, puta nummi veteres pro nouis, hoc Cambium si deest fraus, non est vsuratium, sed est licitum. Decima conclusio, Cambium per literas, vt quando campsor Petro dãti sibi Salisburgi centum aureos, dat literas, vt Romæ accipiat nonagintaquinque, et reliquum campsor lucratur pro suo labore, & hoc genus cambiorum cessante fraude, non est vsurarium, quia non est contractus mutui, ex quo hic campsor primò recipit, postea dat, &

Petrus

Petrus primò dat, deinde recipit: è contrario autem fit in mutuo. Vndecima conclusio, Cambium siccum, quod est quando campsor primò dat, deinde accipit; puta quando Petrus recipit Tridenti centum taleros à campsore, ut in capite vnius mensis, tantum teneatur dare campsori Salisburgi, vbi aliquando plus, aliquando minus valent, hoc genus cambiorum est illicitum: quia propriè non habet naturam cambij, sed mutui, ex quo aliquid accipere, vel principaliter sperare, est vsura. Duodecima conclusio, Generaliter de vsuris solus Iudex ecclesiasticus habet iudicare.

Vsurarius manifestus primò est is, qui est notorius notorietate iuris: puta quia conuictus vel condemnatus de vsuris, vel sponte confessus coram Iudice: secùs si extrà iudicialiter. secundò, est is, qui est notorius notorietate facti: puta quia tenet mensam paratam, vel domi omnibus volentibus dat pecuniam, vel alia ad vsuram. tertiò, is dicitur vsurarius publicus, qui publicè vendit rem ad tempus plus, quàm ad numeratum vendi potest prætio rigido ac summo, & tales licet ī vita nō fuerint declarati vsurarij: nihilominus post mortem possunt fieri probationes ad declarandum, quod erant manifesti vsurarij dum viuerent.

Pœna vsuriariorum manifestorum secundū Iura, est multiplex: prima est, quòd tales sunt infames infamia Iuris. secunda est, quòd ad communionem sacram, id est, ad susceptionem corporis

Christi non sunt admittendi. tertia est, quòd ad oblationem altaris non admittuntur, & Sacerdos, qui eos ad huiusce modi recipit, ipso Iure est suspensus ab officio. quarta est, quòd nisi satisfecerint, priuantur sepultura ecclesiastica, & hodie sepelientes tales, sunt excommunicati, quas pœnas vsurarij manifesti ipso Iure incurrunt, nec requiritur hominis sententia. quinta est, quòd non recipiuntur ad beneficium absolutionis à suis peccatis donec de vsuris fuerit secundùm facultatem eorum pleniùs satisfactum. sexta est, quòd nullus debet interesse eorum testamentis, nisi satisfaciant. septima est, quod eorum testamenta sunt nulla ipso Iure, nisi satisfecerint. Octaua est, quòd si vsurarius alteri soluit vsuras, repetere non potest, nisi prius ipse restituat, quas extorsit, vel ille, cuius hæres est. nona pœna vsurariorum manifestorum, secundùm omnes Doctores, est, quod ad modum raptorum & furum tenentur restituere, non solùm receptam rem pro vsuris, sed & fructus perceptos, & qui percipi potuerunt à vero domino.

DE VSVFRVCTV.

VSusfructus communiter à Doctoribus sic definitur, est Ius vtendi & fruendi rebus alienis, salua illarum substantia, proinde Vsufructuarius ab Emphyteota in hoc differt, quod ille vtile dominium, iste autem solum ius vtendi & fruendi habet

habet. Vsusfructus proprièest de rebus quæ vsu nõ consumuntur, licet vtilitatis causa receptum sit, vt etiam in rebus quę vsu consumuntur, puta in pecunia, vino, frumento & similibns constituatur, sicut passim fit & obseruatur.

Vsufructuarius generaliter, nisi Testator aliter expresè dispoſuerit, tenetur præstare cautionem, quod rebus quę ℣su non consumuntur sibi relictis vtetur, salua illatũ subſtantia arbitrio boni viri, hoc est, sicut quilibet vir bonus re propria ℣titur ac fruitur, in rebus verò quæ ℣su cõsumuntur potest exigi cautio de his exhibendis in eadem qualitate, vel ad æstimationem bonorum virorum, quæ quidam æstimatio ad ea quæ vsu minuũtur, non se extendit, quia esset præiudicium Vsufructuario, sed duntaxat ad ea quæ vsu consumuntur, extenditur.

Cautio non est de subſtantia vsusfructus reſpectu rerum quę vsu cõsumuntur, quia in multis casibus vsusfructus sine cautione consistit, sed reſpectu rerum, quæ vsu non consumuntur, cautio est de subſtantia vsusfructus: Vnde Vsufructuarius si cautionem non pręſtitit malitiosè cum sciret se obligatũ, tenetur fructus reſtituere tanquàm indebitè perceptos: At si cautio non fuit petita, fructusque sciẽte & tollerante proprietario accepit, eo casu ad reſtitutionem fructuum sic perceptorum non tenetur: secus si proprietario ignorante, tunc non esset tutus in conscientia. Nota quod secundum Doctores Testator potest remittere ne cautio pręſtetur

in

in rebus quæ vſu conſumuntur, in alijs verò non, quia ſic materia delinquendi, ꝟti aſſerunt daretur.

Vſufructuarius omnium bonorum ad multa tenetur, & in ſpecie. primo tenetur ad omnes expenſas in re vſufructuaria reficienda neceſſarias. ſecundo tenetur collectas & alia onera ſoluere, quæ debentur pro fructibus percipiendis, tertio Vſufructuarius omnium bonorum ſecundum Direc. de mente Hoſt. tenetur æs alienum ſoluere & legata adimplere de ipſis bonis, vel renunciare legato vſusfructus ſi inde ſe grauatum ſentiret, intellige ſi Teſtator reliquit ei ꝟerum & plenum vſumfructum omnium bonorum ſuorum: ſecus autem ſi certarum rerum ſit ipſi relictus vſusfructus.

Vſusfructus multis modis amittitur. primò propter mortem Vſufructuarii: verum ſi ꝟvſusfructus legatus fuerit Vniuerſitati ſiue Ciuitati, tunc durabit ſpatio centum annorum, niſi alia clauſula ſit in contrarium, teſtamento ſiue codicillo, inſerta. ſecundò per maximam & mediam capitalis diminutionem, non autem per minimam, & quando hoc modo perditur, ſi Vſufructuarius erat filius reuertitur ad patrem, ſi ſeruus, ad dominum, ſi pater ꝟel alius ad filium aut hæredem eius, & non ad proprietarium tranſit. intellige quamdiu ꝟiuet ille, cui vſusfructus fuerat legatus. tertiò ſi res perierit in quâ ꝟvſusfructus erat conſtitutus. quarto amittitur vſusfructus per non ꝟſum., co

modo

modo qtio etiam dominium rei perditur: vt per præscriptionem, nempe spatio decem annorum inter præsentes, & spatio viginti annorum inter absentes: sufficit tamen quod Vsufructuarius re sibi relicta per alium vtatur.

Si Testator reliquit vxori suæ verum & plenum vsumfructum omnium bonorum suorum quamdiu vidualem vitam duxerit, vel sine hac clausula, eo casu etiam frumenta & alia vsu consumptibilia ei cedunt: quinimo & laudemium recipere poterit, nec per hoc videtur quod conditio hæredis deterior fiat, sicut nec Ecclesiæ, si Prælatus beneficia vacantia conferat, vel electos confirmet, cum talia ad manus suas retinere nequeat. Quid si Testator dicat relinquo vxorem meam dominam & vsufructuariam omnium bonorum meorum? Respondeo, quod illud verbum domina, ad euitandum repugnantiam ipsorum terminorum, non importat dominium bonorum, sed præeminentiam quandam in domo, sicut erat ante mortem Viri; communi enim vsu loquendi vxores dicuntur dominæ domus: Quod si habeatur in legato vsusfructus, relinquo vxorem meam vsufructuariam omnium bonorum exstãtibus filijs, si filij præmoriantur, habebit vsumfructum, nihilominus omnium bonorum, imo tunc sicut multi tenent, erit & est proprietaria. Verum in hac materia tenori ipsius

legati

legati vsusfructus, nec non dispositioni Testatoris Iuribus consonæ, stãdum est, & iuxta eam per omnia se dirigere oportet, nisi sacris legibus, aut rationi repugnet.

DE VXORE.

NOmine vxoris in fauorabilibus venit mulier, quæ contraxit per verba de præsenti, licet Matrimonium nondum consummatum sit: in odiosis verò venit illa sola, quę Matrimoniũ consummauit, & de Iure vxor est sub potestate viri, ad Ephes. 5 Mulieres viris suis subditæ sint. Verùm vt notat Panormitanus, maritus non habet in vxorem potestatem ordinariam, potest tamen eam castigare & verberare moderatè, vel, vt inquit Hostiens. ex magna causa, & verberatione leui: Vnde vir sine causa, vel grauiter verberans vxorem, punitur ad dandum ei tertiam partem donationis propter nuptias.

Vir si inuenit vxorẽ in actu adulterij, & occidit illam, secundùm Ius ciuile, nullam incurrit pœnã: secùs secundùm legem diuinã, quę dicit Exo. 20. Non occides, ideo non licet. Vtrum vxor teneatur laborare pro viro? Respondeo si habet sufficientem dotem pro oneribus supportandis, non tenetur, & vir in tali casu non potest eam compellere ad laborandum subtrahendo alimẽta: vnde sequitur, quòd sibi poterit laborare, deductis tamẽ obsequijs com-

munibus

munibus pertinentibus ad gubernationem domus, ex quò vxor, ſecundùm communem opinionē Doctorum, tenetur ad omnia obſequia mariti, puta cuſtodiendo bona eius, parando cibos, lauando, & his ſimilia. Quod ſi dotem ſufficientem non habet, eo caſu debet laborare viro pro oneribus ſupportādis, & ſi nollet, eo caſu vir poteſt illi alimenta denegare.

Vxor tenetur ſequi virum, ſi transfert domicilium, niſi præceſſiſſet pactum de non transferrendo domicilio. Quinimò etiam pacto non obſtante, ſi aliqua neceſſitas aduenerit, puta infirmitas, vel capitalis inimicitia, eo caſu vxor tenetur ſequi virum: Si verò domicilium non transfertur, non tenetur eū ſequi. Similiter non tenetur, ſi maritus eſt vagabundus, niſi cum eo contraxerit, ſciens ipſum eſſe vagabundum: hoc tamen totum, vt notant Doctores, limitandum eſt, tenetur eum ſequi, quando ex cauſa honeſta transfert domicilium, ſecus ſi ex cauſa inhoneſta, vel ſi vellet eam trahere ad peccatum, vel immineret ſibi periculum vitę, eo caſu non tenetur eum ſequi, minus quò ad hoc, illi obedire.

Vxor poteſt agere ad reſtitutionem dotis viuente marito vt quando vir eius incipit malè vti ſubſtantia ſua, vel quando propter maleficia et crimina propria exulat à patria ſua, præſertim cū ad diſtractionem & dilapidationem bonorum peruenitur. Quinimo eo caſu ſecundùm aliquos poſſet etiam petere donationem factam propter nuptias, at multi quo ad prędictam donationem contrarium tenent.

nent. Item in causa diuortij, hoc est quando matrimonium venit separandum quo ad thorum, tũc vxor potest agere ad restitutionem dotis, & etiam donationem factam propter nuptias, petere: multæ autem ponuntur causæ, quibus vxor à Viro quo ad thorum, iudicio Ecclesię separari potest, puta si est fur, vel latro, si adulterium commisit, & alijs de causis in iure expressis, quas omnes hic recensere, non est opus. Quare quilibet iuxta Apostoli admonitionem, cognoscat vas suum quod possidet, in sanctificationem, curentque coniuges perpetuo indissolubiliq; matrimonij nexu vincti, vt seinuicẽ diligant, sicut Christus dilexit Ecclesiam, qui seipsum tradidit pro ea: Sacramentum enim hoc magnum est, sicut docet idem Apost. ad Ephes. 5, in Christo & in Ecclesia.



AEC sunt pie lector, quæ nobis circa hanc doctrinam de Casibus conscientię dictam, ordine alphabetico dispositam, sentienda, tenenda, & obseruanda censuimus, ac censemus: saluis per omnia iudicio & Censura sanctæ Matris Ecclesiæ, cui nos semper subijcimus. Perlege igitur, candido atque Christiano animo contenta in hoc opusculo, & si rem votis parem fecimus, omnipotenti Deo, à quo omne bonum, gratiæ referantur; sin autem, da veniam: quod enim pro nostra mediocritate præstare potuimus, præstitimus; & quod longo stu-

dio

dio, vigilijs, atq; labore comparauimus, alijs syncere & charitatiuè communicare voluimus. Bene vale, & si hanc materiam fusius habere cupis, videas D. Thom. Aquin. 2. 2. item 3. part. & in Quolib. pro rerum qualitate de quibus agitur. Insuper summas iam pridem publicę vtilitatis causa in lucē datas, nempe Pisanel. Anton. Angel. Rosel. Sylnest. Tabien. Supplē. Didac. Couarruias à leyua. Martin. Nauar. & Io: Bernard. Diaz in sua pract. crim. can. quos Authores, & alios multos in editione istius nostrę Summulæ perlegimus, communioriq; sententiæ adhæsimus, illamq; diuina gratia adiutrice assecuti sum⁹, proinde Deo sit laus, honor & gloria.

SVM-

SVMMVLAE REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS, AC DOMINI, D. SEBASTIANI CATANEI A MEDIOLANO

Ord. prædic. Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopi Eccleſiæ Chiemenſis apud Germanos, Caſus conſcientiæ complectentis,

FINIS.

Salua ſemper in omnibus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Auctoritate.

REGISTRVM.

†A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z Aa Bb Cc Dd Ee Ff


Omnes ſunt quaterniones præter † terniones, & F f quinterniones.

Tridenti M. D C. Apud Simonem Albertum.

BIBLIOTECA COMUNALE TRENTO
P 13793

Ex libris Clerici Andreæ
Baptistæ de Bisenello.

Libris Clerici Andreæ
Baptistæ de Bisenello



BIBLIOTECA
COMUNALE
TRENTO

T
0
K
13

Summa R
D tan
Epi

682

SVMMVLA